Muller & Co.
Amsterdam.
May 19/89.
25 fl. 11,62

79 | JVL

Collated 6/81
7 plates
+1 fold.
2nd bk
uncalled for

149

De Lery a bien écrit & veritablement en son Amerique, c'est un beau livre.
Scaliger. p. 199.

HISTORIA NAVIGATIONIS IN BRASILIAM QVÆ ET AMERICA DICITVR.

***

QVA DESCRIBITVR AVTHORIS nauigatio, quæque in mari vidit memoriæ prodenda: Villagagnonis in America gesta: Brasiliensium victus & mores, à nostris admodum alieni, cum eorum linguæ dialogo: animalia etiam, arbores, atque herbæ, reliquáque singularia & nobis penitus incognita.

A JOANNE LERIO BVRGVNDO
Gallicè scripta. Nunc verò primùm Latinitate donata, & varijs figuris illustrata.

SECVNDA EDITIO.

GENEVÆ.
Apud hæredes Eustathij Vignon.

CIƆ IƆ XCIIII.

ILLVSTRISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO D. VVILLELMO LANDGRAVIO HASSIAE, Comiti in Katzenelbogen, Dietz, Zigenhaim & Nidda, &c. Domino suo clementissimo.

SExtvs *iam ferè, opinor, agitur annus, Princeps Illustrißime, ex quo doctißmus vir Caßiodorus Reinius mihi ex vrbe Fracofurto scripsit, se aliquāto antè cùm apud Celsitudinem tuam Castellis esset, ex te audiuisse, gratißimum tibi fore, si liber quem de Americana peregrinatione mea Gallicè scripseram, amplificatus & Latinè conuersus tibi legendus offerretur. Eū enim semel à C. V. Gallicè perlectum propter nouitatem rerum, & historiæ mirabilitatem vehemēter placuisse. Ac mihi qui-*

dem audita iampridem erat incredibilis illa benignitas & mãſuetudo animi tui ſumma eruditione ac præſertim naturalis philoſophiæ, & hiſtoriarũ cognitione cõiuncta. Nã cũ illius libri mei capita, & memorialia quædã annis ab hinc ſexdecim clariſſimo Iuriſconſulto doctori Hotomano Celſitudinis tuæ ſtudioſiſſimo in oppido Caritea oſtendiſſem (quò propter furiales Galliæ tempeſtates confugeramus) memoria teneo illum ſæpenumero mirificũ quoddam tuum in hoc literarum genere ſtudium prædicaſſe: neque ſe Principem vllum noſſe, qui vehementiùs harum rerum cognitione delectaretur. Quod idẽ nuper à me de Reinij literis conſultus multis verbis confirmauit. Ac ſane acceptis illis literis ſi per tempus locúmque in quo tum eram (eram autem in Burgundia, vbi ſacro verbi fungebar miniſterio, ad quod ſumma Dei miſericordia ſũ vocatus) mihi licuiſſet manus operi admouere breui tempore negotium confeciſſem. Magnopere enim cupiebam aliquid præſtare, quod Celſ. V. probaretur. Nunc verò in hoc nouo exilio meo, vt animi dolorem, quem ex renouata patriæ noſtræ laceratione concipio, lenirem, operam dedi vt meus ille liber Latinè conuerſus & multis partibus

bus auctus, atque amplificatus sub Illustrissimi tui nominis auspiciis euulgaretur.

Videbit autem celsitudo vestra narrationem prodigiorum, & monstrorũ admirabilem, ac ne mihi quidem, nisi oculatus testis ipse ac spectator fuissem, credibilem: sed verè ac liquidò confirmare hoc possum, cùm multa in illa vastitate Oceani monstra viderim tum nulla vnquam æquè prodigiosa vidisse, vt illa sunt, quæ hodie terram olim omnium amœnissimã ac florẽtissimam infestant. Ita sunt omnia perfidia, periurio, ac sceleribus oppleta. Annus iam agitur tricesimus, cùm Ecclesiæ nostræ, bustis atque incendijs Galliæ vstulatæ, refrigerij aliquid sese in mari medio & solis terris, locísque desertis reperturas sperabant. Inde Villagagnonis cuiusdam perfidia reiectæ, rursum se in portum, vnde exierant, contulerunt. Hîc dici vix potest, in quàm immanes beluas inciderint. Ac sanè quis est qui audito cæsorum numero non perhorrescat? numerantur autem ad quaterdecies centena hominũ millia, qui per hos viginti quatuor annos bellis ciuilibus interierunt. Sempérne igitur, vt ille apud Sallustium dicebat, in fuga, in sanguine, in cruore versabimur? Verùm hæc perpetua Ecclesiæ Christianæ conditio

est, vt semper à Satana, & Satanæ ministris quamcunque se in partem conferat, vexetur. Animaduerti cùm sub ea cæli plaga nauigaremus, quæ vulgò Zona torrida dicitur, genus esse quoddam piscium volatilium, quorum mihi naturam & conditionem Ecclesiarum nostrarum calamitas in memoriam reuocat. Nam siue in aquam se immergerent, confestim à piscibus qui Albacoræ dicuntur, & magnitudine sunt vegrandi, crudeliter infestabantur: siue illius periculi vitandi caussa, ex aquis euolarent, tum à diris volucribus, quæ per illa spatia volitant, laniabãtur. Simillima nostrarum Ecclesiarum conditio est. Sed tamen, vt Paulus ad nostrã consolationẽ scripsit, dum premimur, non opprimimur, dum ærumnis afficimur, non deserimur: dum deiicimur, nõ interimus. Quin potiùs prout abundant ærumnæ & perpessiones Christi in nobis, ita per Christum abundat etiam consolatio nostra. Fugamur quidem & plagis cædimur, atque incertis sedibus vagamur: propter Christum interficimur totos dies: habiti sumus quasi oues destinatæ mactationi. Sed hoc certissimo solatio nos sustẽtamus: idcirco laboramus & contumeliis afficimur, quia speramus in Deo viuo, qui fidelium suorum con-

2. Cor. 4. 8. 9.

2. Cor. 1. 5.

1. Cor. 4. 10.

Rom. 8. 35.

1. Tim. 4. 10.

conseruator est.

Atque optamus quidem ex animo, & Deum toto pectore obtestamur, vt vestras Ecclesias Germanicas, & pios earum Pastores pari consolatione ac Spiritu suo Paracleto sustentet. Sed cùm diuturnum istud quorundam otium & tranquillitatem consideramus, vereri nobis interdum subit, ne vetus illud Poetæ aliquando vsurpare poßint:

Nunc patimur longæ pacis mala: sæuior armis
Luxuria incubuit, victúmque vlciscitur orbem.

Nam vt ferrum, si non vtare, rubigine contaminatur: ita vera religio plerũque nimio otio & diuturnitate pacis, & quasi torpore corrumpitur. Quod ne vnquã in Hassicis Ecclesiis accidat, quas Deus tuæ, Princeps Illustrißime, fidei credidit, atque commendauit, spero Celsitudinem vestram pro sua perenni & cõstanti pietate curaturam: præsertim cùm illam semper audiuerimus Ecclesiarum nostrarum studiosißimã fuisse: tantámque doctrinæ cõcordiam, quãta inter omnes earum pastores elucet, semper adamasse. Quò lubentiùs in hac præfatione Illustrißimo tuo nomini dicata, sum adductus, vt earum omnium nomine Celsitudi-

nem tuam obsecrarem, ne curam earũ primũ ab Illustrissimo, & beatæ memoriæ Principe parente tuo PHILIPPO *susceptã: deinde tibi tanquam hæreditariam ab ipso traditam, & commissam desertam esse patiare: sed eam & pietati tuæ commendatã memineris, & illustrissimo principi* MAVRITIO *Celsitudinis tuæ filio, spei heroicæ adolescenti, commendes. Pro mea verò virili parte, Princeps Illustrissime, à tua Celsitudine peto, quæsóque primùm ut hoc meum munusculum qualecunque meæ erga te beneuolentiæ pignus, hilari fronte bonámque in partem accipias. Deinde vt me patiare in tuorum tuæque Celsitudini addictorum numero locum aliquẽ obtinere, quo ne vnquam indignus videar, sedulò quãdiu vita suppetet, operam ac studium adhibebo. Vale Illustrissime ac potentissime Princeps. Cal. Febr. 1586.*

Illustriss. Celsit. vestræ

addictissimus.

I. LERIVS.

Εἰς Λεραῖον.

Ἐνδοίη μάλα θυμὸς ἐμοὶ φίλε, πῶς σ᾽ ὀνομήνω,
Ἢ ἐ Λαερτιάδην, ἢ ἐ Μελησιγένην.
Πρὶν γὰρ πολλὰ πάθες τ᾽ εἶδές τ᾽, ἰδὲ πόλλ᾽ ἐπαλήθεις
Ὀψ᾽ ἀπενόστησας, ἄλλος ἐὼν Ὀδυσεύς
Οὐ μέντοι πτολίπορθος ἐών. μὲν δὲ πολίσσων.
Ἄνων ἀγρίων γὰρ ἄπολιν τὸ πάρος.
Νῦν δ᾽ αὖ Ὠκεανόντε λέγων καὶ πείρατα γαίης,
Καὶ Λαιστρυγονίην, ὀλομένους τε ἀνέμους.
Κύματά τ᾽ ὀκριόεντα, ἀπολλυμένους τε ἑταίρους,
Πῶς οὐκ ἄλλος ἔφυς φίλε Μελησιγενής,

Is. Caſ.

AD IOANNEM LERIVM AMERICANÆ HISTORIÆ Scriptorem.

IGNOTAS *quondam & nostro procul orbe remotas*
Gentes, monstrosa Barbariéque feras,
Stridentésque sonos linguæ, vẽtrésque nefandos,
Humanis saturos carnibus, ecce, refers.
Credo equidẽ, Leræe: Doces nã visa. Sed euge,
Te dignum nodum vindice solue precor.
Taliæ, dic, portenta hominum, tam rara benigni
Temperies cœli num generare queat?
Et quos inculta mites creat arbore fructus,
Mite solum indomita fertilitate nitens?
Horrida Monstra hominum, quæris, nũ gignat amœna
Temperies cæli, fertilitásque soli?
Gignit, Sed causas doceant qui semina rerum,
Quique arcana tenent interiora viri.
Num maiora vides hominum portenta creari,
Qua cœlum multò mitius atque solum?
Testis culta nouem studijs Europa sororum,
Quæ toto, princeps, erigit orbe caput.
Hîc quàm horrenda vigent pudeat memorare, libellis
Vt possit nostris maior adesse fides.

I. I. B.

IN

IN HISTORIAM AMERICANAM AB IOANNE Lerio conſcriptam.

IMmanes mores tu qui audis & efferа mōſtra,
Quæ fert terra orbis nomine dicta noui:
Miraris pectus pluſquàm geſtare ferinum
Humanos vultus, oráque ſueta polo.
Primorum ſunt hæc noxæ monimenta parentum,
Infecit triſti quæ genus omne labe.
Hinc veri quondā ſimulachrum numinis, amēs,
In ſæuas meruit degeneraſſe feras.
Sunt quibus indulſit cœli clementia larga,
Vnde foret cultu mitius ingenium.
Cultior his mores, ni vita temperet vſus,
Omnes conſimilis barbaries teneat.

ST. T.

Cap.

AVTHORES IN HAC Historia citati.

Biblia sacra.	Gomara.
Iosephus.	Benzo.
Eusebius.	Calchondilus.
Nicephorus.	Viretus.
Plutarchus.	Hist. Eccles. Gallica.
Cicero.	Matthiolus.
Ouidius.	Bodinus.
Appianus.	Popelinerius.
Osorius.	Theuetus refutatus.

IOHANNIS LERII
IN HISTORIAM SVAM
PRAEFATIO,

Qua Theueti errores ac fraudes præcipue coarguit.

MIRABVNTVR fortaſſe nonnulli, quòd cùm annus hic ſit decimus octauus, ex quo ab America, quæ & Braſilia, redij, tandiu hiſtoriam hanc in lucem edere diſtulerim. Idcirco operæpretium facturum me exiſtimaui, ſi ſtatim quibus fuerim cauſis prępeditus exponã. Cùm primùm in Galliam remigraui, & eos quos in ipſa America Braſilica Rubrica conſcripſeram cõmentariolos (quibus quicquid obſeruatu dignum fuerat viſum annotatum erat) cũ quibuſdam cõmunicaui, vlteriùs progredi animus non erat. At illi crebris flagitationibus vrgere, vt ea quæ tumultuariè & paucis exarraueram, fuſiùs & ordine conſcriberem: ne, inquiebant, tot & tanta memoratu digna, obliuione ſepulta interirent. Anno itaque 1563. in paulò ampliorem excreuerunt

commentarium: cuius exemplar vnicum vir quidam bonus, cui à me cõmissum erat, cùm ad me mitteret, ecce, Lugduni à custodibus portę est interceptũ, vt de eo recuperãdo quã tumuis diligenter perquisito spes nulla esset relicta. Inde factum est vt aliquantò post repetito ab exscriptore autographo, maculis liturísque obsito, ipse (excepto Americano Colloquio quod exstat huius libri capite 20. cuius exemplum supererat nullum) de integro descripserim. Quod opus vbi ad finem est perductũ in Charitẽsi oppido, vbi tũ degebam, bellicis tumultibus denuò imminentibus, fuga saluti consulere, libris chartísque relictis sum coactus. Quibus non multò post direptis, periit hic quoque alter Americanus commentarius: itaque sum labore meo & spe rursum fraudatus. Tandẽ cùm de priori illa iactura questus essem apud nobilem quẽdam nec infimæ authoritatis virum, designato illius quoque nomine cuius in manus commentariũ illum incidisse nunciatum fuerat, vsque adeò diligentem huic negotio nauauit operam, vt recuperatum Anno 1576. mihi apud se benignè excepto reddiderit. Sic factum est vt historiam hanc manus meas veluti fugientem adhuc edere nõ potuerim. Sed, vt ingenuè dicam quod res est, accedebant & alia quæ me ab editione deterrebant, Quòd nimirum tenuitatis meæ mihi probè conscius eram, vtpote qui iis quæ in graui scriptore requiruntur instructus non essem: tum

tum etiam quòd eodẽ quo ab America remigraui Anno videlicet 1558, inciderat in manus meas Liber Singul.America. à Portæo ex breuioribus Theueti cõmentariis ſeu potiùs commentis ſcriptus. Ac ſanè quãuis non me latebat(quod Fumæus præfatione in Gener. Indic.Hiſtor. apertè eſt profeſſus) librum illum ſingulariter mendaciis eſſe refertum: Si eo contentus author vlteriùs non eſſet progreſſus, nunc etiam fortaſſe quicquid eſt huius opellæ à me fuiſſet ſuppreſſum.

At verò hoc Anno 1577. in Theueti Coſmographiam incidens(is forſitan nos omnes qui eò nauigaſſemus è viuis ſublatos, aut ſi qui eſſent ſuperſtites aduerſum ſe in arenam deſcendere non auſuros credebat) hominem animaduerti non modò priſtinos errores renouare, ſed etiam in nos fictis criminibus conuitiiſque non ferendis digredi. Quod cur faceret, nõ alia eſt inductus occaſione quàm ea qua feruet in Miniſtros,atque adeò nos omnes vnà cum illis in Americam deuectos maledicta congerendi libidine.Hęc me propè inuitum,vt integram nauigationis noſtræ hiſtoriam ederem pertraxerũt. Ne cui autem dubium ſit iuréne an iniuria de nouo iſto Coſmographo conquerar, calumnias quibus nos Coſmographiæ ſuæ Tom.2. lib.21.cap.2. fol.908.inſperſit deſcribere placet.

Cæterùm(inquit)*penè mihi exciderat,ſeditionem paulò antè ex diſsidÿs quatuor Miniſtrorum quos eò Caluinus miſerat vt cruẽtum ſuum Euan-*

gelium plantarent exortam esse. Horum primarius nomine Richerius, ante annis non ita multis, Carmelita & doctor Sorbonicus Lutetiæ fuerat. Egregij isti Concionatores cùm eo demum studio tenerentur, vt diuitias ex re qualibet facerent, & quicquid ad manum esset raperent, clandestinis consilijs & factionibus effecerunt vt ex nostris quidam trucidarentur. Verùm capti sontium nonnulli, pœnas dedere, quorum cadauera piscibus obiecta sunt. Alij verò fuga saluti consuluere, in quibus erat ipse Richerius, qui paulò post Rupellam, (quo in loco etiamnum agere existimo) Ministerio operam daturus appulit. Non multùm verò abfuit, quin hac tragœdia irritati Barbari impetum in nos facerent, reliquósque interficerent.

Hæc sunt Theueti verba quàm potuimus fideliter reddita: Ad quæ lectorem diligenter attendere velim. Cùm enim, neque ille à nobis, neque nos ab illo in America conspecti fuerimus, nedum vt nostri caussa in vitæ discrimen adductus sit, eum hac in parte non minùs mendacem quàm impudentem egisse calumniatorem, indicabo. Priùs autem, quò viam præcludamus excusationi quam prætexere posset, narrationem institutam nō ad illud demum tempus quo in America vixit, sed ad consequens etiam referri, in primis quæro, an possint illius tam expressa verba alia ratione exponi, nisi vt particula (*nos*) qua se in illo quoque numero fuisse satis indicat, eodem fuisse irretitum periculo affirmet? Si verò instet, in mentem sibi nunquam venisse vt

vt Miniſtros, de quibus agitur, in America à ſe viſos affirmaret, quid alio ipſe ſcribat loco videamus.

tom. 2. lib. 21. cap. 8. pag. 925.

Cæterùm (inquit) *ſi diutiùs illic manſiſſem, populi illius miſeri animas lucrifacere conatus fuiſſem potiùs quàm in fodienda terra eruendis à natura recōditis theſauris operam poſuiſſem: verum tamen tum quia eorum lingua non ſatis eram peritus, tum etiā quòd Miniſtri à Caluino miſsi iſtud onus in ſe receperant, inſtituto deceſsi.* Apage hominem mendacisſimum. Si autem bonus iſte Catholicus Romanus contempti à ſe ſeculi ex Franciſci Regula quā profitetur, aliud ſpecimen non edidit præterquam quòd Theſauros imis terræ viſceribus reconditos parui fecit: miraculúmque aliud nullum præter Barbarorum conuerſionem, quam niſi à Miniſtris fuiſſet impeditus erat tentaturus, poſtquam luce clarius falſum id eſſe demonſtrauero, metuendum ſanè eſt ei ne in Calendarium Papæ poſt mortem non referatur, néue Sancti Theueti nomine non decoretur. Cæterùm vt quicquid iſte garrit meras eſſe nugas commonſtrem, nolim diſputationem inſtitui an veriſimile ſit necne, iſtum (qui nihil non congerit vt ſuis ineptiis colorem inducat) Miniſtros ſilentio prætermiſſurum edito Sing. Americ. libro, ſi eos in America vidiſſet, ne dum vt crimina patraſſent, quorū nomine eos tandem accuſat edita Coſmographia annis pòſt minimum 16. Conuincetur enim ſuo ipſius teſtimonio libr. Sing. Amer.

Lib. Sing. Amer. c. 1. 24. 25. & 60.

ad Frienſe promõtorium 4. Idus Nouembr. Anno 1555. quatriduo verò poſt ad Ganabaræ ſinum appuliſſe: vnde exceſſit Anno conſequente prid. Cal. Febr. Nos verò, vt in hiſtoriæ progreſſu docebo, ad Caſtellum Collignium nonniſi Nonis Mart. Anno 1557. appulimus. Quæ cùm ita ſint conſtétque ſatis annum & eo ampliùs à Theueti diſceſſu ad noſtrum aduentum interceſſiſſe, qua fronte conſpectu ſe noſtro illic vſum fuiſſe auſus eſt aſſerere? Annon potuit intercapedo 400000. paſſuum tam graue periculum ab eius capite remouere? Potuit ſanè, at iſte Coſmographicè mentiri (hoc eſt vniuerſo orbi) geſtiebat. Iam verò, poſtquam primum hoc caput in illum retorſimus, nihil ſupereſt quod reſponſione indigeat. Attamen vt vno verbo quod ab iſto afferri poteſt expediam, ad ſeditionem illam quod attinet de qua ſermonem inſtituere voluit: Primum quidem, quamdiu in America viximus vllam ſubortam eſſe pernego, tantum abeſt vt noſtrûm quiſquã morte ſit affectus: ſi verò inſtet negari non poſſe quin à Villagagnonis domeſticis facta fuerit in eum cõiuratio, cuius inuidiã in nos deriuare conetur: Reſpondeo ante aduentum noſtrum contigiſſe. Quod vt conſtet euidentiſſimè, non defenſorem, non teſtem aliũ quàm ipſum Villagagnonem appello. Quapropter Epiſtolam, qua ad D. Ioannis Caluini literas à nobis in Americam perlatas reſpondit, licèt iampridem fuerit excuſa, & ad fidem facien-

dam

dam, exemplar Brasilica Rubrica cõscriptum diligenter asseruetur, in vsum duplicem, hoc loco adscribere visum est: Primò, quòd ea refutatur Theuetus, deinde quòd cuiuis religionis professionem tum temporis simularet Villagagno, luculenter indicat.

Villagagnonis ad Caluinum epistola.

EXprimi non posse puto, quo me affecerint gaudio tuæ literæ, & qui ad me vnà venere fratres: huc me redactum inuenerunt, vt mihi magistratus gerendus esset & munus Ecclesiasticum subeundũ. Quæ mihi res maximam anxietatem obtulerat. Ozias ab hac vitę ratione me auertebat. Sed præstandum erat ne operarij nostri, quos mercede traduxeram, gentis adducti consuetudine, eius se vitiis contaminarent: aut religionis desuetudine, in ἀποςασίαν deuoluerentur. Quam mihi solicitudinem ademit fratrum aduentus. Adiecit hoc etiam commodi, quod si qua ex causa posthac erit nobis laborandum, aut periculum incurrendum, non deerunt qui sint mihi solatio, & me consilio iuuent. Cuius rei facultatem abstulerat periculi nostri suspicio. Qui enim fratres mecum è Francia traiecerant, rerum nostrarum iniquitate permoti, alius alia causa illata Ægyptum repetiuerunt. Qui fuerunt reliqui, homines egentes, mercede conducti quos pro tempore nancisci potueram: eorum hęc erat conditio, vt

ab eis mihi potius eſſet metuendum quàm petendum ſolatium. Hæc autẽ huius rei cauſa eſt, vbi appulimus, ſimul omnis generis ſe nobis oppoſuere difficultates, vt vix inirem rationem quid potiſſimum eſſet agendum. Regio erat incultiſſima, nulla erant tecta, rei frumentariæ nulla copia. Sed aderant homines feri, ab omni cultu & humanitate alieni, moribus & diſciplina penitus à nobis diſcrepantes, ſine religione, honoris, virtutis, recti aut iniuſti nulla notitia, vt me ſubiret dubitatio an in beſtias humana ſpecie præditas incidiſſemus. Contra hæc incommoda, erat ſummo ſtudio & celeritate nobis proſpiciendum, & comparandum remedium, dum naues ad reditum inſtruebantur, ne eo ſubſidio deſtitutos indigenæ rerum noſtrarum cupiditate capti nos imparatos opprimerent & interficerent. Huc quoque accedebat Luſitanorum infida vicinitas: qui etſi quam incolimus regionem tueri non potuerunt, huc tamen nos eſſe intromiſſos ferunt ægerrimè, & inſano odio proſequuntur. Eam ob rem vno tempore hæc omnia ſe nobis agenda proponebant. Receptui noſtro locus deligendus, expurgandus, & complanandus, munitiones circumducendæ, propugnacula excitanda, tecta ad impedimentorum cuſtodiam extruenda, materia conquirenda, & aduerſo colle, locis impeditiſſimis, humeris ob beſtiarum penuriam comportanda. Prætereà, quòd indigenæ in diem viuant & agriculturæ non ſtu-

ſtudeant, nullo certo loco cibaria congeſta reperiebamus, ſed erat victus noſter è longinquo raptim petendus. Qua ex re manum noſtram (quantulacumque eſſet) diſtineri oportebat, & minui. His adducti difficultatibus, qui me amicitiæ cauſa ſecuti fuerant, rebus noſtris diffiſi (vt ſuprà demonſtrauimus) pedem retulerunt. Ego quoque nonnihil cõmotus ſum, ſed cùm mecum reputarem, amicis affirmaſſe me hac ratione è Francia mouere, vt quam curam rebus humanis impenderam, eius ſtudij comperta vanitate, regno Chriſti excolendo adhiberem, iudicaui me in voces & hominum reprehẽſionem incurſurum & nomini meo iniuriam facturum, ſi labor aut periculi opinio à cœpto me deterreret. Præatereà cùm Chriſti negotium gerendum eſſet, credidi non defuturum ſed ad fœlicem exitum perducturum. Ergo me confirmaui, vimque omnem ingenij intendi in rationem eius rei perficiendæ, quam ſumma vitæ meæ deuotione ſuſceperam. hac autem via id aſſequi me poſſe exiſtimaui, ſi vitæ integritate hoc meum propoſitum comprobarem, & quam operariorum manum traduxeram, ab infidelium conſortio & familiaritate auerterem. In eam ſententiam animo meo inclinato non ſine Dei prouidentia factum eſſe viſum eſt, vt in hae negotia inuolueremur: ſed ideò accidiſſe, ne otio corrupti libidini & laſciuiæ operam daremus. Præterea ſuccurrit nihil eſſe tam arduum, quin conan-

do ſuperari poſſit. Proinde ab animi fortitudine petendum eſſe auxilium, & continenti labore familiam exercēdam, huic noſtro ſtudio Dei beneficentiam non defuturam. Itaque in inſulam, duabus millibus paſſuum à continenti remotam tranſmiſimus: ibique domicilio noſtro locum delegi, vt adempta fugæ facultate manum noſtram in officio continerem, & quòd fœminæ ſine viris ſuis non eſſent ad nos commeaturæ, delinquendi occaſionem præriperem. Accidit tamen vt ex mercenariis 26. voluptatis illecti cupiditate in meam necem conſpirauerint: ſed diè conſtituta conſilio exequendo, re mihi per vnum ex conſciis enunciata, eo ipſo momēto quo ad me opprimendum armati admaturabant, hoc modo periculum effugimus. Quinque è meis domeſticis ad arma conuocaui, & aduerſum ire cœpi: tum tātus coniuratis inceſſit terror, tantáque perturbatio, vt nullo negotio facinoris authores quatuor qui mihi fuerāt deſignati corripuerimns, & in vincula coniecerimus. Eo caſu reliqui conſternati, poſitis armis delituerunt. Poſtridie vnū cathenis exoluimus vt cauſam ſuam diceret liberiùs: ſed effuſo curſu in mare ſe præcipitem egit, & ſuffocauit. Reliqui vt è vinculis cauſam dicerent adducti, ſine quæſtione vltrò expoſuerunt quæ per indicem comperta habuimus. Vnus ex ipſis paulò antè à me caſtigatus, quòd ſe ſcorto cōiunxiſſet, iniquiore eſſe mente cognitus eſt, & ab ſe coniurationis

tionis initium factum esse: atque scorti patrẽ muneribus deuinxisse, vt eum è nostra potestate eriperet, si scorti copulã prohibere contenderem. Hic suspendio sceleris pœnas luit. Duobus reliquis delicti gratiam fecimus: ita tamen vt, in cathenis terram exercerent. In aliis quid esset peccati exquirendum mihi esse non putaui, ne compertum scelus inultum omitterem, aut si supplicio castigare vellem, cùm facinus ad multitudinem pertineret, nõ superessent qui opus à nobis institutum perficerent. Itaque dissimulata animi mei offensione, peccatum condonauimus, & omnes animo bono esse iussimus. Non ita tamen à solicitudine nos abduximus: quin quod in vnoquoque esset animi ex studio, curáque sua diligenter venaremur. Et cùm labori eorum non parcerem, sed assidua mea præsentia ad opus eos vrgerem, non solùm prauis consiliis viam præclusimus, sed breui tempore insulam nostram munitionibus & validissimis propugnaculis sepiuimis. Interim pro ingenii mei captu, eos monere & à vitiis deterrere non desistebam, atque mentes eorum Christiana imbuere religione, indictis à me manè & vesperi publicis & quotidianis precibus. Qua cautione & diligentia reliquam anni partem quietiorem habuimus. Cæterùm eam quam exposuimus curam, nobis ademit nauium nostrarum aduentus. hinc enim nactus sum viros, à quibus non solùm mihi sit minimè cauendum, sed quibus salutem meã

cherij sociorum extremo supplicio affectos, eorúmque cadauera piscibus obiecta fuisse. Respondeo nihil minùs veritati consentaneum, eo præsertim quo à Theueto narratur modo. Quanuis enim à Villagagnone postquã à veræ religionis professione defecit pessimè excepti fuimus: nihilominus tamen, quòd viribus nõ esset superior, in nostrûm nullum ante discessum Philippi & Richerii, quibuscum sum regressus manus iniecit: quin cùm vi retinere nos neque auderet nec posset, ipsius cum venia, fraudulenta tamen, dimissi sumus. Hoc quidem verum est, vt alibi dicetur, quinque ex nostris postquam octauo die naue afflicta ægrè naufragium euasimus, scapha vectos Americam repetiisse. Quorum tres in mare præcipites dedit: non quòd vllius essent seditionis rei, sed (vt testatur Martyrum historia) propter Euãgelii professionem quam abiecerat Villagagno. Porrò, si non malignè, saltem imprudẽter, in eo nõ minus peccat Theuetus quòd Ministros fuisse istos asserit, quã cùm quatuor Ministrorum missionem vni Caluino tribuit. In quo rursum dupliciter errat: Constat enim Pastorum electiones in Ecclesiis reformatis iuxta disciplinæ apud illas constitutæ normam fieri, nimirum consensu complurium ad hoc electorum populóque probatorum, ac proinde non vni cuiquam veluti Papæ permitti. Ad numerum quod attinet, plures duob' Richerio & Charterio tum temporis (nec vllos credo posteà)

eo

eò nauigasse dici non potest. Si tamen instet se vsque adeò de rebus istis scrupulosè non egisse quin eos omnes qui nauigarant facilè Ministros appellet: Respondeo, quemadmodum satis nouit in Ecclesia Romana non singulis hominibus vsuuenire vt Franciscani dicãtur, sic (absit verbo inuidia) nos reformatos quibus cõfusionem à nobis arcere est in votis, non omnes fungi Ministerio. Cæterùm quia non minus honorifico Ministri titulo quàm falso seditiosi Richeriũ ornauit, (concedo etiam liberaliter Sorbonicum doctoratum ab illo fuisse procul abiectum) mali fortasse consulet nullam sibi gratiam à me referri, Franciscaníque demùm decorari nomine: placet vt illi gratificer Cosmographũ nominare, nec eum vulgarem sed vsque adeò generalem vt, quasi in hoc orbe desint obseruatu digna, lunarem adire non dubitet, vnde nugas in suos libros transferat. Quæ me non mediocriter commouent, (Gallus enim sum, Regísq; mei famę studiosus) præsertim quòd hic non modò Cosmographi Regij nomine inflatus, stipendiísq; pessimè collocatis sit auctus: sed etiã quòd nugas ne epistola quidem dignas regia autoritate protectas in vulgus emittat. Ne quid autem eorum quæ ab illo dicta sunt intactum relinquam, quamuis id responsione indignum iudicem, quod, dũ alios omnes Francisci pede metitur, cuius fratres, cuiusmodi est Theuetus, in suas peras latioréſque manicas nihil

Bellefore-ſtius Epiſt. dedicat.Coſmograph. ſuæ præfixa.

quo eo nomine accuſatur, quòd vbi duos aut tres menſes apud quoſdam populos egit horridas quas didicerat voces in medium afferat, quàm linguæ iſtius peritiã ſibi arrogauit. Ergo, quiſquis es, caue ne diligentiùs percõteris, ſed ijs indubitatam fidẽ adhibeto quæ confusè de Americanorum lingua effutiet Theuctus. Ille enim ſuum *Mair momen* & *Mair pochi* in medium afferens, ſtrenuè tibi imponet.

Quid verò dicẽdum, quòd adeò vehemẽter eos increpet, qui Americam Indiæ Occidentalis nomine vocant? vult enim Franciæ Antarcticæ nomen quod illi impoſuerit immutatum remanere, (quam tamen nominis impoſitionem ſibi cum Gallis omnibus qui eò cum Villagagnone eſſent trãſportati cõmunem facit) Ipſe verò eam multis in locis Indiam Americanam nominet? In ſumma etiamſi ſibi ipſi non conſtat, ſi quis caſtigationum & refutationum quas alienis laboribus adhibet rationem habere velit, dicat cæteros omnes rerũ omniũ ignaros, vnum verò Theuetum cucullatũ ſingula oculis perluſtraſſe.

Sing.ca.1. pag.2.

Iam enim pręſagio, ſi quid, hęc noſtra legens, animaduertat à ſe quoquo modo delibatum, ſtatim futurũ vt, pro ſuo more próque ſua arrogantia, in has voces erũpat, Heus tu, mihi hoc es furatus. Etenim ſi Belleforeſtius ille, non ſolùm ὁμότεχνος ipſi, ſed & qui iſtius Sing.Amer. librum Ode prolixa co honeſtarat, effugere non potuit quin à Theuetó,

ueto, infelix Philosophus,& miser tragicus, per contemptũ crebrò sit nominatus: Si, inquam, ferre non potest Theuetus vt Cosmographus alter, qui non rarò, nihilò tamen apptiùs quàm ipse, inuehitur in miseros Huguonottos, secum conferatur, quid mihi, tenui meo calamo immanem hanc colossum aggredi auso? Dubium sanè non est, quin vbi se suis coloribus depictum à me videbit, instar Goliathi illius, diris deuouẽdo me, quasi deuoraturus inhiet, Papæque fulmina iaculetur in me, meúmque hoc opusculum. Atqui licet aduersum me vi Patroni sui Francisci iunioris, ab inferis Quoniambecum suum excitare posset quem duobus tormẽtis æneis onustum quasi tutò hæc displodere posset in sua Cosmographia depingendum curauit, cœpto non desistam, quinimo in sequentibus, quibus potero modis insequar, quin confido fore vt pręclaram illam suam Henricopolin quam in mediis nubibus Americanis fundauit diruam deleámque. Sed dum ad certamẽ me instruo, dúmque monito per tempus licet vel ad impetus nostros sustinendos apparari, vel etiam si volet in deditionem venire, lectorem rogatum velim vt illud cõdonet quòd dum istius nugas, quæ huic nostro opusculo edendo occasionem præbuerunt suis ipsius scriptis refello, paulò fuerim prolixior. Ac sic tãdem finem impono: licet, ex quo primùm editus est hic liber, admonitus sim à quodam tum in Papatu degente, nunc verò,

Lib. 21. pag. 952.

abiecta cuculla, ministerio in Ecclesia reformata fungēte, à Theueto in patriā meā se missum fuisse, quò in me vitámq; meā inquireret, nec defuisse quosdā veræ religionis professionem præ se ferentes qui ea in re suam operam præstare pollicerentur. Hinc fit vt, quod alias dixi, denuò repetā, cùm ne Theuetum viderim quidem, ne dum vt me priuatim offenderit vnquā, nullo alio studio nulláque alia de causa illi me obstitisse, nisi vt criminationes amouerem quibus Euangelium eiúsque primos in America præcones est insectatus. Idem dictum velim impuro illi Apostatæ Launoeo qui lib.2. quem vt Apostasiam suam confirmaret edidit, eò vsque impudentiæ deuenit, vt scribat Ministros, etiamsi de religione nulla esset mentio, in scriptis suis non abstinuisse quin doctissimos quosque viros in quibus Theuetum ponit, morderent. Atqui apparet quo loco à me est refutatus eum ex professo reformatam Religionem, quíque eam profitētur lacessiuisse. Quare impudentissimus omnium hominum Launoeus, qui me sibi (vt ait) probè notum (in quo à vero longissimè abest, neque enim Dei beneficio commercium mihi vnquam fuit cum illo) mendicum appellat, quíque ipse in Papali culina mendicus, Christo, vera aquarum perennium scaturigine relicto, ad putidas Papę cysternas potum rediit, de Papatu fortiter tuendo cogitet, donec ipse suíque similes, postquam inutilem suam operam An-

Antichristo laboriosè nauarint,tandem debitam mercedem reportet, atque ita corā Deo & hominibus miserrimus euadat. Sed ad rem vt redeam. Respondeat, si libet, Theuetus quæ aduersus ipsū scripsi veráne sint an falsa, hic enim est rei cardo. Ne autem subterfugia captet ex inquisitione in me vitámque meam.Me autem non minùs atque ipse,Cosmographus sit licet, exerto capite incedere norit.Porrò si quid à vero alienū afferat expectet à me ex suis ipsius scriptis tam solidas refutationes,vt nō opus sit in Americā vsque excurrere quo cuius sint farinę iudicium fiat.

Hoc tandem loco prima huius libri editione refutandis Theueti nugis finē imposueram:Hoc tamē testatus,vt nuper dixi, si quid à vero alienum proferret, responsum à me portaturum.Atqui quemadmodum olim calumniæ impudentissimæ quibus nos iam antea infectatus fuerat, nimirum quòd illū perimere in Castello Collignio voluissemus, ex quo tamen vt antea demonstratum est, ante aduentum nostrum excesserat, me vt aduersus ipsum hæc scriberē pertraxerunt, ita vt si à mēdaciis illis & calumniis abstinuisset quęcunque in ipsum dicta sunt, à me fuissent vt πάρεργα omissa: sic etiam nunc postquam non modò non respondit prout erat admonitus sed & ita furiosè in me egit lib. virorum Illustrium ab eo nuper edito, vt arrepta ex eo occasione quod paucis à me de *Quoniambeco* suo dictum fuerat, nihil minùs quàm appo-

Prouer. 24.4.

ſitè de me detraheret: Ex Salomonis prępſcripto, qui ſtulto ſecundum ſtultitiam ſuā reſpōderi iubet, perficiam vt hic qui vltrò me iterum laceſſiuit meritos audaciæ ſucceſſus experiatur. Ne autem prępoſtero ordine agam, quod illi omnibus in ſcriptis eſt familiare, & diſputationem hanc aduerſus ipſum recto ordine inſtituam, moréque meo iſtum continuò ſuo gladio iugulem, ipſius verba deſcribere pergā. Quandoquidem igitur Quoniambecus ille poſt mortem vſque adeò eſt à Theueto laudibus ornatus vt optimo iure felicior dici hac in parte poſſit quàm fuerit Alexander Magnus, qui tāto Homeri flagrabat deſiderio qui ſuarum laudum pręco eſſet: Agè alterum laudum eius pręconiū à Theueto in libro Sing. Ameri. conſcriptū, quod lepidiſſimè his verbis eſt exorſus audiamus. *Vt autem fidem faciā Americanos rariſsimis & exquiſitiſsimis tā animi quàm corporis, encauſto floribúſque ornatos eſſe, vnum horrendum illum Quoniambecum in mediū proferre volo, de quo verba facere meritò poſſum: qui illum vidi, audiui, ſatiſque otioſe obſeruaui ad flumē Ianariū quod eſt ad* 23.*gradū vltra Æquatorē ſitum citráque polum Antarcticum ad gradū* 66. *cum dimidio.* Ad hęc inprimis lectorem attendere velim, valeámne hæc conſecutio ánnon. Theuetus vidit, audiuit, ſatíſque otioſè obſeruauit horrendum ſuum Quoniambecū: ergo Americani encauſto & floribus rariſſimis exquiſitiſſimiſque cùm animi tū corporis ſunt ornati. Omitto

quod

quod hominibus encausti florúmque tribuit ornatum, qui aptiùs aruis, pratis, picturis, rebus denique metallicis arte affabrefactis tribueretur. Optimus itaque Dialecticus vix magno labore pręclarum istud argumentũ Theueticum confirmaret, cui tamen mendacium conclusionis vice apposuit dum affirmat me voluisse flumẽ, quod ipse appellat Ianarium, ego Geneuram ad 23. gradũ citra polum Antarcticum collocare. Ex iis enim apparebit quæ 7. huius lib. cap. de hac re dicentur, non modò istud à me nõ scriptum esse, sed nusquã mihi in mentem venisse. Sed sicut optimè quidam obseruauit Theuetum Floridam regionem cum aliis cõiungere quæ interuallo plus quàm decies centenũ passuũ milliũ inter se distãt, & vice versa alias proximas ab ea remouere: Sic etiam in historiarum narratione mentiri illi est tam familiare vt nihil suprà. Quæ cùm ita sint pudeat censorẽ illũ eos insectari quos falsi cõuincere non potest. Addit *Quoniambecum statura non multum à Gigantibus aliena fuisse, corpore prægrãdi, nec minus crasso, viribus non vulgaribus, quibus etiam præcipuè ad hostes perdomandos inque suam potestatẽ redigendos vtebatur.* Huius historiæ cap. 8. qua sint statura Americani, è quibus fuit iste *Quoniambecus* demonstrabo: interim dicam obiter eã respectu nostri prodigiosam censeri non debere. De *Quoniambeco* quot attinet, etsi non eo inficias quin sæpe ab Interpretibus Neustriis, qui vnà nobiscũ erant in Castello Col-

vide Histor Flor. cap. 3.

lignio audierim iſtum *Quoniambecum* (quem frequentiùs quàm feciſſet Theuetus viderãt) inter fortiſſimos recenſeri ſolitum, tamen à nemine vnquam pro gigante, neque gigãtea ſtirpe prognato, eſt habitus. Nec ſanè ad giganteam ſtaturam propiùs accedebat, quàm ſolent grandiuſculi qui circumſpici inter nos ſolent, homines, in quibus ne prægrãdem illum & iam fama ſatis notum, Pariſienſem fabrum ferrarium alióſque conſimiles cõprehenderim. Itaque apparet Theuetum etiam hac in parte lectoribus impoſuiſſe. Idẽ quoque facit cùm addit quæ ſequũtur de Barbari iſtius *eminentia, qua præ cæteris omnibus conſpicuus erat, quódque hoſtes ſuos ſibi ſubÿciebat.* De ſubiectione Barbarorum ſuo loco dicetur non niſi voluntariam eſſe, nullámque aliam præter cultum & honorem quo Iuniores ſolent eos proſequi qui prouecta ſunt ætate, à quibus quòd rerum experientia ſint præditi in bellum deducuntur, hoſtibus verò ſubiectionem aliam non imponunt præterquam quòd, vt Cap. 15. dicetur, poſtquam in vinculis quantum temporis viſum fuerit detinuerunt, eos mactatos vorant. De eo quod addit Theuetus *Quoniambecum vſque adeò viribus valuiſſe, vt dolio vini in vlnis comportando par eſſet*, vtrique iſtorum perforãdum & ebibendum relinquo, cùm vt tanto onere leuetur fictitius iſte Vulcanus, cuius humeris cõtinuò impoſita ſunt ænea tormenta duo, tum vt, fugatis hac ratione hoſtibus, genio indulgeant,

geant,

geant. Quæ tamen fuga inſciis Deo & hominibus contigit:ac proinde, quod tamen perſuadere nititur Theuetus, nulli vnquam hominum riſum commouit. Meritò itaque ſubiungit, *Hiſtoriam non profectò vulgarem*, (debuit addere nec veram) *nec cuiuis familiarem, ijs tamen qui bono naſo fuerunt præditi nō erit difficile perſuadere rem iſtam ab eo perfici potuiſſe, habita præſertim ratione roboris tāti corporis*. Per me ſanè, ſi qui ſint qui naſo credere aut velint aut poſſint, licet: at ſi pars illa olfactui eſt aptior, vulgóque apud nos bono eſſe naſo de canibus dicatur, quibus nos comparare videtur Theuetus, dignus ſanè eſt cuius naſo plagæ infligantur. Atque hæc pro reſponſione ſint ad ea quæ addit, *mihi non poſſe perſuaderi Barbarum illum, eo modo humeris ſuis tormenta duo imponere potuiſſe, nihilò veritum, vt eorum repercuſſione læderetur*. Quibus aſſentior non inuitus: nam neque perſuaderi iſtud mihi poteſt, nec fidem vllam habeo. Nec ſanè habebunt ij omnes qui, meliùs quàm faciat Theuetus, norunt humanos humeros arcium muris duritie non eſſe pares, ac proinde ne minoribus quidem tormentis diſplodendis aptos. Quare *licet mihi non ſit perſuaſum* (quod ineptiſſimo, hyperbolico ſermone mihi impingit) *oſtrei mei teſtis, vniuerſa noui illius Orbis arcana recludi*: quod ſanè glorioſo & arroganti Theueto optimè conuenit, qui vt antè dictum eſt, ſibi vni explorata omnia, reliquos verò rerum om-

nium ignaros esse existimat, admitto quod addit: *Nolle se experientia expugnare me*, (cuius nimirum prorsus est expers) *quamuis enim in meum conspectum non venerit is de quo fit sermo: rationi tamen obsequentem me non futurum, sine experientia stultorum magistra.* Inter quos (etsi longè aliter sentiat) non postremum locum obtinet Theuetus. Addit, *Non statim futurum vt causa vincam, quia non consequitur, si vel ego vel alij quipiam Quoniambeco similes non simus, à maximo illo regè* (putà regni experte) *ea non fuisse gesta quæ de eo narrauit fideliter.* Ego verò respondeo, nec etiam futurum vt causa cadam: cuius tamen controuersiæ lectori iudicium omne defero. Absit autem à me cæterísque, quos hoc loco innuit Theuetus, vt vllo modo bardum illum & ferum Quoniambecum referamus, cuius tamē gesta posteris tam sedulo mandauit Theuetus. Atqui me rursus lepida, sanè, hac inuectiua petit, *Ne autem diu multúmque in argumentis subtilioribus atque è Philosophiæ penu depromptis immorer, rem totam Lerius ipsemet confirmauit.* Tum claudicans vtroque pede subiungit argumentum. *Primò* (inquit) *dato nec tamen cōcesso, Libros quos sibi vendicat ab ipso fuisse conscriptos, nimirum de obsidione Sancerrana, déque in Americam profectione, quamuis ij omnes quibus est notus (in quibus est Spinæus qui duodecim annos in America eodem tempore quo Lerius vixit) non possunt adduci vt credant ab eo conscriptos fuisse.* Deus bone, quis est qui audi-
ta

ta tam acuta Philoſophia non obſtupeſcat! Theuetus Leriũ ſibi ipſi committit! Enimuerò ſi,ex vnguibus Leo,vt eſt in prouerbio, apparet profectò iſtum ingenio præditum eſſe incude obtuſiore. Quis enim iſthæc conuertat, *Non concedit libros, quos de Sancerrana obſidione, & de profectione in America edidi, à me ſcriptos fuiſſe.* Quid ita verò? *Quoniã*(inquit) *qui me probè norũt adduci nõ poſſunt vt credant, libros illos, induſtria mea fuiſſe elaboratos.* Notandũ itaque eſt imprimis, Theuetũ, qui ſuo marte, vix ac ne vix quidem, vnam aut alteram paginam accuratè ſcribere poteſt (vtitur enim quorundã iuuenum eruditorũ opera in ſcriptis ſuis ornãdis, quod mihi à iuuene quodã cuius opera vſus erat,eſt renunciatũ) quíq; ſine alieno labore expolitas narrationes ordine digerere neſcit, cęteros ſuo metitur pede. Quare hæc in Theuetum ipſum,cui optimè quadrãt, regero: teſtórque(quod ſine arrogantia dictum velim) ſcripta mea aliis expolienda nõ modò non dediſſe, ſed etiam eruditos quoſdam (quibuſcum ea communicaui, vt dignáne eſſent quæ ederẽtur ipſi diſpicerent) à grauioribus ſtudiis auocare religionem mihi fuiſſe. Quod verò addit *eorum qui me norunt nullos adduci poſſe vt credant tale quid à me ſcriptum fuiſſe,* in genere falſũ eſt. Ad Spinæum quod attinet (cuius mentionem aſſentatoriè facit Theuetus, prout ſuo virorum Illuſtriũ libro gratiam inire magnã à viris quibuſdam non obſcuri nominis ſpe-

rabat, quam tamen nõ est consequutus: quippe talia flocci faciunt) cõfido fore vt re bene perspecta quod illi tribuit Theuetus abnuat, non minùs atque conscius est Theuetus nobis crimen hoc impingentem vt ipsius & aliorum cędem simus moliti, impudentem agere calumniatorem. Sed bene est quod dum sibi defensionẽ quærit, arma quibus repellatur mihi subministrat: siquidẽ meminit probè Spinæus, quem à nostro ab America reditu non vidi, nihil nisi placidè & modestè illic à nobis gestum fuisse. *Cæterùm* (inquit ille) *possem, veluti complures alij, eorum quæ ex alienis laboribus in vsum suum transtulit, non pauca mihi vendicare.* Authores quibus sum vsus ad libri marginem annotaui: ad Theuetum verò quod attinet, aliũde sua quàm à scriptis meis requirat, etenim si quid inesset, quòd reliqua conspurcaret, non patienter ferrem. *Sed ne diuerticulum videar quærere, detur ei qua diximus conditione,* inquit Battologus iste, *vt ij libri quos sibi vendicat ab eo sint scripti, dummodò agnoscat(quod diffiteri non potest) ea conditione hominem qua fuit Lerius, adeò narrationibus instituendis non esse informatũ, vt ea possit perficere quæ alieno labore edidit.* Mea sanè refert parum, detne, an admittat quod impedire nequit Theuetus. De cõditione mea autẽ quod addit, duplici expediam responsione. Theuetum itaque, qui me sibi ignotum mendicum dicit, in primis monitum velim, si qua sim oriundus familia, fide dignis testibus esset

pro-

probandum, fore vt magno eum interuallo post me relinquerem. Non tamen quòd humanam nobilitatem pluris quàm par sit faciam, nisi adhibito Dei timore omnium virtutum fonte. Præterea si mecum esset iste comparandus, (quod absit) quid quæso sordidius Franciscano isto? qui quòd peram mendicus olim circumgestarit, in rei memoriam, vt est verisimile, Diogenem mendicorũ sordidissimum pera humero imposita, suo Virorum Illustri. libro depingendum curauit? Cæterùm habeo de quo mihi gaudeã, quandoquidem Theuetus eorum omniũ qui hac ætate aliquid scripserunt fastuosissimus spõte agnoscit, se hoc scriptorum genere à me superari: quamuis aliorum omnium respectu minimum me esse, non inuitus agnosco. Quãobrem suam ipsius confessionem veluti pro me facientem lubens admitto. Atqui odiosissimis suis repetitionibus delectatus, addit, *Ne autẽ existimet, obijci à me sibi nihil posse præter professionis imperitiam:* nõ parum sanè dolerem, si ego, non infimæ, per Dei gratiam, sortis homo, similis essem Theueto, in cujus scriptis nullo respectu habito Cosmographicæ professionis, quam regum nostrorum facilitate est adeptus, nihil est tam prophanum, tam ridiculum, tam puerile, tam denique à vero alienum quod non legatur: cùm tamen nonnisi grauia, seria, vera, tractare debuisset. Huius autem rei testes eos appello qui lectis Theueticis scriptis liberè & a-

pertè ſententiā ſunt dicturi: adulatores enim Theueto ſimiles nihil moror, quippe ſuſpectos: & fide indignos eſſe, res ipſa loquitur. Addit, *Videamus quæſo annon quædam minus credibilia ſcripſerit Lerius, quàm ſit Quoniambeci hiſtoria.* Omnino ſanè nulla. Quòd ſi ſecus erat, cur non exemplum ſaltem vnum in medium attulit? aures verò legentium obterere non ceſſauit his verbis? *Pudet me*, debuit addere quòd impudentiſſimè ſim mentitus, *manum calamo admouere.* Etiamſi tota hęc narratio, quam pauciſſimis verbis expedire non erat difficile, Theueti ingenium referat, ſi tamen ingenuè quod res eſt fateri vellet, non dubito quin alii quicquid eſt ornatus acceptum ferret. *Vt pro meritis excipiam nugatorem iſtum, qui fabulis compleuit.* Bona verba Theuete: itáne cęteros tuo metiris pede? *paucula ſcripta.* Non omnia vidit, hęc tamen non moror: iſte verò longè ſibi melius conſuluiſſet ſi aut pauciora, eóque meliora, aut ſanè omnino nulla edidiſſet, *quæ ſub illius exſtant nomine.* Theuetum tamen, vſque adeò vrunt vt (quantum à fide digniſſimo viro accepi) quę in eum emiſi 500. coronatis redempta vellet. At crepet licet: Cur enim Euangelium infamans, eos à quibus ne tantillum quidem eſt læſus laceſſiuit? Addit pręterea, *eos qui non omnino malè in me ſunt affecti, pudore ſuffundi:* Ego verò reſpondeo me nulli vnquam (Dei beneficio) cur in me malè fuerit affectus occaſionem præbuiſſe, nedum vt pudoris vlli cau-

ſi cauſa fuerim. Det igitur fideiuſſorem Theuetus, quandoquidem iſtud confinxit, ſi fidẽ ſibi vult haberi. Ad ſequentia quod attinet verba, *ineptias, nænias, gerras, fabulas quibus eorum*, inquit, *oculos paſcere volo, qui in legendis meis libris*, quos itidem ineptias vocat, *operam ponunt*: video miſerum hominem in me vehementer exacerbatum, quòd victum ſe ſentiret hæc omnia mihi, tum in hac præfatione, tum in ipſa hiſtoria in ſe ſcripta ſurripuiſſe. Apparet igitur iſtum, qui paulò ante furti crimen mihi affingebat, plumis meis ornatum eſſe: quas tamen, tanquam ipſi accommodatiſſimas, non inuitus relinquo. Item de eo quod ſubiicit dictum velim *me eò impudentiæ deueniſſe, vt ſubtilius in nominis mei ſignificationem inquirendo, affirmarim, Leri, Barbarorum lingua oſtreum ſonare*. Quod equidem veriſſimum eſſe affirmo. Norũt enim nautę, cęterique qui eò nauigarunt Leri-pes dictionem compoſitam, oſtreum ea lingua ſonare. Impudentiam verò quam mihi impingit, ipſi relinquo. Nihilominus tamen mordere non deſinit, ait enim, *Quamuis id mihi concedatur*, putà nomen meum Americanorum lingua oſtreum ſonare, *tantus tamen authoritate non erat, quantus videri cupit, quoniam*, inquit, *oſtreum eram teſtis, non ſanè meis, ſed Collignii Caſtelli ſepto à Villagagnone recluſũ*. Nonnihil hoc loco de balęnis interſerit, de quibus, ſicut etiam de teſtudinibus & crocodilis ſuo dicemus loco. Authoritas verò, de qua agit,

quid ad rem obſecro? Quid item recluſio illa in caſtelli Collignij ſepto? An iſte, qui bonam ætatis ſuæ partem in monaſterio tranſegit, vbi nonnullos ex ſuis fratribus *in pace* repoſitos vidit, ac forſitan ipſe repoſuit, nos veram religionem amplexos, inſtar monachorum, in illo caſtello recluſos fuiſſe autumat? Toto cœlo aberrat ſanè: quinimò Chriſtiana fruētes libertate, quócunque ferebat animus ire licebat: & eiuſmodi hominum hypocriſin palam faciebamus. Ne autem id mihi obiiciat quod alicubi à me dicetur, nos nonniſi venia impetrata ex illo loco egredi ſolitos, quod omnibus erat commune ſi ad me vnum reſtringere vult, tam clarum ſtultitiæ ſuæ edit ſpecimen, quàm luculenter ignorãtiam probauit ſuam cùm ſcripſit, *Sacras literas agriculturæ Abelis mentionem facere*: etenim ſi paulò attentiùs aduertat animum, intelliget Abelem paſtorem, Cainum verò terræ cultorem fuiſſe. Geneſ. 4. 2. Etenim ſortè in typographum culpam reiiciet, cuius excuſationis ope euadere conabitur. Sed non ita ſuccedet in ſexcentis ſuorum operũ locis in quibus manifeſtè falſarius deprehēditur. Tandem Theuetus quem ſatietas nunquam capit *Quoniãbecum* ſuum efferendi(quem etiam pro meritis excipio) ait, *haud dubiè illum Margaiatibus, Luſitanis & alijs hoſtibus maximo fuiſſe terrori.* Eſto ſanè: quemadmodum enim iam antè dixi peſſimè in eos fuiſſe animatum, ſic quàm crudeliter poſſet ab eo exceptos fuiſſe

Sing. Am. cap. 58.

non

non negarim. Tribuit autem *robur, & vires immani illius corpori* non minores, ac ſi tale fuiſſet monſtrum quale fuit Athleta ille qui Anno 1582. menſibus Maio & Iunio; Conſtantinopoli in ſpectaculis à Sultano Solymano exhibitis admiranda perfecit. Quippe trabem in altum attollebat, quam deinde ſine manuũ adminiculo humeris excipiebat, quam homines duodecim loco mouere vix potuiſſent. Præterea humi proſtratus, cathenísque ferreis humeros femoráque vinctus, lapidem ab omnibus decem magno labore admotum pectore geſtabat. Nec plus ex eo aborabat quàm cùm homines quatuor ſecuribus & maſſis ligna oblonga ventri illius impoſita diſſindebant. Alia item prorſus admiranda præſtabat quæ nota ſunt ex hiſtoria hac de re nuper edita. Obſecro vos, ſi *Quoniambecus* Theueticus, qui ſtatura fuit mediocri, ad iſtius monſtroſum robur & proceritatem admirandam acceſſiſſet, num longè ab eo impenſiùs fuiſſet celebratus quàm fuerit vnquã à Poetis Briareus ille? Quod verò affert de prudẽtia & pietate Barbari iſtius prætereo, neque enim eſt quòd immorer. Venio igitur ad ea quæ ſequuntur. *Iactator*, inquit, *erat omnium de quibus vnquam audierim ſummus*. Excepto Theueto, qui faſtu & arrogantia plenus, cùm Lutetiæ tum alibi ad libros à ſe ſcriptos coemendos neminem non ſolicitat. In quo Salomonis præcepto non paret

Prou,27.2.Laudet te alienus,& non os tuum: extraneus & non labia tua. Præterea quod addit, *Barbarum iſtum compluria hoſtium ſuorum millia à ſe perempta fuiſſe iactare ſolitum.* Sed perlepidum eſt quod ſequitur. *Illius palatium hoſtium capitibus fuiſſe extrinſecus ornatū: ditionem verò admodum populoſam, quámque flumina & montes ab alijs diuiderent.* Tantam verò tēporis iacturam quamuis me pigeat feciſſe refutandis Theueti nugis, tamen hoc loco eos omnes qui eò tum appulerūt appellare iuuat, vt apertè dicant annō quo tempore illic degebat Villagagno ædificiorum genus aliud fuit, præter illud quod à me cap.16. his verbis deſcribitur : inſtar pergularum hortenſium noſtratium ſunt caſæ, oblongę, humiles & rotundæ: lignis herbíſque tectæ : quarum præſtantiſſimam, vix auſim cum haris Europæis comparare.

Quid igitur de tam magnifico *Quoniambeci* palatio à Theueto confictо dicemus? niſi vt cū ſua Herricopoli fictitia, de qua priùs, atque etiam in ſequentibus nonnihil ſumus dicturi, inter nubiū Chimęras collocemus? De *ditione* cuius meminit, iam eſt à nobis dictum, atque inferius dicetur: nō modò quoad *Quoniambecum*, ſed quoad cæteros duces qui à Barbaris in ſingulis pagis eligi ſolēt. Igitur vt huic paraphraſi in Theueti caput hoc 149. libri Viror. Ill. tandem aliquando finem imponam, videamus quid nobis veluti pro bellariis

lariis asseruauit. Ait eo loco quo de flumine vasorum déque illius in America situ agit, *perinde esse atque est locus ille inter Castilionem pagum & Colongæum, qui Ollarum pons ab indigenis nominatur: rupes enim in ollarum modũ excisæ efficiunt vt Rhodanus qui ad radices Credo montis in eas se ingerit, ollæ bullientis speciem referat.* Ad quæ paucis respondeo: Ardelionem istum qui in illas rupes Rhodanum ingerit admodum esse impudentem: quandoquidem iis omnibus qui è Germania aut Heluetia Lugdunum commeant, notum est Rhodanum ab eo loco duobus passuum millibus esse remotum: quin rupes altissimæ, si illac flueret, essent superandæ è quibus torrens ille quem Valserinam indigenæ nominant, quíque ad Meridianum pagum, quà iter est Geneua Sãclaudium, originem habet. Theuetum igitur, vt hæc loca, nisi malit à describendo prorsus abstinere, verius describere discat ad præruptas hasce rupes, relinquo. Moneo tamen imprudenter immanem illam testudinem cui à nobis imponetur cap. huius libri 3. periculum esse ne præceps ruat non in Rhodanũ ipsum sed in torrentem illum rapidissimum, citissiméque submergatur. Hæc fuere opponenda iis quas in me non ita pridem emisit Theuetus ineptiis: Intelligit autem futurũ vt quotiescunque me lacesset experiatur, licet cucullam suam cum mitra cõmutarit, nihilo plus Abbatem se à nobis reformidari quàm olim

Franciscanum: etiamsi *Parouastium* suum Floridæ Regem Leoninis exuuiis amictum *Quoniãbeco* vt in me impetũ faciat, esset adiũcturus. At sanè efficiet fortasse vt viri quidam, quibus nullo modo sum comparandus, calamo tandem manum admoueant, eúmque ita tractent vt notatis crassis erroribus quæ passim in ipsius scriptis occurrunt, vniuersa illius opera, ne excepta quidẽ Cosmographia nec viror. Illustr. libro ad aromatarios relegent. In quibus tamen pessimè collocatam esse egregiam operarum tum typographicam tum cælaturæ operam, nemo non dolet.

Ad finem properanti mihi occurrit Genebrardus. Is Chronologiæ suæ editione postrema, postquam nos (quos hęreticos appellat, nec probat tamen) conuiciis proscidit, scripturæque locum in nos detorsit, scripsit, *nauigationem nostram infortuniũ iis attulisse, qui ante nos eò nauigarant: infœlicitatem verò motibus à nobis excitatis auctã fuisse, vt proinde Villagagno nos partim strangulauerit, partim in patriã puniendos præmiserit, mox ipse, nempe Anno* 1558. *insecuturus*. Ego verò respondeo quoad *infœlicitatem* illam quam nobis tribuit, Præfationem hanc cæterósque locos in quibus Theuetus à nobis refutatur iis satisfacere posse qui rectum de caussa nostra iudicium ferre volent. Addit autẽ me vnum fuisse ex authoribus tragœdiarum quas nobis affingit. Atqui impurus ille Apostata Launoeus, atque adeò Theuetus ipse longè humiliori me loco

collo-

collocãt, quàm vt vllius rei author essem, nec sanè tum eram. Videbit itaque Genebrardus quomodo cum sociis illis suis cõsentiat: quibus, si quando concilietur, responsum forsitam audiet. Interim testor tota illa nauigatione talem me (per Dei gratiam) præstitisse, vt nullus sit à Religione mea quantumuis alienus qui conqueri de me meritò possit.

Cæterùm lectores rogatos velim ne eo offendantur quòd, quasi mortuos excitaturus, Villagagnonis apud Americanos gesta in hac historia palam ediderim: præterquam enim quòd argumento quod mihi assumpsi necessariò cohærent, testor si superstes esset multò plura me adiecturum fuisse.

Tandem verò pauca quidem de meo instituto sunt dicẽda. Religionem inter ea quæ diligenti obseruatione digna censentur primum obtinere locum nemo vnquam negauit. Hinc fit vt (quamuis fusiùs quænam à Barbaris colatur huius libri cap. 16. sim dicturus) hoc loco nonnulla obiter attingere mihi videatur necesse: præsertim cùm narrationis initium à quęstione fecerim quam satis suspicere (meo quidem iudicio) nõ possum, nedum vt à me soluatur. Video igitur eos qui optimè ex sensu à natura indito de his rebus senserunt, dixisse quidem, notionem illam, quòd à supremo quodam pendeant res omnes hominum, animis ita naturaliter infixam

esse vt auelli nullo modo possit. Itaq; quãuis in cultus diuini ratione controuersię nõ paucę exortæ sint, fundamentum tamen hoc conuelli non posse, hominem instinctu quodam à natura indito eò pertrahi vt religionem aliquam, seu vera illa sit seu falsa, profiteatur. Attamen istis sapienter determinatis non dissimularunt, vbi ad illud ventum est quò propensiùs humanum fertur ingenium in negotio religionis illud frequenter vsuuęnire quod ait Poeta,

Æneid. 9. --*Sua cuique Deus fit dira cupido.*

Quæ duo vt Barbaris nostris applicemus, constat eos homines cùm sint, notione hac omnibus communi præditos esse, homine aliquid esse maius, à quo bonum malúmque pendeat, tale saltem quale sibi fingunt. Quò referri debet cultus ille quem *Caraibibus* suis exhibent, à quibus statis temporibus bonum malúmue omen sibi adferri credunt. Summũ autem bonum in hostiũ vltione fortiter persequenda (quod olim Romanis, hodie etiam Turcis vsuuenit) ponũt. Cultus verò ille qui apud alios populos Religionis nomen obtinet apud eos locum nullum habere dici potest: Quin & illud addi, eos (si quę gẽs in toto orbe terrarum) sine Deo vitam hanc transigere. Attamẽ hac in parte minùs fortasse sunt damnandi quòd & miseriam suam excæcationémque aliquatenus agnoscũt, (quamuis nec pœnitentiam agunt, nec remedio vtuntur

tur oblato) ſuámque mentem non diſſimulant.

Ad reliqua quod attinet, ſummæ capitum quas ad libri initium appoſuimus quid in toto hiſtorię progreſſu tractetur ſatis indicant: vt & primum caput qua occaſione ad nauigationem iſtam ſuſcipiendam permoti ſimus cõmonſtrat. Præterea typos tres prout prima libri huius editiõe eram pollicitus addidi: plures etiam dare optabam: at typographus in cælatura ſumptibus faciendis negauit ſe ſuffecturum.

Cæterùm non me latet quod vulgò dici ſolet: Senes, eóſquę qui à longinquis peregrinationibus ſunt reduces, quòd nemo ſit qui obſiſtat, non rarò mentiendi licẽtiam ſibi arrogare. Ego verò teſtor me, qui & mendacia & mendaces odi, ſi qui ſint qui fidem adhibere nolint multis ſanè ante hæc tempora inauditis quæ à nobis commemorantur, non eo eſſe animo, quo in rem pręſentem veniãt, vt ad ea loca deducam. Nec magis commouebor iſtis quàm adhuc commotus ſum poſtquam mihi renunciatum eſt non deeſſe qui fidem iis non haberent quæ à nobis de horrenda illa fame Sancerrana ſunt ſcripta, quam auſim affirmare minùs aſperam, quamuis diuturniorem, ea fuiſſe quam in mediis vndis remigrãtes perpeſſi ſumus. Enimuerò ſi iſti, de quibus fit ſermo, fidem iis derogare non verentur quæ in ipſius Galliæ veluti meditullio, plus 500. teſtibus ſuperſtitibus conti-

gerunt, quidni de his dubitent quæ in remotiſſimis regionibus viſa ſunt, maioribus verò noſtris inaudita, ita vt nonniſi experientia ipſa hominum animis inſidere poſſint? Me autem hoc loco fateri non pudebit, ex quo in Americam tranſportatus ſum, quæ & incolarum viuendi ratione, & animantium forma ipſáque adeò terræ fœtura à noſtris Europæis, Aſiaticis, & Africanis prorſus alienis reſpectu noſtri nouus Orbis meritò dici poteſt, opinionem abieciſſe quam de Plinio nonnulliſque aliis indueram. Vidi enim permulta non minùs prodigioſa quàm quæ in eorum ſcriptis fide indigna cenſentur. Siquidem ea quæ oculis cernuntur penitùs animum penetrant. Ad genus orationis quod attinet, iam ante, tenuitatem meam probè mihi perſpectam eſſe teſtatus ſum. Non dubito autem quin multorum iudicio phraſibus non ſim vſus tum ad rem nauticam, tum alias ſatis accommodatis. Illis itaque ſatisfactum non eſſe certò ſcio: præſertim verò Gallis noſtris quorum aures delicatiſſimæ nil niſi terſum ſermonibúſque nouis ornatum admittunt. At verò multò minùs iis placebimus qui libros omnes vt pueriles & ſteriles damnant, niſi aliunde deſumptis hiſtoriis luxurient: Quamuis enim ad ea quæ tractaui multas accommodare facile mihi erat, tamen excepta Gomaræ Ind. Occid. hiſtoria, qua ob rerum multarum cum his noſtris affinitatem non

raro

rarò ſum vſus, vix vllis in medium afferre contigit: niſi quòd poſtrema hac editione nonnulla memoratu digna addidi. Ac ſanè (quantum mihi cernere datur) hiſtoria quæ proprio ſuo argumento ornatur repudiatis alijs rum veluti alienis plumis, legentium animos à propoſito minùs remouet, efficit vt authoris ſcopũ lectores faciliùs poſſint aſſequi. Prætereà ab iis quero qui commentarios iſtius ætatis legunt ánnon tædium parit allegatio illa ſententiarum propè infinita quãtumuis ad rem accommodatarum? Ne autem mihi quis obiiciat quòd vt, Theuetum ante, nunc etiam alios reprehendens in eandem tamen incurram reprehenſionem: Si quis eſt, inquam, qui improbet (quaſi arrogantiùs dicta) quod vbi de vita & moribus Barbarorum verba facio, frequenter has vſurpem formulas, vidi, interfui, accidit mihi, atque alia eiuſdem generis. Reſpondeo res illas ad meum ipſius argumentum pertinere: deinde res deſignare non rumoribus auditas, ſed & oculis ipſis & experientia confirmatas: immò auſim dicere à nemine alio vſquã obſeruatas: multò minùs memoriæ proditas. Quod non de vniuerſa America dictum velim, ſed de illa plaga quã per annũ incolui nimirũ ſub tropico Capricorni apud Barbaros Americanos quos *Tououpinambaulſios* appellãt. Denique fidem de iis qui veritatem ſimplici ſermone prolatam mendacio verborum exquiſito ornatu fucato præferunt, fore vt ea quæ à me ſunt

in hac historia tractata verissima esse comperiant, quinetiam nonnulla esse quę, quòd maioribus nostris fuerunt ignota, admiratione digna sint iudicanda. Dum orbis & tot prę-stantissimarum rerum conditorem & conseruatorem oro, vt meum hoc opusculum ad nominis ipsius gloriam cedat. Amen.

***

PLVS VIDERE QVAM HABERE.

HISTORIA NAVIGATIONIS IN BRASILIAM, QVÆ ET AMERICA dicta est,

QVA DESCRIBITVR AVtoris nauigatio, quæque in mari vidit memoriæ prodenda: Villagagnonis in America gesta: Brasiliensium victus & mores, à nostris admodum alieni, cum eorum linguæ dialogo: animalia etiam, arbores, atque herbæ, reliquáque singularia, & nobis penitùs incognita.

CAP. I.

Quæ causa tam longinquæ periculosæque, in Brasiliam expeditionis, fuerit.

QVONIAM, quæ sit amœnitas, amplitudóque & vbertas, quartæ orbis terrarum sectionis, quæ America Brasiliáque vulgò dicitur: quibúsque cingatur insulis, & regionibus conti-

catur;quas antiqui penitus ignorarunt:quamque multis petita nauigationibus,annis abhinc octoginta, ex quo primùm innotuit : plerique nostra memoria Cosmographi,in explicandisque rebus gestis versati homines docuerunt: illo omni argumento, lõgè latéque diffuso liberati, hac quidem historia, complecti decreuimus ea duntaxat,quæ inter eundum & redeundum,& apud feros Americanos,quibuscum circiter annum vixi , experiendo & obseruando, visu auditúque percepimus. Quòd vt planiùs exponam,ab initio quænam adeò longinquæ, difficilísq; expeditionis , causa fuerit,breuiter, explicabo.

Autoris scopus.

Conatus Villagnanonis.

Anno 1555. Nicolaus Durãtius, eques Melitensis,cui cognomen additum est Villagagno, suam inGallia conditionem ægrè ferens,maximè quòd apud Nannetes,vbi tunc agebat,offẽdisset:compluribus in locis, cũ honestis omniũ ordinum hominibus cõmunicat, se iamdiu decreuisse,nõ modò lõginquã in terrã discedere, vbi puritatẽ Euangelicã liberè amplexusDeum coleret:verùm etiã esse in animo,iis sedem ponere omnib.qui vt proscriptiones (quę tũc tẽporis erant acerbissimę,adeò vt multi quotidie mortales nulla neq; sexus neq; dignitatis habita ratione , regio passim edicto, senatoriisque sententiis,bonis fisco addictis, religionis ergò viui cremarẽtur)euitarent, eò cõfugere vellẽt.

Addebat, tũ iis quibuscum ageret, colloquẽdo:tum absentibus per literas se mira cùm audiisset,de eius partis Americę,quęBrasilia dicitur

tur, pulchritudine atque vbertate, libẽter, vt & sedem poneret, votique compos esset, eò profecturum esse. Qua dissimulatione, hominum quorundam illustrium, qui veræ pietati nomen dederant, conciliatis animis, quòd ea voluntate, quam ille fingeret, istiusmodi receptum desiderabant: maximéque Gasparis Colinii, beatæ memoriæ, qui maris prefectus cùm esset, regíque Henrico, eius nominis secund'o, charissimus: docuisśétque si Villagagno expeditionẽ suscepisset, magnas opes inueniri posse, multáque alia, quę toti regno prodessent: autor fuit, vt duabus instructis nauibus, & armatis, & CCXXVI M. HS. à rege donatus, mari se committeret.

Gaspar Colinius, in Galllia mari prefectus nauigationis autor.

Adhęc, antequã è Gallia Villagagno excederet, data fide, honestis hominibus, qui ea de causa sequebantur, cõfirmarat, se, quo in loco cõsisteret, vt sincerè Deus coleretur, operã esse daturũ. Quibus ita constitutis, cõparatáque nautarũ & opificum manu, quã secum abduceret, anno 1555. mense Maio, mare ingressus, variéque iactatus, tandem difficultatibus superatis omnibus, Americã Nouembri tenuit.

Cùm suos in terram exposuisset, de munienda rupe, quę ad ostiũ sinus, qui ab Americanis *Ganabara* dicitur, cogitauit. ille vt postea exponã, trib⁹ & viginti gradib⁹, vltra Aequinoctialẽ circulũ, porrectus est: nimirũ sub Capricorni Tropico, vnde nostri fluctib. repulsi, necessariò duo millia passuũ progrediẽtes terrã versus, insulã antè desertã tenuêre: quò tormẽtis

expoſitis, impedimentíſque omnibus, vt ſeſe cùm à feris gentibus, tum à Luſitanis defenderent, qui iam in continenti multa communierant, aggerem comportare cœperunt.

Villagagno Geneuam ſcribit.

Interea Villagagno, mira ſe propagandi Euangelii cupiditate ardere ſimulabat, ſuíſque perſuadere nitebatur, ita vt nauibus onuſtis, & ad reditum in Galliam paratis, nūcium literáſque Geneuam mitteret ab Eccleſiáq; peteret, vt ſibi, quoad eius fieri poſſet, in re tam pia auxilio eſſe vellet: vrgebátq;, vt quod in animo habuiſſet, quódq; totis viribus deſideraſſet, perficeretur, nō miniſtros modò Verbi diuini mittendos eſſe: verùm etiam, qui ſe ſuóſque in diſciplina continerent, feráſque nationes ad cognitionem ſalutis adducerent, homines in fide Chriſtiana bene fundatos, comites paſtoribus adiungendos.

Quibus literis Eccleſiæ Geneuenſi redditis, primùm actæ Deo ſunt gratiæ, de amplificato Chriſti regno, in tam diſſita regione atque immani, populóque qui in maxima veri Dei ignoratione verſabatur. Deinde, vt iſtiuſmodi poſtulatis ſatisfieret, poſteaquam Colinius apud Gallos Thalaſſiarcha, ad quem Villagagno ea de cauſa ſcripſerat, Philippum Corguillerium, qui ſe prope Geneuam contuliſſet, eiúſq; fuiſſet iuxta Caſtillionē in Gallia vicinus, per literas hortatus eſſet, vt eos qui ad Villagagnonē ire vellēt, deducendos ſuſciperet: is & paſtorū Geneuenſiū quotidianis vocibus excitatus, & ſingulari erga opus tam pium voluntate, non

Philippus Corguillerius, ſe ad Villagagnonē iturum profitetur.

ſene-

senectutem neque valetudinem excusans, negotiáque & liberos, qui tot regionibus interpositis essent relinquendi, se profecturum esse pollicetur.

Richierius & Charterius ministri, in Americam missi.

Restabat omninò, vt de pastoribus eligẽdis ageretur: itaque Philippus amicíque cum quibusdam, qui tum Geneuæ, sanctioribus literis operam dabant, communicat: præcipuè cum Petro Richierio, quinquaginta tũ annis nato, Gulielmóque Charterio. Ii communi sententia respondent, si Ecclesia se legitimè vocasset non recusaturos esse. Quibus à collegio pastorum Geneuensium, cùm essent interpretati decumptas è sacris voluminibus periodos, de more approbatis, suóque vt fungerẽtur officio admonitis, duce Philippo se nauigaturos ad Villagagnonem, sponte sua professi sunt, vt Euangelium in America publicarent.

Quæ in Brasilia viuendi ratio.

Adiungendi erant etiam comites, qui summa religionis Christianæ capita probè tenerẽt, ex literísq; Villagagnonis periti artifices: nihilò secius neminẽ circũuenire Philippus: demonstrare, longo difficilíque itinere, terra trecentis, mari quadragies centenis millibus passuum superandis, elaborandũ esse: delatísq; Brasiliam, panis loco farinã ex radicibus apponendam, vinóque abstinendũ, quòd eo Brasiliẽses careãt: vtque nouo in orbe, quod & literę Villagagnonis declarabant, nouo victui, dapibúsq; à nostra Europa penitus alienis, assuescendũ esse. Qua de causa, qui res incognitas audire quã experiri mallent, neque solũ vertere cuperẽt,

vt & maris tempeſtates,Zonámque Torridam paterentur, & Polum viderẽt Antarcticum; de nominibus dandis non admodùm fuere ſolliciti.

Eorum nomina, qui Geneua profecti, nauigarũt in Americam.

Attamen multùm appellando & conquirendo,cæteri,vt videtur,melius animati,Philippo ſe,Richerióque & Charterio dant comites Petrus Bordonius, Matthæus Verneuilius, Ioannes Bordelius, Andræas Fontius, Nicolaus Dionyſius, Ioannes Gardienus,Martinus Dauid, Nicolaus Rauiquetus, Nicolaus Carmulus, Iacobus Ruffus, egóque Ioannes Lerius, duos & viginti annos natus, qui tum vt Dei gloriæ,pro ſua erga me miſericordia ſeruirem: tum vt nouum orbem cognoſcerem, illis tredecim ſuccẽturiatus,anno 1556.4. Id.Septemb. Geneua ſum egreſſus.

Caſtillionem petimus ex itinere,ibíque Colinium, quem mari prefectum fuiſſe demonſtraui,conuenimus.Is non vt incœpto tantùm inſiſteremus adhortatur, verùm etiam pollicitus ſe,in iis quidem rebus, quę ad nauigationẽ pertinerent, auxilio futurum:in ſpem nos erigit fore,vt permagnas vtilitates, Deo fauente; noſtri labores afferrent. Inde Lutetiam profecti,dum menſem integrum in vrbe commoramur,tùm nobiles aliquot tùm plebeij, cùm de nauigatione audiuiſſent, ſe nobis adiunxêre:Rhotomagóque tandẽ pręteruecta,Iuliobonę,qui portus in Neuſtria obtigerat,in apparãdis rebus ad profectionem neceſſariis, armandáque claſſe,menſem alterum conſedimus.

CAP.

CAP. II.

Ascensus in naues Juliobonæ: itémque occursus nauium & expugnatio: tempestates, littoráque & insulæ primum obuiæ.

ITAQVE cùm Boisius Villagagnonis nepos, qui antè Iuliobonam aduenerat, pecunia regia tribus instructis nauibus, prouisáque re frumentaria, pro imperio iuberet: 13. Cal. Decembr. in naues conscendimus. Ipse Boisius, ex nauibus vna quę Roberga minor appellabatur, octoginta nautis militibúsque occupata, legati nomen imperiúmque habuit. Alterã, duce Mario, Robergæ maioris titulũ præferentem, gubernatore autẽ Ioanne Humberto Hareflorięsi, vt res ipsa docuit, experientia in nauigando singulari centum & viginti mortalibus, quo in numero censebar, attribuit. Tertia quæ Rosea, cẽturionis nomine vocabatur, annumeratis sex puerulis, ad linguam Americanorum addiscẽdam, transportandis: quinque autem, vnà cum moderatrice, virginib. (quę primũ è Gallia mulieres, magna Barbarorum admiratione, qui tãtum nudas antè vidissent in Brasiliam delatæ sunt) nonaginta circiter hominibus completa est.

Boisius classi præficitur.

Eo die ipso, cùm è portu solueremus, tormẽtorũ strepitus atq; tympanorũ, buccinarúmq;

Ex portu naues soluunt.

ſoni,cæteráque eiuſmodi,quę nauibus in expeditionem euntibus, ſolemnia eſſe conſueuere, circa meridiem audita ſunt. Primùm in mari Cauxio,duobus à portu ſalutari milibus,anchoræ iactę.quo in loco,vt aſſolet,nautis militibúſque recognitis, & profectione imperata: eius nauis quam conſcenderam funis anchorarius abrumpitur,anchoráque labore maximo recuperata,profectio in craſtinum indicta eſt.

Itaque 12.Cal.Decemb.è terra prouectis, & Britãniam ſub dextra relinquentibus, duodecim dierum tempeſtate coorta: pleríque metu & nauſea vehementer conflictati pręcipuè qui mare nunquam viderant, ſingulis ſe momentis abſorbendos eſſe cogitabant.Réſque profectò eſt admiratione digniſſima,nauẽ è ligno quantumuis magnam atque firmamOceani vim pati poſſe. Nam vt è craſſiſſimis trabibus naues fiant,arctéque fibulis vinciantur: quemadmodum qua eram delatus, circiter centũ pedes in longitudinem,in latitudinem verò viginti patebat, quænam eſt cum altiſſimo latiſſimóque Occidentalı Oceano, magnitudinis tantulæ collatio? Qua de caaſa cùm nauigandi artem vniuerſam, tùm ſigillatim acum nauticam, ad moderandos curſus maritimos excogitatam, nemo ſatis vnquam laudauerit: quam tamen antè annis ducentis & quinquaginta eſſe in vſu,quidã memoriæ prodidere. Igitur,cùm dies tredecim,magnis difficultatibus,nobis eſſet nauigatum,Deo fauente, tranquillitas reddita eſt.

Nauigationis, acúſq; adeò maritimæ præſtantia.

Con-

Consequenti pòst die Dominico, duabus onerariis nauibus Britãnicis, ex Hispania redeuntibus occurrimus: parúmque abfuit, quin nautæ nostri, cùm esse quæ eripere possent, intellexissent, eas penitus expilarent. Quemadmodum enim demonstraui, tormentis cæteróque omni apparatu bellico instructi, confidebant, neque si infirmioribus occurrissēt, ab iniuria facilè temperabant.

Nautarum rapacitas.

Et quoniam in hunc sermonem incidimus, quæ nautarum sit rapacitas, hoc primo nauiũ occursu declarare visum est. Qui enim robore & armis præstant, quod etiam in continente nimium sæpè accidit, reliquos prædę habent. Asserunt tamen, cùm vela obuios contrahere iubent, se iamdiu tempestate aut malacia terrã non attigisse, rebus egere omnibus, oréntque vt pecunia redimere liceat: qua in colloquutione nauibus occupatis, ne scilicet onere pessum eant, præstantissima quæque extorquent. Obiicientibus (quod sæpè nobis erat vsitatum) iniquissimum esse hostes iuxtà sociósque prædari, solennia terrestribus etiam copiis verba reponunt: more belli accidere, sibi vt quisque prouideat.

Addam, quod exemplis postea comprobabitur, cùm Hispani Lusitaníque, se Brasiliã adiisse primos, omnémque adeò continentẽ, quæ à freto Magellanico, qui meridiem versus quinquagita gradibus extenditur, ad Perusium, citráque Æquinoxialem lineam glorientur: eáque de causa possidere affirment, Gallos verò

ſe in iure ſuo interpellare: ſi mari vincant, crudeliſſimè interficiunt, in eamque feritatem aliquando deuenêre, cutem vt viuentibus detraherent, teterrimóve genere mortis afficerent. Galli contrà, ſe Americæ participes eſſe demonſtrant: neque ab Hiſpanis Luſitaníſque vinci facilè patiuntur, ſéque acerrimè tuentes par pari hoſtibus referunt, qui eadẽ certè claſſe manum conferre non audent.

Mirè Deus mari, pro arbitrio imperat.

Vt ad nos redeam, iterum tempeſtate coorta, ſex ſeptẽve dies mare adeò intumuit, pleríque vt fluctus non tantùm foros ſuperarent: verùm etiam, cùm eius rei periculum faceremus, de qua Pſalmus 107. meminit, ſenſibus penè orbati, ebriorum more vacillabamus: nauis autem ita fluctuabat, nemo vt ex nautis ſtare poſſet. Vt eodemque Pſalmo continetur, cùm ſupra montes aquarum altiſſimos, maximéque timendos erecti: è veſtigio infra profundiſſimos hiatus demerſi, tamen inter tot fata conſeruamur: ſentimus profectò admirandam Dei optimi maximi potentiam. Itaque, cùm periculo tam ſint affines, qui nauigant: Poeta qui latitudine lignorum, quibus nauigia facta ſunt, eos à morte ſeparat, videtur, quàm par ſit longius ſeiungere. cuius, quòd ſint elegantiſſimi verſus adſcribere viſum eſt.

I nunc, & ventis animam committe, doloſo
Confiſus ligno, digitis à morte remotus
Quattuor, aut ſeptem, ſi ſit latiſſima tæda.

Tempeſtate ſedata, cùm Deus qui mari pro arbitrio imperat, ventum ſecundum excitaſſet,

ſet,ad mare Hiſpanum peruenimus, Noníſque Decembr. obiectum habuimus promontoriũ Sacrum. quo in loco, Hibernica naui obuiam facta,arte, de qua paulò antè diximus, noſtri epibatæ ſex ſeptémve Hiſpanienſis vini dolia, ficus,maláque Aurantia exportarunt.

Sacrũ Promõtoriũ.

Septimo pòſt die, ad tres inſulas delati ſumus ex Fortunatis: has qui è Neuſtria nauigant, Gratioſam,& Lancilotam, & Fortauenturam nominant, antiquis autem appellabantur, Aproſitus & Iunonia, Ombrióſque: ſeptémque numero ſunt, quas nunc, vt opinor, omnes, Hiſpani occupant. Et quamuis in orbe deſcribendo,quidam Fortunatas inſulas,ſub vndecimo citra æquatorem gradu collocent: cùm me pręſente, Aſtrolabus litem diiudicaret, inuenimus, ad viceſimum octauum Arcticum verſus ſitas eſſe: idcirco fatendum eſt, ſuo aliorúmque periculo,decem & ſeptem gradibus,iſtiuſmodi Coſmographos aberrare quibus eas inſulas à nobis remouent longiùs.

Fortunatæ inſulæ.

Hîc ſcaphis eductis, viginti ex noſtris bene armati ad populandũque progredientes, conſpicati ab Hiſpanis,& repulſi,fuga naues petiêre.Attamẽ cùm ſe in omnes partes conuerterent,nauigiolo piſcatorio metu ab ſuis derelicto facti obuiã,cùm maximã vim marinorũ canum,circinorúmque nauticorum abſtulêre, nihílque omninò,ne velis quidem exceptis reliquêre:tùm quòd de Hiſpanis peius mereri nõ poſſent,quos vlciſci percupiebant,ſcapham vnà cum lintre ſecuribus depreſſerunt.

Dum tres dies,ob malaciam,propè Fortunatas insulas commoramur,hamis retibúsque ingẽtẽ piscium copiam cepimus:ideóque veriti, quòd aqua dulcis non suppetebat, ne siti premeremur,plus dimidia parte,in mare coniecimus. Genera, canes marini, Auratæ,piscésque alij quorum ignorabamus nomina,erant etiam Trichides, corpore tam paruo, vt caput cum cauda(quæ nihilò minus lata est) cohærere videatur:capite autem galeæ cristatę persimili,satis prodigiosę. Decimo septimo cal. Ian. mari tertiò intumescente,scapham quæ vni ex nauibus adhęrebat,fluctus tam citò compleuit, vt pessum iret: víxque duo nautæ,qui asseruabant, demissis è naui funibus periculum effugerent. Illud etiã cõmemorandum videtur quod accidit,tẽpestate dies quatuor desæuiente: coquus quidam laridum in cado ligneo temperans,fluctu supra foros elato,cùm cibum in mare longè proiectum amisisset:fluctus alter oppositus, eundem in locum vi magna retulit, neque cadum subuertit,veréque prandiũ restituit,quod vt aiunt,præter casam fugerat.

Trichides prodigiosę.

Admirabilis fluctuũ reciprocatio.

Canaria.

Ad 15.Cal.Ian.die Veneris Canariam in cõspectu habuimus.consequenti autem Dominico propius facti,erat constitutum ibi cõmeatũ expedire:aduerso tamen vento insulam nõ tenuimus. Hæc amœna est admodum, quam & incolunt Hispani,gignítque saccharũ in arũdinibus, & vina præstantissima. Cæterùm tanta est latitudine, vt LX passuum milibus interiectis conspici possit. A quibusdam Taneriffe dicitur

citur, opinantibus antiquorum Atlãtem esse, à quo mare vocatur Atlanticum. Alij contrà, autumant duas esse insulas, Canariam & Taneriffen. quæ lis, quòd ad me attinet, manebit sub iudice.

Eo die ipso sumus conspicati myoparonem Lusitanum: qui cùm neque fugere posset, quòd vento ferebatur aduerso, neque armis confideret: contractis de more velis, Boisio se tradit in manus. Nec morati centuriones, vt qui iandiu decreuissent, suæ classi nauem adiungere, quã Hispanis Lusitanísve sperabant se erepturos: in myoparonem, ne aufugere posset, quosdam ex suis imponunt. Veruntamen, cùm nescio quibus de causis, Lusitano gratificari vellent, si confestim myoparonem alterũ inuenisset adduxissétque, quem eripuissent, redditum iri promisêre. Ille, vt qui sibi melius esse vellet, quàm alteri, accepta, vt postularat, vnà cum armis scapha, viginti autem ex nostris, cũ quibusdam ex militibus suis: prædonis more, pyraticam enim, vt opinor factitabat: vt de improuiso fortunam experiretur: longè classem contendit anteuertere.

Myroparonis deditio.

Tum legebamus oram Africæ, à Mauritanis occupatam, ab ea ferè disiuncti quatuor milia passuum: estque, vt à multis tunc fuit obseruatum, terra valdè plana, humilísque adeò, vt quantum oculi valebant, montibus nullis officientibus, ea nobis viderentur altiores, ita vt, breui submergenda crederetur, nauibusque superanda. Et quamuis, oculo iudice, se ad hunc

Mauritania.

modum res habeat in omnibus ferè littoribus, tamen cùm illustrius apparêret hoc in littore; cùm tantam ego planiciem, quæ vallis haberi poterat:cõtrà, mare tranquillissimum, quod altissimi montis effigiẽ præferebat, intuerer: memoria repetens quæ hac de re, sacræ docent literæ: illud excellentissimum Dei opus, magna cum admiratione, contemplabar.

Iob.38.3. 10.11. Psal. 104.9.

Vt ad piratam redeam, qui vt diximus, scapha erat antegressus, ad 8. Cal. Ian. quo die natus est Christus, in Liburnicam incidit, quã tormentis petere, vique retinere contendit, & ad nos adducere. Quæ res valdè nostris cẽturionibus placuit. nauis erat enim eximia, & plena sale candido: quam, vt decreuerant, in Brasiliã ad Villagnonem deduxêre. At in fide Lusitanis præstanda, de restituẽdo myoparone, crudeles adeò extitere: vt Hispanis & Lusitanis, in vnum idemque nauigium coniectis, ne frusto quidẽ nautici panis relicto, velis dilaceratis, scapha etiam ablata, qua destituti terrã tenêre nõ possent: mitiore consilio vsi esse viderentur, miseros si depressissent, quàm si ita dimisissent. Nã nisi aliunde scapha laborantibus opitulata sit, certũ est, aut naufragio tandẽ, aut fame perisse.

Myoparonis expugnatio.

Nautarum crudelitas.

Hoc facinore, compluribus inuitis, perpetrato: longè sumus in altum prouecti, secundo flante Vulturno. Ne autem lectori fastidiũ pariam, si tot naues expugnatas, sigillatim commemorẽ: crastino, tertióque pòst die, cùm resisteret nemo, duas in potestatẽ redegimus. Cũ Liburnicam, quę prius occurrit, epibatę nostri

Duarum nauium deditio.

præ-

prçcipuè qui myoparonem Hispanicũ ascenderant prçdę habere cuperent: eaque de causa essent minoribus tormẽtis aggressi: ducibus tamẽ vltrò citroq; colloquutis ab iniuria tẽperarũt. Ex Hispaniẽsi altera, vinũ, panis nauticus, aliáque cibaria direpta. Nullius ramẽ rei iacturã magis conquerebatur Hispanus quàm gallinę. hãc aiebat, cùm procelloso mari ponere nõ intermitteret, ouũ sibi quotidie in naui sufficere.

Die dominico, qui proximè sequutus est: cũ is, qui speculabatur signũ de more dedisset, animaduersis quinque nauibus (de quarũ magnitudine atq; forma diiudicare nequiuimus) nautæ nostri, quibus fortasse non sum placiturus, eorũ virtutibus prędicãdis, expediti & ante victoriã pæana concinẽtes, se cõsequi posse arbitrabantur. Sed cùm nos aduerso, illi secundo vento delati, velis, vt aiunt, remísque fugerẽt: quãuis magno ne classis euerteretur periculo, pedẽ vndique faceremus, ad prędamdúmq; milites incumberent: frustra defatigati manũ cõserere non potuerunt.

Ne quis autem quæ cõmemoraui hactenus, falsitatis accuset: nos videlicet, cùm Brasiliã peteremus, mare infectum habuisse: obuiis aut fuga saluti consulentibus aut vela demittentibus: affirmabo tribus omnino nauibus, quæ tormẽtis erãt instructissimæ, adeò vt quæ me accepisset, maiora octodecim ex ære tormẽta, minora è ferro plus triginta sustineret: nautas milités; decreuisse, vt qui omnes ferè essent Neustrij (gens in naumachiis omniũ quæ Occidẽtẽ versus nauigant, bellicosissima) si Lusitatę classi

Neustrii in naumachiis excellunt.

occurriſſent confligere, magna ſpe victoriȩ. Animoſum certè conſilium, ſi ab iis qui res geſtas memoriæ prodiderunt, nominatímque ab Oſorio repetamus, quantum armis Luſitani excelluerint, quas nationes, quámque varias deuicerint: cùm & bello contra Mauritanos in Africa contenderunt, & Orientem verſus contra Indos dimicarent, opponi tamen poſſet Gallos Barbaris dexteritate præſtare (ex quibus cùm initio peterentur, extitêre, qui aluearibus apum in hoſtes coniectis ſe defenderent) neque ſine ſanguine & ſudore, tam fortes viros vnquam poſſe ſuperari.

Oſor. in Hiſtor. Luſ. li. 8. & 9.

CAP. III.

Bonitæ, Albacoræ, Auratæque, & ſues marini piſcéſque volatiles, aliique: quos tum vidimus, tum cepimus ſub Zona Torrida.

EX illo tempore, tranquillitate vſi ventóque accommodatiſſimo, ad tertium ferè gradũ citra Æquinoctialem peruenimus. ibi maximam ſuum Marinorum copiam & Auratarum, eorúmque piſcium cepimus quos Albacoras & Bonitas, qui è Neuſtria nauigant, appellare cõſueuêre: ex aliiſque generibus quamplurimos. Quo in numero erant & piſcium volantiũ. de qui

Piſces volantes.

quibus cùm nautæ mentionem facerẽt, existimabam nobis imponere velle: donec ita se rem habere comprobauit experientia. Tum è mari emergere, & sublimè volãdo gregatim petere pisces vidimus, in morem alaudarum sturnorúmque: volatus verò altitudine hastam æquabat, lõgitudine centum passus. Sæpenumerò ad malum nauium impingentes cadebant, & manu facilè capiebantur. Piscis est vt eundo & redeundo animaduerti multoties, haleci valdè similis: paulò tamen & longior & rotundior: habéntque sub gutture paleolam, alis ad modum vespertilionis toto corpore contextis porrectísque: sapore autem suauissimo & probatissimo. Cæterùm, quoniam huius generis nullum citra Tropicum Cancri videram, primò existimabam quòd calore gauderent, sub Torridâ Zona degere, in neutrámq; partẽ Polos versus excedere. Sed cùm quidam scripserit marinas hirundines, propè Magellanicum fretũ videri: quas opinor easdem esse, rem in medio relinquere visum est. Obseruaui etiã istiusmodi pisces nusquam tutò agere posse. Nam cùm in mari degunt, albacoras prædonésque alios è piscibus habent inimicissimos: si subuolando periculum effugere tentant, aues sunt marinæ, à quibus capti vorantur.

Aues marinæ.

Dicẽdũ quoque aliquid videtur de his auibus quę prędã è mari pro victu habẽt. Hæ sunt adeò cicures, vt supra foros funésq; nauiũ sidẽtes, capi manu patiãtur. quarũ certissima, vt qui de iis gustauerim, penitúsque cognouerim, hęc

eſt deſcriptio, pluma ſunt, vt accipitres,leuco-phæata magnitudine cornicum eſſe videntur, nudati paulò plus carnis habent paſſere: vt mirum ſit corpore tam paruo capere poſſe, atque in vſum vertere piſces multo ſe maiores, atque craſſiores. Denique vno ſunt inteſtino, pedibúſque planis, vt anates.

Bonita piſcis.

Quod ad cæteros piſces attinet, de quibus paulò ante diximus: Bonita nulli ſapore cedit. Cyprinis communibus aſſimilis, cùm ſquamis tamen careat: illas maximo vidi numero, circiter quadraginta dies quibus ferè noſtris nauibus adhęſerunt, ídque accidere veriſimile eſt, quòd pice naues vnctæ ſint.

Albacoræ.

Albacoræ autem à Bonitis forma non admodum alienæ, tamen cùm & viderim, & comederim Albacoras, quinque pedum longitudine, craſſitudine corporis humani, quod ad earum magnitudinem, nulla eſſe poteſt cum Bonitis collatio. Deinde cùm nullo modo ſint Albacoræ viſcoſæ, ſed carne vt ſalar friabili, nullis aculeis, paucis viſceribus, inter piſces optimos ſunt annumerandæ. Et quamuis quæ ad condiendam Albacoram, neceſſaria videbantur,præſtò nō eſſent (vt accidit peregrè nauigantibus,)ideóque ſale cōtenti,latis orbibus, igne toſtam ederemus:tantillo tamen apparatu erat nobis gratiſſima. Quamobrem ſi Cupidiariorum natio, quæ mare tentare non audet:nihilóq; ſecius(vt de fele vulgò dicitur)ſiccis pedibus, abligurire piſces percupit, Albacorã in cõtinenti tam facilè mercaretur, quàm reliqua

genera,

genera:ecquid dubitatis quin vnà cũ pifce digi tos fæpe circumlamberet?vt enim dixi de hirũ dinibus marinis, cùm Albacoræ degant inter Tropicos,in altóque mari verfentur,nõ ita littoribus appropinquant, vt à pifcatoribus integrę ad nos peruenire poffint. Quod verò ad Africanos attinet, qui mare ad Orientẽ accolũt, Perufióſque qui Occidentem verfus, tum & Albacoras facilè pifcari: tum incorruptè fuis apponere, credibile eft.

Aurata, quæ meo iudicio ita vocatur, quòd in aqua luteo effe colore videatur, & auro quã fimillima, figura Sulmoni proxima eft: differt tamẽ dorfo depreffiore. expertus ita pronũcio: Auratã nõ tantũ cęteris de quib' mentionẽ feci mus, bonitate prȩftare: verũ etiã nego, in mari fluminibúfq; quicquam inueniri poffe fuauius.

Aurata.

Suum autem marinorũ duo funt genera, vnũ roftro acuto, vt anferes, alterũ tã obtufo, vt cũ è mari attollit, fphæra effe videatur. Idcirco ab ea fimilitudine, quæ eft illi cũ cucullatis, capita monachorũ appellabamus. Ex iis animaduerti lõgos circiter fenûm pedũ, cauda lata, biffidáq; in capite omnib. erat foramẽ, quo fpiritũ ducere, & vndã vibrare folebant. Cùm incipit mare commoueri, fuper aquam eminentes, præcipuè nocte tempeftate conflictati, virides apparent, viridémque reddunt maris effigiem. præterea in morem fuũ terreftriũ, altè anhelant ftertũtque. Quamobrem nautæ illos vagari & refpirare confpicati, tempeftatem certiffimè prȩfagiunt, quod & fæpe fum expertus. Et quan-

Sues marini.

Ingens suũ marinorũ copia.

uis, cùm tranquillitas esset, pelago modò crispante, vndique suum marinorum circumiecta multitudine, quoad prospici posset, totum mare illis constratum videretur: tamen cũ non tàm faciles captu essent, quàm pisces reliqui esse cõsueuissent, prout collibuisset in promptu non erant. Itaque, vt lectori satisfaciam cumulatius, qua tandẽ arte capiantur, explicabo. Qui probè inter eos, piscandi modum callet, cõspicatus è prora, harpagonémque ferreum manu tenens longurio reuinctũ longo crassóque vt hasta dimidiata: qui etiã funi alligatur viginti circiter pedum: gregatim accedentibus, quẽ ferire possit eligens, tanta vi harpagonem iaculatur, vt si rectè percutiat, ferro sus adunco teneatur: tum relaxato fune quo ad fieri potest, dum se dolore saucius in omnes partes cõuertit, ferróque magis induit, sanguis eum paulatim virésque deficiunt. Nec morati nautæ cęteri, manu ferrea, quæ & ipsa longurio adhæret captum in nauem pertrahunt. Hac ratione viginti quinque in itinere cepimus.

Modus piscãdi sues marinos.

Suum marinorũ intestina.

Quo ad intestina, si vt porco, ita & sui marino quatuor tanquam pernæ demantur diuidatúrque, & visceribus, spina etiam dorsi, costísque ablatis eundem in modum pendeat, hic illi valdè similis erit. Iecur eodem sapore. Caro tamen recens dulcior & deterior. Pinguedo in omnibus quos vidi, pollicis crassitudinem non excedebat, nullámque puto inueniri quæ duos superet digitos. Itaque, ne nobis amplius imponat id, quod Lutetiæ alibíque laridũ quadrage-

simæ

ſimæ piſcatores appellant, ſuíſque marini pinguedinẽ eſſe arbitrãtur: Nam ea cùm plus quatuor digitûm craſſitudine pateat, Balænæ cenſenda eſt. Cæterùm quoniam in quarundã aluo quas venati ſumus paruuli ſunt reperti, quos vt lactentes aſſos apponebamus, nulla contrariæ opinionis habita ratione, magis exiſtimo ſues marinas vt ſcrophas, viuos quàm oua parere. Qua de re ſi accuſer, ad arbitrium eorũ qui experti ſunt potius, quàm qui ſcripta tantum legêre prouocans: vt rem diiudicare mei non eſt inſtituti, ita nemo, quin ea quæ viderim certa eſſe credam, iure interdicturus eſt.

Permultos etiam Requienes, vt à Neuſtrijs appellantur, cepimus. Ij quoque mari ſedato virides apparent: quibuſdam longitudine quatuor pedes ſuperantibus, craſſis pro magnitudine corporis. Tamẽ quòd eorũ caro minus probetur, neceſſitate cõpulſi & meliorum inopia, nautæ Requienẽ attingunt. Pelle ſunt aſpera ſerratáque, capite plano atq; lato, ore patulo tanquã lupi Moloſsíue Britannici. Cũ hac de cauſa monſtroſi ſunt, tũ dentibus acutiſſimis damnoſi, quemque ſemel corripuerint, aut dilacerant, aut in mare deprimunt. Qui lauant in Oceano ſibi à Requienibus valdè timere coguntur. Nec cùm eſſent educti ſupra foros nauium, quod ſæpe accidit, hamis è ferro digitali craſſitudine minus ab iis cauendum erat quàm à feris canibus. Quapropter cùm neque capti neq; liberi ab iniuria tẽperarent: parũque ad veſcẽdum accommodati cenſerentur: quos eramus

Requienes

Requienes damnoſi.

piſcati lancinantes, atque cruciantes, vt damnoſis animantibus dignum erat, claua ferrea mactabamus. Deciſis aliquando branchiis, doliíque circulo per caudam traiecto, in mare proiiciebamus: tum ſe ipſi iactantes quòd diu non mergebantur, ingenti nos voluptate perfundebant. Cæterùm, etſi ſub Zona Torrida, non ſint ea magnitudine teſtudines, qua in Rubró Indicóve mari Plinius eſſe dicit, vt ſingularum ſuperficies contegendis habitabilibus caſis, parandiſque cimibus accõmodentur: tamen cùm tantæ ibi exiſtant, vt parum ſit credibile, breuiter attingere viſum eſt. Proponam igitur ſpecimen, quo de magnitudine lector iudicare poterit, vnam videlicet in naui Boiſiana captam, adeò grandem extitiſſe, vt octoginta hominibus, quos nauis acceperat, more nautico prandentibus, largè ſuffecerit: ſuperior teſta ouali effigie, lata duos pedes cum dimidio, & iuſta craſſitudine centurioni Mario ad clypeũ data eſt. carne tam proximè ad vitulinam accedunt, vt lardo traiectæ, toſtæque, eodem ſapore videãtur. Hic quoque vt animaduerti, earum eſt piſcatus. Tranquillo mari, aliâs enim raró apparent, in ſumma pelagi euectis, Sol teſtam accendit, vt pati non poſſint: itaque ſe inuertunt ad reparandũ calorem, diúque in gyrũ verſant: hoc conſpicati, manu ferrea cõmiſſuræ teſtarũ impacta, vi magna nautæ quatuor aut quinque connitentes, in phaſelum pertrahunt.

Marinę teſtudines. Plinius li. 9. cap. 10.

Modus piſcandi marinas teſtudines.

Hactenus de marinis teſtudinibus ſcripſerã. At Theuetus in ſua virorum illuſtrium Hiſtoria, Quoniambeci mentione facta gigantis fi-

ctitiis graphicè ostendit perculsum ingenium. Quemadmodum enim patet huiusce Cõmentarij exordio in me inuectus ineptissimè tandẽ exclamat. *Quid dicemus de prodigiosis testudinibus illis, quas iam horrenda magnitudine sub Torrida Zona finxit, vt octoginta homines vna impleuerit (qui fortasse non esuriebant) testa autẽ superior contegendæ habitabili casæ suffecerit, quã destinasse hominibus nõ arbitror sed insectorum generi.* Cũ igitur Theuetus plagis se denuò induerit, cadat sanè in foueam, vnde nunquam poterit emergere. Itaque audiamus quę scribat cap.14. Singular. Amer. de testudinibus loquens, quas dicit esse in insulis pertinẽtibus ad viride promontorium. cuius quidem hæc sunt verba, *Inter illas testudines*, ait, *quædam reperiuntur tam ingenti magnitudine, vt homines quatuor vnã retinere non poßint: quod tum vidi, tum ab exploratæ fidei auctoribus didici. Plinius etiam tradit, tam immanes in mari Indico testudines existere, vt casam testa integat, intérque insulas Rubri maris eisdem testis ad cymbas vtantur. In mari Persico fretóque Carmania similes inueniri Plinius idẽ author est. Deinde Theuetus, quot modis capiãtur explicatis, cogitandũ relinquo, ait, quãta testæ sit craßitudo si cũ amplitudine cõferatur. Nã qui & fretũ Magellanicum incolunt Barbari & qui flumen Argenteum iis ad excipiendos ictus hostium pro scutis vtũtur: Similiter & pro vallo Amazones (has commentus est Theuetus, nusquam enim apparent) mare Pacificum accolentes, cùm oppugnata turgiola defendunt, testámque asseuerare ausim*

Plinius. li. 9. cap. 10.

adeò esse firmam vt minusculi tormenti, quod manu gestatur, glande traiyci non posit: Insulani circa viride promontorium affatim vescuntur testudine, vt apud nos bubula aut veruecina: Nam & vitulinæ similis est, eiusdemque saporis. Hæc ille: quę vt cætera prætermittam, per se satis apertè accusationem qua me iocando aspergere conabatur, in autorem retorquent. Et quoniam, parum de prouerbio cogitauit, quo fecit mendacem esse memorem oportere, quàm perfricta fronte calumniatorem agat, demonstrandum est clariùs. Ac primùm lectoribus animaduertendum est, quod Theuetus accusat, nempe testudinis testa posse casam contegi, non à me sed à Plinio quem laudaui esse dictum: Hunc etiam locum citauit prolixius, bonus ille reprehẽsor. Et si vitio vertẽda est authoris prolatio, primus peccauit Theuetus scilicet. quamobrẽ vno verbo tùm ego à culpa liberor, cũ ille conuincitur. Restat vt purgem id, quod insimulat esse commemoratum elatiùs, nimirum testudinem in naui Boisiana captã octoginta mortalibus largè cibum præbuisse. Quid tum? An magis vero est simile Theuetũ vidisse tã magnas testudines, vt à quatuor piscatoribus retineri nõ possent: qui nõ modò porcũ retinerent, tãta corporis mole: verùm etiam bouem, vnde homines plus mille quingenti lautè pranderẽt. Si tamen robore cum celebri Quoniambeco essent comparandi, quem ineptissimus ille cẽsor cõmẽtus est. Alias enim vt iocãdo ait, se nõ arbitrari, casas testudinis coclea intectas, me homini-

minib. sed insectorũ generi destinasse: (quãuis Plinium accuset) si aut Pigmæi, aut deplorata valetudine homines piscarẽtur, magnũ esset periculũ scilicet ne prodigiosa illa testudo effugeret. Itaque vt coerceatur pressiùs, dandum est homini consilium, vt ascendat bestiam, assumpto etiã è testa clypeo, qui minusculi tormenti glande transuerberari non possit, accersat quoque Amazonas (quæ nusquam sunt) infinita multitudine ad opem ferendam conuocata, si monstrum illud sæuiat. Denique sibi egregiè prouidebit, euocato nominatim Quoniambeco, qui permagnum vini doliũ vlnis amplexus, & facillimè sustinens, singuláque humeris maiora ex ære tormenta, ministris comitantibus, ad præbendos calices, ignémque tormentis admouendum, ita primam firmet aciem. Quare, quoniam in confutationibus pręstigiatorem illi agere visum est hac veste indutum, decreui hominem dimittere. Hęc habui de testudinibus breuiter explicanda & aliis piscibus, postea mentio fiet de Delphinis, atque etiam Balænis, pluribúsque Cetaceis.

Theuetus suis coloribus depingitur.

CAP. IIII.

De Æquinoctiali circulo, tempestatibus, ventorum inconstantia, pluuijs corruptis, caloribus, siti aliisque incommoditatibus, quas circa illam mundi plagam sustinuimus.

Ventorum incőstátia circa Æquatorem.

VT de nauigatione absoluam, tribus aut quatuor citra Æquinoctialem lineam gradibus, vento destituti tempestate aduersa non modò vsi sumus pluuia malaciáque inuicẽ succedentib. verũ etiã (vt nauigatio difficilis atq; periculosa est circa Æquatorẽ) obseruaui ventorum inconstantia sæpe accidisse, vt tribus nostris coniunctim hærentibus nauigiis, vnumquodque subito peculiari flatu raperetur, figurámque trianguli Orientem Occidentémque versus & Septentrionem delata, efficerent: nulla nautarum industria prohibente. Illa ventorum conflictatio, erat momentanea, erumpebántque vortices, qui & subitò cursum remorabantur, & è vestigio vela tam impotẽter inflabant, vt mirum sit nauem non inuertisse millies.

Pluuia fœda & contagiosa. Æstus maximus.

Pręterea quæ sub Æquinoctiali circulo decidit pluuia, fœda cõtagiosáque est, vt si collapsa corpus attigerit, enascantur pustulæ, vestésque maculentur. Sol autem mirè feruet, qua de causa caloribus pressi maximis, ingẽti quoque siti la-

laborabamus: quòd aqua dulcis, poculētáve alia (si prādioli tempus demas & cœnulę) nos omnino deficeret. Vnde accidebat, quod mihi vsu venisse memini, halitu consūpto, vt hora plus obmutescerem. Hac necessitate cōpulsi nautę, nihil magis habent in votis, quàm vt aqua salsa cū dulci cōmutetur. Si quis opponat (repudiato in vndis pereunte siti Tantalo) fieri posse vt aqua marina bibatur, aut humectando saltē palato inseruiat: Respondeo nullis omninò remediis aquæ salsæ per ceram colandæ, alitérve distillandæ (præterea quàm fluctuationes nauiū instituendis fornacibus, lagæniśque conseruandis minimè conueniunt) effectum esse, nisi quis vellet, simulátque ori admouisset, ipsa etiā euomere viscera, vt ea degustationi accommodaretur, & potui multò minus. Attamen vitro infusa splēdore & puritate nulli cedit. postremò aqua marina (quod & sum admiratus & Philosophis examinandum relinquo) si lardum, halecem, aliáve carniū & piscium genera valde salita temperes, & magis dulcia fient, & citius quàm si fontana.

Nautarum desideriū. Aqua marina minimè potabilis.

Vt vnde sum digressus eò redeam, fastigium nostræ, sub Zona Torrida, miseriæ fuit, quòd maximis & continuis imbribus ad carinam vsque permeantibus nautico pane corrupto & mucido, quo tamen vtebamur admodùm exiguè, vermes vnà cum pane, tot inerant enim, quot micæ, nihil abominati, ne siti conficeremur, edebamus: vitiata quoque aqua dulcii oppletáque vermibus

Nauticus nauis corruptus.

cùm è vasis effunderetur stomacho nullus erat tam firmo quin expueret. Qui autem bibebãt, vna manu tenêre poculum, altera ob fœtorem nares comprimere cogebantur.

Aduersus delicatos inuehitur.

Interea quid vobis in mentem venit, hominum delicatissimi, calorem exiguum ferre non potestis tunicáque interiori, commutata, benè tersi, opaco in conclaui & splẽdido, cathedra lectulóve impositi, otium agitis? vobis cordi non est ad mensam accumbere, si lances nitidissimæ, vitra benè lota, candidiora niue ipsa mantilia, dapes conquisitissimæ apparatissimęque, vinum deest Smaragdo clarius? Vultis nauigare vt ad hunc modum vitam traducatis? vt autor vobis nequaquam sum futurus, eáque de re minus cogitabitis, cùm quid in reditu acciderit audietis: ita cùm de mari mentio incidit, & nauigationibus tam longis, vos vellem oratos qui ex libris tantum sapitis, quódque multò est deterius, ex eorum fabulis, qui mare nunquam viderint vt elato supercilio Mineruam non doceretis: hoc est vt interpretor, iis paululum cederetis, qui tot incõmoda perferendo ea sunt experti, quæ nullo certè modo in animum irrepunt, nisi periculum ipse fecerit.

Gubernator nauis egregius sine literis.

Addam cùm ad ea quæ antè commemoraui de varietate ventorum atque tempestatum, imbribus fœtidis & caloribus: tum quæ in Oceano generaliter fiunt, præsertim sub Æquatore: vidisse me Ioãnem Meunium Hareflorienfem, ex nostris gubernatoribus, qui cũ literas nesciret, cognoscendo Astrolabo, chartísq; nauticis

&

& Baculi Iacob assequutus est tantam nauigãdi peritiam, vt sæpenumerò, maximéque cum esset tempestas, silentium imponeret viro benè docto, quem nominare non habeo necesse: cùm iste tamen pacato mari explicãdis Theorematis excelleret. Nec interea propositum est, quicquam detrahere de iis artibus, quæ in scholis docentur, & literarum monumentis conseruatæ sunt. Sed magnopere vellem, nulla vt hominum autoritas, & ratio cum experientia contenderet. Veniam igitur à lectoribus efflagito, si in memoriam reuocans nos aqua putri, & mucido pane vixisse, permultásque rerum incommoditates perpessos esse: misera illa conditione, cum lautis censorum istorum dapibus comparanda, sum ab incœpto sermone paululùm digressus, & in eos inuectus. Accidit sæpè ob eas de quibus antè diximus difficultates, quę posteà demõstrabuntur fusiùs, absũpto omni cõmeatu citra Zonã torridã, retrò naues abiisse quòd æquatorẽ supare nõ possẽt.

Cùm hac miseria conflictati circumeundo, & paulatim appropinquando, trigintaquinque diebus transmittere tentassemus, pridiè Nouembr. Febr. Deo propitio, Æquatorem attigimus. Æquator autem dicitur, non tantum quòd sub hac linea, dies noctibus perpetuò sunt æquales: verùm etiãm quòd cùm Sol ad eam redit, quod in anno bis accidit, nimirum ad 5. Cal. April. & Id. Septembr. eadem toto in orbe dierum & noctium existit æqualitas, ita vt qui sub Arctico & Antarctico degũnt, duob. illis demũ in anno dieb. lucẽ noc-

Æquator quare dictus.

Eleuatio Poli Antarctici.

témque participent, euestigiò Sole ab eorum conspectu alternatim recedẽte ad sex omninò menses.

Quo igitur die mũdi Zonam sumus præteruecti nautę solẽnia vsurpauere: Etenim ad memoriam eius rei conseruandam, qui nunquam sub Æquatore fuerunt, eos funibus alligatos in mare demittunt: aut panniculis cacabo affricatis atro vultum inficiunt, vectoribus tamen se pecunia redimere licet, quod & mihi contigit.

Historia vniuer. Ind. lib. 3. cap. 98.

Itaque Iapyge secũdo delati sumus ad quartum gradum vltra Æquinoctialem. Hic Polus Antarcticus primùm à nobis est visus (quem Neustrij Stellam Su appellabãt) quibusdam stellis, vt ab illo tempore animaduerti, in modum crucis depictũ: ideóq; sydus integrũ in stellam Su nominãt. Retulêre, vt quidã scribit, qui hoc primũ iter sunt aggressi, albidã circa Polũ Antarcticum nubeculã perpetuò videri quatuórque stellas, crucis forma, cum tribus aliis, quæ Septẽtriones valdè referunt. Iamdiu Polus Arcticus à conspectu nostro aberat: obitérque dicam, non modò sub Æquinoctiali Polum vtrumque non apparere, quemadmodum plerique arbitrantur, sed neutrũ, nisi duobus emẽsis vltrà citráve gradibus.

Sol pro Zenith.

Id. Feb. cùm sudum esset, nautæque Solis altitudinem Astrolabo depræhendissent, affirmant ad perpendiculum radiare. Idcirco, quamuis periculi faciendi gratia, pugiones, cultellos, aliáque id genus supra foros defigeremus,

mus, nostris in celocibus eo die, meridiano præsertim tempore, vmbra nusquam est visa. Duodecim ferè gradus prouectis tẽpestas tres quatuórve dies aduersa extitit: paulò post è cõtrario tanta malacia facta est, vt interea celocibus immotis perpetuò hic mansissemus, nisi ventus flauisset.

Balenæ.

Toto itinere nostro nondum Balęnæ obuiam erãt factæ, tum verò propè vidimus. Quo in numero vna, quæ facillimè potuit conspici, iuxta nauim emergens, quoad se commoueret, scopulus credita est, vt metuerem ne impacti, fracta celoce periremus: obseruaui cùm se in mare absconderet, antè caput exerentem, ore plus doliis aquæ duobus eiecisse, demergentémque tantum excitasse fluctum, denuò vt vererer ne in gurgitẽ nos ad se pertraheret. Estque profectò res horrenda, vt in Psalmis, Iobóque legimus, eiusmodi monstra tam facilè in Oceano ludere.

Psal.104.26. Iob.40.26.

Delphinas pisces alij comitátur.

Vidimus etiam Delphinas compluribus piscium generibus comitatos, & militari ordine incedentes: in mari subrubido esse colore putantur. Ex istis vnus sexies septiésve tanquam gratulari vellet, celocem qua eram vectus circundedit: nos inuicem mihil non tentauimus, is vt caperetur, sed cautè cùm refugeret capi nunquam potuit.

CAP. V.

De primo Indiæ Occidentalis conspectu, & incolentium Barbarorum: déque ijs quæ in mari acciderunt ad tropicum vsque Capricorni.

Dies quo primùm America nobis detecta est.

INDE secundo die flante Fauonio, ad v. Cal. Mart. anno 1557. manè circiter octauam horam, in conspectu Occidentalem Indiam habuimus: quæ & Brasilia, & quarta orbis sectio antiquis penitus incognita & America dicitur: eius nomine, qui circiter annum 1497. primus eam detexit. Explicare superuacaneum est, quàm læti quámque alacriter Deo egimus gratias, tam propè intuentes continentem optatissimam, breuíque adeundam. Explorato igitur, quod eramus conspicati terram esse (decipi enim facile est nubibus in aërem abeuntibus) eo die ipso, flatu secundo, & prora in altum constituta, cùm Boisius esset antegressus, anchoræ iactæ sunt mille passibus interiectis, à regione aspera *Huuassou* Barbaris appellata: tum educta è naui scapha, & tormentis aduentu significato, vt assolent, qui illas regiones adeunt: virorum mulierúmque statim manus ingens visa est stare in littore. Hi omnes, vt à quibusdam ex nostris, qui loca illa iam antè cognouerant, est animaduersum: erant natione *Margaiates* Lusitanis confœderata, Gallis autẽ inimicissi-

Americus Vespusius in Americã primus nostra memoria nauigauit.

Huuassou locus asper.

Margaiates Gallis inimicissimi.

cissima: vt captis nulla liberationis merces sol uēda esset alia, quàm vt mactati concisiq; barbaros saginarēt. Tū quoque vidimus mense Februario (qui ferè tota in Europa est frigidissimus, gelúque impedit, ne quid è terra prodeat) nemora & lucos herbásque tam esse virides, quàm sunt in Gallia, Maio & Iunio mēsibus, quo vere perpetuò fruuntur Brasilienses.

Nemora, herbæque semper virent in America.

Hostilis *Ouetacatium* atque Gallorum inter se animus, quem vtrique vehementer dissimulabant impedimento non fuit, quominùs è naucleris vnus, qui eorum linguam mediocriter nouerat, cum nautis aliquot scapha conscensa, littus peteret, vbi magna multitudine Barbari constiterant. Nec tamen intra teli iactum accedere, sed vereri ne à feris hominibus capti interfectíque torrerentur. Ita eminus ostendere cœperunt cultellos, specula, pectines, aliáque id genus cum quibus ad victum pertinētia commutare si vellēt, petebant. Qua re à quibusdam qui propius accesserant, intellecta, nec rogati pluribus, mira celeritate quæsitum excurrêre. Mox redeunte Nauclero farina quapiam ex radice, qua panis loco vtuntur Brasilienses, pernæ carnesque ex aprorum genere, aliáque ad victum necessaria, fructus etiam magna copia, quales gignit regio, allati. Præterea vt & dona offerrent, & aduentum gratularentur, sex, vna comitāte fœmina, Barbari scapham ingressi, sponte sua nos inuisêre. Quos cùm primùm vidissem, lectoribus cogitandum relinquo, quàm eos sim

Farina ex radice, aliáque Barbarorum cibaria.

Primi Barbari ab autore visi, & descripti.

attentè contemplatus, de quibus etsi commodius & fusius agendum est suo loco, hîc tamen attingere obiter nonnulla decreuimus. Principio tum viri, tum fœminæ nudi æquè agunt, atque quum ex vtero prodiêre, ad ornatum toto corpore atrati. Cæterùm viris est familiare sinciput attondere in formam coronæ monasticæ, occipitis verò crines demittere, quos tamen vt hi solent qui apud nos alunt comam circa collum resecant. Ad hæc pertuso inferiori labro, viridi colore politulum lapidem, capitati argentei latitudine atque crassitudine insertum gestant, quo dextræ foramen illud aperiunt claudúntque. Hunc ad venustatem vsurpant: quo tamen auulso, & in labro inferiori, tanquam ore altero hiante apparent turpissimi : fœminæ labrum minimè perforant, sed vt nostrates crinem valdè summittunt, auriculas autem adeò traiiciunt, vt digitum accipiant: vnde candida ossa pendêre & supra humeros fluctuare solent. Aliò reiicienda videtur eorum confutatio qui Americanos esse villosos falsò sunt opinati. Antequam autem Barbari à nobis discederent, duo senes qui authoritate præstabant, demonstrant, illa in regione maximam esse vim Brasilii optimi, cui & secando, & exportando suam operam pollicentur, résque ad victum necessarias : nihílque prætermittit, quò persuadeant, vt manere vellemus. Prætereà quàm aliò tendebamus, manendi ratio non erat: quod cùm inimici essent, & multitudine

Astutia Barbarorũ ad decipiẽdos Gallos.

vin-

vincerent, hoc consilio inuitabant, vt si terrã tenuissemus, more suo, vulneribus confectos deuorarent. At cùm *Margaites* tormenta & quicquid adeò naues nostræ aduexerant, valde essent admirati: neque (maximis de causis, pręcipuè ne Gallorum periculo fieret, si fortè illuc appellerent) in animo haberemus vim facere, ad suos qui expectabant in littore, veniam redeundi postulant. Itaque, quoniam nullus est apud eos pecuniæ locus, cũ rebus quas attulerant, hamos, indusia, cultellos, specula, ídque genus quamplurima commutauimus, quæ quidem sunt ad negotiandum apud Brasilienses accommodatissima. Ad extremum vt quum nos adiêre Barbari, pudenda liberaliter ostenderant, ita, quum exire, & in scapha sedere vellent, indusia quæ à nobis accepissent, ad vmbilicum vsque colligentes, atque ne macularent veriti, in natibus demonstrandis nequaquam parci fuerunt, mira certè vrbanitas & digna quæ legatione fungatur. Nam etsi prouerbio feratur apud nos pellem indusio esse chariorem: illi contrà, excellenti erga nos magnificentia fortasse, nates aperiendo, pelli arbitrantur indusium esse præferendum.

Pecunia Barbari carent.

Vrbanitas verè barbara.

Hoc in loco paululùm immorati, quamuis noua illa cibaria primùm aliena viderẽtur, necessitate coacti, tamen auidè comedebamus. At postridie eius diei, qui Dominicus erat, sublatis anchoris, vela fecimus. Terram legentes viginti ferè millibus passuum interpositis, obiectum habuimus Castellum Lu-

Spiritus Sãctus Castellũ Lusitanorũ. sitanorum, quod illi Spiritum Sanctum, Barbari *Moab* appellant. Hi celoces nostras, myoparonémque adeò conspicati, quem suis ereptum esse facilè coniecerunt, tormentis vtrimque ter aut quater displosis: quòd extra iactũ essemus pilæ abierunt innoxiæ.

Tapemiry. Igitur littoribus appropinquante cursu continuato, plagam prȩteruecti sumus quam *Tapemiry* appellant: hîc quâ in continentem mare influit, paruæ sunt insulæ, quíque has incolunt Barbari, vt mea quidem fert opinio, Gallorum socii fœderatíque sunt.

Paraibæ. Vlteriùs paulò circiter gradus viginti, habitant *Paraibæ* quorum in regione, quemadmodum prӕternauigando animaduerti, tumuli eminent in caminorum figuram abeuntes.

Breuia & Syrtes. Calendis Martiis Breuia & Syrtes legimus, scopulis & lingulis intermixtas, quæ loca, ne illisæ naues pereant, maximoperè nautæ solẽt effugere.

Ouetacates. Ex aduerso Breuium planiciem sumus conspicati, amplitudine triginta miliarium: hanc incolunt *Ouetacates* homines adeò feri, vt neque pacem inter se colant, & cum finitimis omnibus aduenísque bellum gerant. Cùm verò ab hostibus premuntur (à quibus tamen nunquam iugum excepêre) mira pernicitate morti se eripiunt, qua & inter venandum, feras ex ceruorum genere quodam assequuntur. Omnium Brasiliensium more, nudi penitus agunt, nihilo tamen seciùs ad nates vsque comam demittunt, contrà quàm reliquorum fert cõsuetudo

tudo, qui, vt paulò antè diximus, dicemúsque postea fusiùs cùm sinciput attondent, tum circa collum crinem resecant. Denique efferati *Ouetacates* illi, regiunculam inuicti habitantes cruda carne vescuntur in morem canum, luporúmque, lingua etiam dissidẽt à finitimis, vt inter Occidentalis Indiæ populos immanitate ac sæuitia insignes meritò censendi esse videantur. Cæterùm quòd nullum cum Gallis, Hispanis, Lusitanísque commercium habeant, aliísque transmarinis, carent nostris omnino mercibus. Attamen vt postea audiui à quodam interprete Neustrio, si eas finitimi cũ *Ouetacatibus* communicare desiderant, hac vtuntur permutatione, *Margaias*, *Caraias*, aut *Tououpinambaultius* (quæ gentes sunt vicinæ) aliíve Barbari, seipsi *Ouetacati* non credentes, ostentant eminus falcem, cultellum, pectinémve, aut speculum, aut alia eiusmodi, nutúque conquirunt an permutationem velit facere. Tum si consentiat, vicissim plumas depromit, aut virides lapides, qui, vt demonstrauimus, labris includuntur, aut quædam non absimilia. Deinde locum designant ab hinc trecentis quadringentísve passibus : hic alter in lapidem stipitémve quæ putat esse commutanda reponens, longè abit. Nec moratus *Ouetacas* ad tollendũ accedit, quę ille deposuerat eo demque in loco relinquendũ, quæ ipse ostenderat. Fidem hactenus seruant, permutatione verò facta, cùm alter eò rediit, vnde primò visus est, violatis induciis magna cõtentione certatur, quis cuique permutatum eripiat. Nec

dubium eſt quin *Ouetacas*, venatici canis leuitate, primas ferat. Itaque noſtris hominibus qui arthridite laborant, claudis, tardíſque ſunt pedibus, nequaquam cenſeo, ſi de conſeruandis mercibus cogitant cum *Ouetacatibus* negotiationem inſtituendam eſſe. Cantabri tamen, quorum etiam lingua differt à cæteris, vtq́; notum eſt, agilitate præſtant, optiméque ambulare videntur: cum duobus his rationibus cum *Ouetacatibus* comparandi ſunt, tum eos quis meritò digniſſimos exiſtimet, qui vnà diſcurrerent. Quin & annumerari poſſent, qui Palmarum flumen accolunt, quadam in regione Floridæ. Hi (vt memoriæ proditum eſt) ceruum aſſequi, totúmque diem irrequieti ſolent currere. Prætereà Gigantes ad flumen Platam (eodem authore) tanta velocitate, vt fugientes capreas ſæpe manu retineant. Sed age dum relaxatis habenis, veredos bipedes illos dimittentes. Sed vt ſi libet, Euro citius euolent, interdum etiam vt eſt veriſimile non ſine graui lapſu, tribus in plagis Americæ (diſtantibus inter ſe tamen Plateñſi præſertim & Florida plus tricies centenis paſſuum milibus) & in quarta Europæ, niue ſtipatiùs concidant, ad inſtitutum ſermonem reuertamur.

Hiſto.vniuer.Ind.libro 2. cap. 46.& 84.

Ouetacatium tranſmiſſa regione, aliã in conſpectu ſtatim habuimus, quam *Maq-he* appellabãt, incolitúrq; à Barbaris, quos tãtùm dicã, ob eas rationes quæ modò explicatæ ſunt, minimè in vtramq;, vt aiunt, aurẽ dormire: cùm ad incurſionẽ faciendã, paratiſſimos habeant finitimos.

Maq-hé.

mos. Hoc in littore, magna rupes in turris modum se attollit: quæ sole tacta lucet adeò & radiat, vt quibusdam Smaragdi genus esse credatur. Idcirco à Gallis & Lusitanis hanc præternauigantibus *Mag-hensis* Smaragdi nomen habuit. Ferunt hanc rupem nauibus adiri nõ posse, quòd ad libellam summæ aquę scopuli eminentes, plus quatuor millibus passuum excurrant in pelagus: terra etiam negant vllam inueniri semitam, qua rupes ascendatur.

Rupes Smaragdus credita.

Paruę ibi sunt tres insulæ, *Mag-henses* appellatæ, quarum ex aduerso cùm iactis anchoris noctem quieuissemus, postridie sublatis dolonibus Friense Promontorium tenêre contendebamus. Vento tamen reiecti, eò vnde manè profecti essemus, reuertimur: quo in loco ad Iouis diem in anchoris stetimus, parúmque, vt audietis, abfuimus à naufragio. Etenim postridie eius diei ad VI. Non. Mar. quo Bachanalia celebrantur ab hominibus malè feriatis, ante ieiunium Quadragesimæ, hora vndecima pomeridiana, cùm primùm acquiesceremus, adeò repentè procella extitit, vt cùm tempestatem ferre non posset funis anchorarius abrumperetur, nauis autem fluctuans, & vi vndarum littus petens eò delapsa sit, vt cũ aqua duabus vlnis & dimidia non esset altior (qua breuiore ne parua quidẽ nauis sustineri poterat) nihil própius fuerit quã vt in vado adhæresceret. Tũ gubernator iacta bolide, cùm eò rẽ deuenisse intelligeret, quãquã illi munus incũbebat, vt bono essemus animo iubêre, bis aut ter

Proximũ discrimen ex quo euasimus.

exclamauit, Actum eſt, Actum eſt. Nautæ verò cùm diligentiſſimè alteram iecissent anchoram, quæ Deo fauente, ſubſtitit, ne in ſcopulos vnius ex Maghenſibus inſulis (profligata ſalute, ſi id quidem accidiſſet, quòd mare commotius illiſam nauem confregiſſet) deferremur impedimento ſuêre. Hoc periculo trium ferè horarum ſpatio ſumus defuncti, nec interea proderant nautica keleuſmata, quæ commodiùs in alto vſurpantur, quàm propè littora, vbi tempeſtates maximè ſunt timendæ. Cùm autem, ſedato mari dies illuxiſſet, proptereà quòd, vt diximus, aqua dulci vtebamur vitiata: quidam ex noſtris aquatum profecti in deſertas *Maghenſes* inſulas, non modò terram ouis auibúſque multigenis (& tamen ab iis, quæ ſunt apud nos valde forma diſſidentibus) conſtratam inuenêre, ſed quòd non eſſent hominibus aſſueti tam erant cicures, vt manu capi fuſtibúſque interfici ſuſtinerent, ita vt à noſtris aquatoribus in ſcapham conſtipatæ magna copia exportarentur. Ea de cauſa, cùm ſuperiori nocte laboribus extrahenda, nautæ famem excitaſſent (quamuis in diem, qui à cineribus nomen habet incidiſſemus) ne Catholicis quidem Romanenſibus exceptis, aues illas promiſcuè comedêre. Ac profectò qui contra veritatem Euangelicam, Chriſtianis, ſtato tẽpore, carnis vſu interdicit: cùm ſigna in regiones illas nondum intuliſſet, in quibus etiam nulla erat mentio de ſuperſtitioſæ abſtinentiæ legibus conſeruandis: locus ipſe ab eis ſolutos eſſe

Auiũ multitudo in Maghéſib. inſulis.

esse nautas plus satis admonebat. Die Iouis quo *Maghenses* insulas reliquimus, vento vsi secundo, postridie quarta pomeridiana Friense Promontorium attigimus, qui portus est oræ totius, ob Gallorum nauigationes, nobilissimus. Hîc anchora iacta, tormentísque aduentu significato, centurio & nauis magister, cum aliquot militibus in terram egressi, obuios habuere, magna multitudine, Barbaros, ij vocabantur *Tououpinambaultij* Gallorum socij atque fœderati. A quibus cùm accepti sumus comiter, tum quid ageret *Paycolas* (sic enim Villagagnonem appellabant) didicimus, quæ res nobis quidem longè accidit gratissima. Eodem in loco, hamis retibúsque pisces multos cepimus, complurium generum, & ab iis qui in nostro mari degunt, valde forma dissimiles. In quibus maximè varium, atque prodigiosum genus erat, quod ea de causa describam. Hornũ magnitudine vitulum ferè æquabat, rostro quinque pedes longo, lato sesquipede, vtrinque dentes acuti, tanquam serræ prominebãt. Quum verò eductus in terram, rostrum adeò ingens, huc & illuc vibraret, mutuò alter alterum appellans, admonebat, tibias vt remoueret. Cæterùm carne est durissima, vt enim essemus famelici, ea tamen, quatuor & viginti horas, cocta vesci nunquam potuimus. Hic etiam primũ vidimus, non tantùm sublime volantes Psittacos, & gregatim, vt in Gallia cornices, columbęque: verùm etiam vt ex illo tempore obseruaui binos in aëre sibi cohęrentes, quẽ-

Friése Promontoriũ

Tououpinãbaultij cum Gallis fœderati.

Prodigiosus piscis.

Agmen Psitacorũ volantiũ.

admodũ apud nos turtures solẽt. Cũ igitur sexaginta fere millia passuum itineris superessent, quámq. citissimè fieri posset, cõtenderemus: ad Friense Promontorium, breuior quàm erat in votis, mora facta est. Itaque eo die ipso sublatis vesperi dolonibus, tam prosperè nauigatum vt sequenti Dominico, Non. Mart. anno 1557. Oceanum sub dextra relinquentes, in sinum ingrederemur, à Barbaris *Ganabara* nuncupatum, à Lusitanis verò Geneurensis, quòd Calend. Ianu. quem ita vocant, eum primò sinum adierant. Posteaquam honoris Villagagnonis causa, quingẽtûm ferè passuum interuallo, tormenta displosimus, & nobis ille respõdit: (Castra enim fecerat in parua quadam huiusce sinus insula, vt antè demonstrauimus:) anchoræ sunt in propinquo iactæ. Hæc igitur summa est eorum, quę inter nauigandum in Brasiliam, tum passi sumus, tum vidimus.

Sinus Ganabaræ.

CAP. VI.

Qui noster fuerit aditus Castelli Coliny apud Brasilienses: quemadmodum à Villagagnone accepti: seque ille gesserit, tum in negotio religionis, tum in reliquis imperij sui partibus.

Appulsus in Castellum Colinium.

ITAQVE cũ naues in portu starẽt, sinus *Ganabaræ*, nõ lõgè à cõtinẽti, quisq; impedimẽtis in scapha collocatis castellũ Coliniũ petimus.

Egressi,

Egressi, quòd non tantum à frequentibus periculis ereptos, sed etiam felicissimè deductos in terram optatissimam cogitaremus: primùm Deo egimus gratias, deinde Villagagnonem adimus, expectantem nos in platea. Quẽ cùm singillatim salutassemus, ille vultu sereno, vt videbatur, vnumquémq; amplexus, perhumaniter appellauit. Tum qui nos deduxerat, Philippo, Richerióque & Chartierio ministris, breuiter cùm demõstrassent, quænam causa nos ad nauigationem tantis difficultatibus suscipiendam excitasset: nempe, vt ex literis quas Geneuam scripserat, Ecclesiam ad verbum diuinum exactam in Brasilia conderemus: excipiẽs ille ad hunc modum loquutus est: Ego certè cùm diu tutóque animo illud ipsum desiderarim, vos istis conditionibus accipio libẽtissimè, quódque nostram Ecclesiam, puritate velim antecellere, ab eo die ipso vitia coerceri, sumptuosa vestimenta & quicquid adeo nos à Dei cultu reuocare posset, tolli iubeo. Tum sublatis in cœlum oculis & manibus: Habeo tibi grates, ait, summe Deus, quòd ea nunc mihi, quæ à te tandiu, támque ardenter expectaui, dederis. Móxque cœtũ alloquẽs, filij, ait, (vobis enim sum pater) quemadmodum Christus nihil sua causa fecit: sed omnia pro nobis, ita enim spero Deũ me in viuis conseruaturũ esse, donec munitione perfecta, me carêre possitis: quicquid nũc agere decreui, tũ vestra tum eorũ gratia molior, qui huc, eadem, qua vos, mẽte vẽturi sunt. Constitui enim sedem ponere fidelibus

Quemadmodũ nos Villagagno acceperit.

Quibus nos primũ verbis affatus est Villagagno.

expulſis Gallia, Hiſpaniis, & tranſmarinis regionibus: quo metu Regiſque ac Cęſaris, reliquorúmque principum liberati, purè Deum colere poſſint. Ita nos primùm Villagagno affatus eſt die Mercurij ad VI. Id. Mart. 1557.

Prima concio in America.

Quo ſermone peracto, imperat vt cum ſuis paruo in concłaui, quod conſtruxerat in meditullio inſulæ conueniremus, ad rem ſacram. Tum precibus ad Deum fuſis, quintóque Pſalmo in cœtu modulato: verba illa XXVII. Pſalmi interpretans, *Vnum petij à Domino, illud requiram vt habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ,* primam concionem in America Richerius habuit. At Villagagno, dum ille contextus exponebatur, frequenter manus iungere, ad cœlum tollere oculos, altè crebrò ſuſpirare, aliáque eiuſmodi facere, quæ in admirationem vnumquemque raperent. Ad extremum, Gallicarum Eccleſiarum formula, quæ quidem reformatæ ſunt & dicuntur, precibus conceptis cœtus dimiſſus eſt. Nos tamen qui nouiſſimè adueneramus, eodem in conclaui prandimus: dapes appoſitæ farina ex radicibus, *Boucanatus* piſcis, hoc eſt aſſus in morem Barbarorum aliæque radices in cineribus coctæ (de quibus rebus omnibus, earúmque natura ne orationis confundatur ſeries alio loco dicemus) potus autem (quod fons tota inſula nullus, neque puteus: aut aquæ dulcis flumen exiſtat) è ciſterna aut colluuione potius decidentis pluuiæ, tam ſubuiridis atque fœdæ, quàm illa eſt quæ in veteri foſſa, oppletáque ranunculis

Villagagnonis geſtus inter audiendũ concionẽ.

Quàm bene prãdio ſimus à Villagagnone accepti.

culis ſtagnare conſueuit. Nihilo tamen ſecius, ad ſtomachum facere videbatur, quod in nauib. peſſimam corruptiſſimámq; biberamus. Bellaria fuêre, otiúmque à laboribus tantæ nauigationis: ſtatim à prandio, ad communiendum Caſtellum, quod de nomine Colinij vocabatur deducti ſumus. Ita nos perhumaniter accepit Villagagno, primo aduentus die. Veſperi cùm ad quietem domicilia quærerentur, Philippus & Paſtores duo vile cubiculum nacti ſunt in vmbilico inſulæ, vtque pietati fauere crederetur caſa nobis attributa: hác è Villagagnonis mancipiis Barbarus porrò herbis contegere, atque in littore extruere ſatagebat. Tum, vt Americani ſolent, ſuſpenſis è xylino culcitris in ſublime quieuimus. Poſtridie cùm neceſſe non haberet Villagagno tam longa nauigatioue debilitatos atque æſtu, qui eſt ferè ſemper in Baſilia maximus, adeò vehementer vrgere: ad hæc malignè cibum præbere, videlicet bina in diem acetabula ex crudę farinæ radicibus (quam partim aqua putri è ciſterna ſubigentes, vt puticulam edebamus, partim crudam, vt Barbari) labor idem, vt & diebus, qui poſtea conſequuti ſunt, renouatur. Ea certè diligentia, vt tot incommoditatibus conflictatos, atque à mane ad veſperam in operę eſſe coactos, paulò inclementius accipere videbatur, quàm officium boni patris (qualem ſe nobis aduenientibus demonſtrarat eſſe futurum) poſtulabat. Deſiderio tamen arcis illius muniendæ, quam ſe fidelibus extruere præ

ſe ferebat: quódq; Richerius è miniſtris ætate prouectior ad excitandos omnium animos demonſtraret, in Villagagnone nos alterum habere Paulum (qui tum profectò de Christiana pietate propaganda excellentiſſimè diſſerebat) nemo eſt inuentus quin vltra vires mẽſem integrum in opere verſaretur aſſiduè, quod tamen præter conſuetudinem accidiſſet. Itaque Villagagnonem pernego iure cõqueri potuiſſe, quandiu ad Euangelij præſcriptum vitam compoſuit: vnquam illi pro arbitrio noſtram operam defuiſſe.

Diſciplina Eccleſiaſtica primũ à Villagagnone conſtituta.

Vt autem ad rem redeam, prima noſtri aduentus hebdomade, non tantùm Villagagnon ſuffragatus eſt, verùm etiam inſtituit, vt ad publicas preces, quę opere, ſingulis diebus, abſoluto, fiebant: binę Dominico, ſingulæ diebus reliquis horariæ conciones adderentur, ſéque omnino velle docuit, purè vt ſacramẽta ex Dei verbo adminiſtrarentur, nulláque additione humana violata: vigere præterea diſciplinam Eccleſiaſticam contra eos qui delinquerent. Quibus Eccleſiaſticis tanquam legibus die dominico ad 12. Cal. April. cùm ſacra Ieſu Chriſti Cœna eſſet primùm celebranda, in Caſtello Braſilienſi Colinio, eóſque miniſtri antè interrogaſſent, qui admitti debebant: quòd in ſuſpicionem veniſſet quidam Ioannes Cointas qui Hector etiam vocabatur, quondam è Sorbonę doctoribus, ab eo petiêre, vt antequam ad Cœnam accederet, publicè fidem edere vellet. Ac obſequutus ille coram omnibus

Dies quo cœna Domini primũ in America celebrata eſt.

Papiſmum Cointas eiurat.

bus Papiſmum eiurauit.

Villagagno etiam concione peracta, zelo ſe ardere ſimulans, erectus in pedes docuit, centuriones, magiſtros nauium, nautas, reliquóſq. qui concioni cùm interfuiſſent, Religioni tamen puræ nomina nondum dederant, huiuſce myſterij nõ eſſe capaces, ideo egredi iuſſos ſuſtinere non potuit vt adminiſtrationẽ panis, atque vini cernerent. Prætereà vt Caſtellum ſicuti aiebat, Deo dedicaret: fidémque coram Eccleſia ederet, genibus in puluinum è bombyce (quẽ illi perpetuò ferebat miniſter) poſitis, alta voce duas preces pronuntiauit, quarum exemplum nactus, quò quiſque intelligat certiùs, quàm iſtius hominis difficile fuerit ingenium pernoſcere, hîc aſcribere fideliter viſum eſt, ne immutata quidem literula.

Preces Villagagnonis antequam Domini cœnã perciperet.

Deus oculos aperi, óſque mentis meæ dirige, te vt laudent, precentur, tibíque agant gratias, pro bonis quæ tu in nos excellenter effudiſti. Deus omnipotens, viuus, immortalis, pater æterne Filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui tua prouidentia, omnia in cœlo & in terra cum Filio gubernas: quemadmodum infinita bonitate tua, Electis à condito mundo patefeciſti: & nominatim per Filium tuum, quem in terram miſiſti, & per quem nobiſcum te communicas, vt qui alta voce dixeris, Illum audite, ac poſt eius aſcenſionem per Sanctum Spiritum in Apoſtolos effuſum: tuæ maieſtati corde cõfiteor coram Eccleſia tua quam hîc ædificaſti, me omnibus externis viribus meis & pruden-

tia cognouiſſe, quicquid inde boni emanare videtur, mera tenebrarum eſſe opera, ſapientia carnis, zelo vanitatis polluta, ſolius corporis cōmodo atque vtilitati ſeruiens. Quare ſpōte mea profiteor me adēpta tui Spiritus lampade ad peccandum modò eſſe idoneū, remotáque omni gloria, prædico, ſi qua luce ac ſcintilla virtutis commendari poteſt, illud à me opus inceptum, ad ſolum te bonorū omniū autorem pertinere. Hac fide præditus, toto corde, Deus meus, tibi ago gratias, quòd me à negotiis huiuſce mundi auocato, in quibus vitam ambitioſè traducebam, me tamen illuminatione tui ſpiritus hîc conſtituere dignatus ſis, vbi totis viribus palam tibi ſeruiam, ſanctúmque regnum tuum adaugeā. Præterea mihi ſedē pacatā iis optare liceat, qui nomē tuū publicè inuocare non poſſunt, te vt ſanctificēt atque adorēt in ſpiritu & veritate agnito Filio tuo Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui vnus eſt mediator, vita noſtra atque dux, ſolúmq; noſtrę ſalutis meritum. Tibi etiam ago gratias Deus optime, quòd me in loca iſta deductum, inter eos qui de nominis tui excellentia nunquam audierāt, à Satana autem tanquam illius hæreditas poſſidebantur, ab eorum tamen improbitate conſeruáris, quamuis humanæ vires deficerent, atque etiam vt noſtro tantùm audito nomine timerent, effeceris: nóſque palātium & diſperſorum laboribus educaris. Ad ferinóſque impetus coercendos, immiſſis atrocibus morbis, eos qui erant magis cauendi è medio abſtule-

Hoc additum eſt, quòd eo anno Barbari extra ordinem peſtilētiali febre laborantes multos ex ſuis amiſēre.

ris, cæteris ad eam paucitatem redactis, vt res nouas moliri non audeant. Qua de causa, cùm sedē nobis huc rectà, duce te appulsis, tutò ponere licuit : tum Ecclesiam inter nos ædificare, vt in vnitate ac timore sancti nominis aut ambulantes, ad vitam æternam deduceremur. Itaque quoniam tibi complacitum est, Domine, regnum tuum in nobis stabilire, oro te per Filium tuum Iesum Christum, quem hostiam esse voluisti, nos vt in tua charitate confirmet, adauge tua dona in nobis, in primis verò fidem, nósque tuo Spiritu sanctificatos illumina, vt toto animi affectu tuæ gloriæ seruiamus, Benedic etiam Domine & Pater, huic castello Colinio Galliæque Antarcticæ, quò inuictum sit iis receptaculum qui citra omnem hypocrisim, vt te glorificent, huc sunt appulsuri : Itaque ab hæreticorum perturbationibus liberati te vnum verè colamus. Fac etiam vt Euangelium hoc in loco vigeat, tuósque seruos erige ne in errores cùm Epicureorum tum aliorum Apostatarum labantur, sed in vero tuæ veritatis cultu ad verbi tui normam constanter perseuerent. Tu quoque Deus Optime Regem nostrum (qui quod ad hanc vitam supremum in nos habet imperium) eiúsque vxorem & familiam protege, eósque quibus vtitur à consiliis, Gasparem item Colinium cum vxore ac liberis, eiúsque studium iuuandæ huius Ecclesiæ magis ac magis inflammato. Mihi verò seruo tuo humillimo prudentiam quæ me regat

largire, ne à recta via deflectam, sed omnibus Satanæ auocamentis tua gratia adiutus possim occurrere, téque Deum misericordem perpetuò agnoscere cum Filio tuo Iesu Christo, qui tecũ regnat cum Spiritu Sancto in Apostolos effuso. Creato igitur cor rectum in nobis, mortifica nos peccato, regenera in hominem interiorem vt iustitiæ viuamus, carnem domito vt actionibus animæ à te inspiratæ apta sit, tuæ vt voluntati in terra pareamus quemadmodum in cœlo Angeli. Ne autem eorum penuria quæ ad vitam sunt necessaria in bonitatem tuam diffidentia peccemus, tua prouidentia & victum largire, & sanitati prouide. Ac veluti cibus terrenus calore ventriculi coctus abit in sanguinem & alimentum corporis: sic nostrum omnium animas Filij tui carne & sanguine pascito, cúmque nobis nos in illo forma, denique expulsa omni malicia (qui à Satana est cibus) substitutis autem charitate ac fide, nos in filiorum loco habeas. Cùm autem in te peccauerimus, pro tua misericordia, sanguine Filij tui peccata ablue: nosti enim naturaliter in nobis Adami rebellione hærere peccatum, nec posse animam tibi sanctè parere imperfecto repugnanti corporis organo. Quamobrem tui Filij merito ne peccata nobis, imò sacrificium mortis eius imputato, quam fide cum illo perpessi sumus, in illo nempe insiti perceptione corporis eius in Eucharistiæ mysterio. Præterea concede, vt exemplo Christi qui

qui pro *interfectoribus* precatus est, si qui in nos deliquerunt, eis parcamus, simúsque nõ vindictæ, sed ac si amici essent de eorum commodis soliciti. Si quando autem felicitatis mundanæ splendoris & honorum recordatione perculsi fuerimus: contrà verò paupertate atque onere crucis fermè oppressi, quandoquidem nos ita exercere tibi visum est, ne mundanis saginati deliciis in te rebellionem moliamur: erige nos, & afflictionum acerbitatem tempera, ne quam seuisti in cordibus nostris sementem suffocent. Te oramus etiam, Pater cœlestis, vt à conatibus Satanæ nos custodias, quos à te abalienare molitur. Serua nos ab eius ministris, atque infesta barbarie, cuius in medio nos collocasti: abige etiam qui fidei Christianæ Apostatæ huc & illuc vagantur, ad tuam obedientiam illos reuoca, datóque vt tandem resipiscant. Euangelium salutare tuum per orbem vniuersum publicetur, Qui viuis & regnas cum Filio tuo, & Spiritu Sancto in æternum. Amen.

ALTERA PRECATIO AD *Dominum nostrum Iesum Christum, quam continuò Villagagno pronuntiauit.*

IESV Christe Fili Dei viui, æterne, consubstantialis, splendor gloriç Dei & imago viua, per quem omnia condita sunt, qui genus humanum rato Dei decreto damnatũ quòd rebellasset Ada-

mus, (is enim vt vita æterna frueretur, à Deo è terra desumptus, nequaquam virili semine contaminata vnde peccandi necessitatem hauriret, omni virtute libero etiam arbitrio prędi tus ad perfectionem conseruandam, carnis tamen concupiscentia iactatus telísque Satanæ inflammatis excitatus, peccato inferior in se iram Dei prouocauit:) vnde certissima consequebatur hominum perditio nisi te pro immensa tua & inenarrabili charitate, Deo patri obtulisses, te enim pro Adamo substituisti, atque vt nos purgares, fluctus omnes maris illius indignationis paternæ tulisti. Quemadmodum autem Adamus è terra minimè quidem corrupta eductus est abque vllo virili semine: ita conceptus es è Sancto in vtero virginis, ad similitudinem carnis Adami tentationibus obnoxiæ assiduéque vexatæ supra omnes homines absque peccato: denique tuo corpori voluisti Adamum, eiúsque posteros inserere dum pascis eorum animas carne tua & sanguine tuo, mortémque subiisti vt tanquam corporis tui membra in te alantur, Deóque Patri tuo sint accepti, tuam enim mortem ac si perpessi essent perinde satisfacientem pro eorum peccatis offers. Quemadmodum autem diffusum est in posteros Adami peccatum, & per ipsum mors: sic à Patre impetrasti vt credentibus iustitia tua imputaretur, quos manducatione carnis ac sanguinis tui tecum vniuisti, ac in te ipsum transformasti tanquam nutritos carne tua, quæ ve-

rus est ad vitam æternam cibus, quò filij sint iustitiæ non autem iræ. Quandoquidem igitur tot bonis nos cumulasti, ad dextrámque Patris sedens æternùm pro nobis intercedis, summóque sacerdotio fungeris secundùm ordinem Melchisedech, miserere nostri, serua nos, fideíque incrementum dato, Patri offer confessionem quam corde non minùs ac ore coram Ecclesia tua edo, sanctifica me tuo Spiritu, quemadmodum his verbis es pollicitus, Non relinquam vos orphanos, hîc etiam Ecclesiam promoue vt tranquillè degentes purè te colamus qui viuis & regnas cum patre & Spiritu Sancto in secula seculorum. Amen.

Ad Cœnã Domini accedit Villagagno.

His duabus recitatis precationibus, ad mensam Domini primus accedit Villagagno, genibúsque in terram positis, è Ministri manu panem & vinum recipit. Atque vt paucis expediam, non multò pòst cuiusdam ex antiquis dictum comprobauit, difficile esse diu virum bonum simulare. Illi enim & Cointæ, quamuis vterque Papismum eiurasset, (ac sanè iam tum nemini non patebat quicquid ab illis factum esset, ostentationem redolere,) litigare quàm doceri magis erat in votis. Quo factum est vt breui spatio interiecto de nonnullis doctrinæ capitibus, præsertim verò de Cœna Domini, disceptare cœperint. Quamuis enim Transsubstantiationem Papisticam repudiabant, commentúmque illud crassissimum, & absurdissimum esse prædicabant, Consubstantiationem verò minimè proba-

Disputatio Villagagnonis & Cointæ aduersus Ministros.

bant, ab iis tamen erant lōgè alieni, quæ à Miniſtris ex Dei verbo docebantur: nimirum panem & vinum, in corpus & ſanguinem Domini nullo poſſe mutari modo, nec rurſum hæc illis includi: ſed in cœlis Chriſti corpus eſſe; vnde ſeipſum vi Spiritus Sancti ſigna percipientibus fide in alimentum ſpiritale communicat. Quicquid ſit (aiebat vterque) hæc verba, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, non alium admittunt ſenſum, niſi vt corpus & ſanguis Chriſti ſignis contineantur. Quòd ſi quærat quiſpiam, quo tandem ſenſu Tranſubſtantiatione & Conſubſtantiatione repudiata? Illud equidem neſcire me non diffitebor: ac ſanè ipſos non minùs ignoraſſe exiſtimo. Etenim, cùm euincerent noſtri ex complurium Scripturæ locorum collatione, huiuſmodi loquendi formulas non niſi figuratè accipi, Scripturámque conſueuiſſe Sacramentorum ſigna pro rebus ſignatis vſurpare: illi verò quid contra afferrent ſolidi nihil haberent, nihilò tamen ſecius obſtinatis animis in hęreſi permanebant: ignoratáque qua id fieret ratione non tantùm carnali modo Chriſti carnem, ſed etiam in Ouetacatium morem crudam deglubere volebant. Interim Villagagno animum ſuum diſſimulabat diligenter. Itaque ſibi optatius nihil eſſe, quàm vt rectè doceretur, teſtatus, Charterium è Paſtoribus alterum, naui Braſilio, Americaníſque mercibus onuſtæ impoſitum (quæ prid. Non. Iun. ſoluit) in Galliam eo conſilio remittit, vt ſuper quæſtione de Cœna Domini, ſenten-

Charteriū Paſtorē in Galliam remittit Villagagno.

ſententias noſtrorum afferret Doctorum, in primis verò clariſſimi viri Ioannis Caluini, cuius arbitrio acquieſcere ſe dicebat omnino velle. Ac ſanè ab eo non ſemel verba hæc audiui, D. Caluinus ex iis eſt vnus qui ab Apoſtolis extitere doctiſſimi, nec vllum legi Doctorem, qui meo iudicio rectiùs, puriúſve Scripturam eo expoſuerit. Vt autem ſe reuerentia in Caluinum duci teſtaretur, nõ modò prolixè quo in ſtatu eſſet iis narrauit literis quas ad Caluinum reſcripſit, ſed etiam peculiariter manu propria (quod à me in Præfatione eſt commemoratum, atque ex epiſtola data prid. Cal. Apri. 1557. videre eſt) Braſilico pigmento quæ ſubiecimus verba adſcripſit. *Addam conſilium quod literis tuis adhibuiſti: ſumma animi contentione operam daturus vt ne vel tãtillum ab eo deflectamus: hoc enim certè nec ſanctius, nec rectius, nec ſanius vllum eſſe perſuaſum habeo. Quamobrem etiam literas tuas in Senatu noſtro legendas, deinde in acta trãſcribendas curauimus: vt ſi quando à curſu aberrare contigerit, eorum lectio ab errore reuocet.* Quinetiam Nicolaus quidam Carmeus, cui literæ illæ erant commiſſæ, cùm ad Cal. April. profecturus, valediceret, nobis renunciauit ſe in mandatis à Villagagnone habere, vt Caluino ſignificaret, conſilium quod dediſſet in perpetuum monmentum in æs inciſum iri. Itémque vt aliiquot ex Francia viros & mulieres, & pueros ſecum rediens adduceret, ſumpti-

Pueri decẽ Barbari in Galliam missi.

bus se suffecturum. Priusquam verò vlterius progrediar, prætermittendum minimè existimo puerulos decem Barbaros nouem circiter annorum in Galliam missos. Hi ab hospitibus nostris bello capti, à Villagagnone verò empti, postquam Richerius pastor à cõcione manus illis imposuisset, precésque simul omnes ad Deum fudissemus, vt essent tanquam primitię miseri illius populi, nauibus impositi ad Nonas Iun. tandem in Galliam deuecti, Henrico tum Regi oblati sunt, qui primariæ autoritatis viris bonam partem donauit, nominatim verò Passio vnum, quem Baptismo quoque initiandum curauit, eúmque ego post meum in Galliam reditũ apud illum agnoui. Præterea ex Villagagnonis domesticis iuuenes duo ad 3. Non. April. iuxta Ecclesiarum reformatarum ritum vxores duxerunt puellas duas, ex earum numero, quæ nobiscum transportatæ fuerant. Quæ à me propterea commemorantur, quòd non modò nuptiæ Christiano ritu tum primum in America sunt celebratæ: sed etiam quòd è Barbaris plerique, qui ad nos eo die accesserant, mulieres indutas (cuiusmodi nullas ante id tempus conspexerant) maiori cum admiratione contemplabantur, quàm Ecclesiasticas ceremonias, ipsis alioqui planè incognitas. Cointa itidem ad 16. Cal. Mai. matrimonium contraxit cum adolescentula, Rothomagensis cuiusdam cognata, cui nomen Roqueto:

Nuptię primò in Brasilia Christiano ritu celebratę.

queto:hic non multò poſt noſtrum in Americam appulſum puellam hanc mercium omnium quas aduexerat teſtamento hærede facta,vita functus erat, merces verò erant cultelli,pectines,ſpecula,panni criſpati, hami,aliáque id genus commercio cum Barbaris habendo accommoda. Quæ quidem hæreditas commodum Cointæ obuenit: quippe vniuerſam in vſus ſuos tranſtulit.

Reliquę duæ (nam quinque numero fuiſſe, in deſcribenda nauigatione noſtra, à me antè demonſtratum eſt)non multò pòſt duobus è Neuſtriis interpretibus nupſere: atque ita nullę inter nos puellę mulieréſve Chriſtianæ ſuperfuerunt innuptæ.

Porrò,cùm hîc de matrimoniis mentio incederit,ne id duntaxat videar, quod in Villagagnone vituperandum eſt, attingere, quod verò laudandum,ſilentio præterire: aliquid obiter in eius commēdationem dicam. Neuſtrij quidā naufragi inter Barbaros agebant,multò antè quàm illuc appuliſſemus: hi abiecto Dei timore,ſeſe cum indigenis mulieribus & puellis crebris ſcortationibus cōtaminabant: de quibus liberos quos ſuſceperāt annos iam quinque natos vidi. Itaque Villagagno,cùm,vt iſtorum profligatam libidinem coërceret, tum etiam vt eorum omniū, qui noſtram inſulam incolebant, à tanto facinore patrando animos auerteret: ex totius Senatus ſententia legem tulit,qua Chriſtianis omnibus ſcortationem cum Barbaris mulie-

Optima lex à Villagagnone lata,

ribus capitalem fecit: addita legi exceptione, tum demum licere cum illis matrimonium contrahere, si ad Dei cognitionem vocarentur, Baptismóque initiarentur. Sed vt nulla extitit, quæ ferinis moribus exutis Seruatorem Christum vellet agnoscere, licet crebris cohortationibus Barbaræ illius gentis aures quotidie personarent, ita tantisper dum ego in terris illis sum versatus, Gallorum nemo exstitit qui vllam in vxorem duxerit. Ac quemadmodum lex illa verbo Diuino dupliciter nitebatur: ita etiam, cùm ab omni Villagagnonis familia, tum à nobis vniuersis studiosissimè fuit obseruata. Quinetiam, etsi post meum in Galliam reditum, acceperim solitum esse Villagagnonem in America stupris & libidinibus cum Barbaris mulieribus se inquinare: nihilò tamen seciùs ingenuè profiteor eum ne in minimam quidem huius criminis suspicionem quamdiu ibi viximus, incurrisse. Quinetiam legem à se latam adeò inuiolatè obseruandam curauit, vt ex interpretibus quendam suspendio adiudicare voluerit, quòd scortationis cum muliere, quam antè compresserat reus peractus esset. Verùm amicis apud eum intercedentibus, capitali pœna liberatus, pede catena vinctus est, ac pro mancipio habitus. Itaque quantum cernere mihi datum est, hac in parte laude dignus est Villagagno. Vtinam verò in cæteris eodem se gessisset modo. Ecclesiæ magno cessisset emolumento, quo boni com-

plures

plures hodie fruerentur. Sed ille tanto veluti œſtro contradicendi tranſuerſus agebatur, nunquam vt in ea ſimplicitate acquieſceret, quam accuratè retinendam eſſe quibuſlibet verè Chriſtianis Sacræ docent literæ, cùm de adminiſtratione Sacramentorum diſſeritur. Is enim, quæ conſequuta eſt, Pentecoſtes die, qua Cœnam ſecundò celebrauimus, palinodiam recinens, apertè iis eſt refragatus, quæ ipſe propoſuerat, cùm Eccleſiaſticam inſtitueret diſciplinam: (quo tempore, quemadmodum in ſuperioribus dictum eſt, volebat humana omnia procul amoueri figmenta, & faceſſere: Aſſeuerabat enim ex authoritate Cypriani, atque Clementis, aquam in Cœnæ celebratione vino infundendam eſſe, nec, vt id modò fieret, præfractè, ac neceſſariè iubebat: verùm etiam credendum eſſe impudenter affirmabat, panem conſecratum ęquè corpori, atque animæ prodeſſe. Sal præterea, & oleum Baptiſmi aquæ immiſcendum cenſebat: neque licere Miniſtris ad ſecundas nuptias conuolare: ad cuius ſententiæ confirmationem, locum diui Pauli ad Timoth. detorquebat. *Epiſcopum oportet vnius vxoris virum eſſe.* Tandem conſilio alieno penitus repudiato, à ſe vno duntaxat in poſterum pendere voluit, nullóque fundamento nitens, in iis quæ perperam ex Scriptura proferret, omnia ſus déque inuertere pro arbitrio aggreſſus eſt. Atque vt cuilibet pateſiat, quàm validis vtebatur argumentis, ad ea, quæ ſemel pro-

Cœna ſecundo à nobis in propugnaculo Colinio celebrata, obiectionéſque Villagagnonis.

1. Tim. 3. 2.

bare instituerat, confirmanda: è Scripturę pluribus, à me vna duntaxat in medium proferetur sententia. Id igitur quod ex ipsius ore audiui aliquando, cùm quendam è suis ad hũc modum erudiret.

Locus Scripturæ à Villagagnone adaptatus.

Nunquámne legisti in Euangelio historiam illius leprosi, qui Christo dixit, Domine, si velis, potes me purgare: cui simul ac Iesus respondit, Volo, purgator, statim purgatus est? ita etiam (aiebat insignis ille Scripturæ interpres) cùm Christus de pane dixit, Hoc est corpus meum, nulla adhibita interpretatione alia, credẽdum est illud in ipso pane inclusum esse: neque est quod moremur Geneuenses illos. Præclara scilicet vnius Scripturæ loci ex alio interpretatio. Tam sanè acuta, atque illius qui in Concilio quodam, ex illo Geneseos, vbi docemur Deum creasse hominem ad imaginem suam, neruosissimè concludebat, habendas igitur esse imagines. Itaque sententia feratur ex isto Villagagnonis (qui tantum posteà de se sermonem excitauit) festiuæ Theologiæ præclaro specimine, an nõ præstantissimus ille Theologus (quod de se, repudiata Religione vera thrasonicè prædicare non erubuit) Caluino silentium imponere, quíque illius partes tueri vellent, vincere differendo facilè potuisset. Alia insuper ex illo quamplurima de Sacramentis audiui non minùs ridicula, quibus tamen commemorandis supersedeo: propterea quòd, post reditum eius in Galliam, non modò Petrus Richerius suis eum coloribus depinxit

sed &

ſed & alij deinceps ita deterſum, depexúmque dedêre, vt palmam, idipſum in poſterum præſtare cupientibus, præripuiſſe videantur.

Duo iſta depectẽdi & detergendi verba libellos duos aduerſus Villagagnonẽ deſignant.

Eodem tempore ad eruditionis venditationem publicè prælegere Cointas cœpit: ac Euangelium ſecundum Ioannem exorſus, (cuius quàm difficilis & ardua ſit explicatio, iis eſt cognitum, qui Theologiam profitentur) tãto cũ iudicio enarrabat, vt tertio quoque verbo extra óleas (vt aiũt) vagaretur, nihilque fermè niſi alienum afferret: quo tamen vno adminiſtro tunc vtebatur Villagagno ad veram Euangelij doctrinam oppugnandam. Quid ergo? obiiciet aliquis, Franciſcanus ille Andreas Theuetus, qui grauiſſimè conqueritur in ſua Coſmographia, *cùm miniſtri à Caluino in Braſiliam miſſi, ſumma erga ſe inuidia flagrarent, munerique ſuo ſe interponerent, impedimento ſibi fuiſſe, quominus miſerorum Barbarorum errantes animas Chriſto lucrifaceret*: (hęc enim ſunt illius verba) obmuteſcebátne tũc temporis? An ſaluti Barbarorum animoſiùs incumbebat, quàm Eccleſiæ Romanæ defenſioni, cuius ſe veluti fulcrum, & columnam iactitat? Hanc Theueti vanitatem refellere procliue eſt. Superiùs enim demonſtrauimus, eum in Galliam ante noſtrum in eas terras appulſum rediiſſe. Itaque monitos iterum lectores velim, vt quemadmodum in explicandis noſtris cum Villagagnone, Cointáque diſputationibus, ad caſtellum Coligniũ in Braſilia habitis, nulla Theueti mentio fa-

Tom. 2. li. 21. cap. 4.

Theueti vanitas.

cta est,neque posteà fiet:ita Theuetum à Ministris,de quibus tamen loquitur, conspectũ fuisse, neque Ministros ab illo.Quamobrem veluti præfatione in hunc librum , à me demonstratum est,cùm egregius iste Catholicus Romanus à nobis abesset eo tempore, maríque quadragies centenis millibus passuum interiecto vallaretur : quò tutior esset à Barbaris,quos in suam necem à nobis excitatos fuisse,non erubuit falsò prodere:nugis omnibus valere iussis, zeli, quo se erga Barbaros flagrasse profitetur,cùm interpellatus est à Ministris, exemplum afferat multò certius. denuò enim affirmare libet, tam illud esse fal sum,quàm quòd maximè.

Cosmograp. tom. 2.li.2.ca.8.

Villagagno Caluinum vituperat, quẽ antea laudauerat.

Verùm,vt vnde sum digressus,eò redeam: statim post Cœnam Pentecostes die celebratam, Villagagno se opinionem,quam antea de Caluino conceperat, prorsus exuisse demonstrat: eum teterrimum hæreticum à fide aberrantem pronuntiat, nec responsum sibi expectandũ arbitratur,quod ab eo per Charterium Pastorem postularat.Exinde nos toruè intueri, animúmque à nobis abalienare, cõcionibus interesse raro, quas etiã sub Maij mensis exitum vltra dimidiam horam prorogari vetabat. Ita Villagagnonis simulatio & hypocrisis quæ diu in pectore latuerat,tandem foras erupit,vt eum planè (vt aiunt) intus, & in cute nosceremus. Ac si quæratur quænam horrenda istius defectionis causa fuerit: non ita planè constat. Quidam enim

Defectio Villagagnonis à Religione reformata, illiúsq; defectionis occasiones.

nostrûm

noſtrûm ſibi omnino perſuadebant, inde id accidiſſe quòd à Cardinali Lotharingo, aliíſque qui ad eum è Gallia ſcripſerant per quẽdam nauarchum qui circa id tempus ad Frienſe promontorium ſexaginta millibus citra inſulam, in qua morabamur, appulerat, grauiter fuiſſet reprehenſus, quòd à Catholica Romanenſi Eccleſia deſciuiſſet: híſque literis eũ ita perterritum fuiſſe, vt ſententiam repentè mutauerit. Poſt meum tamen reditum accepi, Villagagnonem cum Cardinali Lotharingo conſilium iam iniuiſſe, antequam è Gallia excederet, de vera Religione ſimulanda, vt facilius authoritate Colinij maris præfecti abuteretur, Eccleſiæque Geneuenſi, & Caluino præſertim imponeret: quemadmodum initiò diximus, ad manum colligendam, vtriſque ſcripſiſſe. Vtcunque res ſe habeat, id verè affirmo, eum poſt defectionẽ, conſcientia, veluti à carnifice quodam excruciata, ita tetricum, & moroſum euaſiſſe, nemo vt ad eum vellet accedere. Ac identidem per corpus Diui Iacobi (hanc ſiquidem deierandi formulam crebrò vſurpabat) deierans ſe caput ei brachiáque, & crura comminuturum eſſe minabatur, qui vel tantillum ſibi ſtomachum moueret. Verùm enim verò cùm ſe hic locus offerat, vt de eius crudelitate aliquid commemorem, inſigne eius exemplum demonſtrabo, quod præſente me tunc edidit in quendam Gallum Rochæum nomine, quem catena vinctum tenebat. Huic reſupino, at-

Villagagnonis cõſcientia excruciata, eiúſque ordinaria deierandi formula.

que humi abiecto prælongis fustibus ventrem adeò per satellitem cecidit, vt miser ille spiritum ægrè duceret. Quibus minimè contentus, altera corporis parte contusa ictibus, ita truculentus ille miserum compellabat per corpus D. Iacobi, sceleste, alterum porrige latus: præterea infelici hominẽ forte, abiectum humi, confectum plagis, mortíque proximum coëgit arti operam nihilo dare seciùs, quàm antè consueuisset: faber autem erat lignarius operis intestini. Eadem animi lenitate, ac mansuetudine erga plerosque vtebatur, qui etiam erant in vinculis, quòd eandem cum infelici Rochæo illo causam sustinerent. Causa porrò erat, quòd cùm eos indignis modis antequàm appulissemus, Villagagno tractaret, communi consilio decreuerant eum in mare pręcipitẽ dare, vt qui grauiùs multò premerentur, quàm si ad triremes amandandi fuissent. Ex quibus fabri quidam lignarij, ob eius crudelitatem, se cum Barbaris in continentem recipere maluerunt (à quibus etiam benigniùs habebantur) quàm cum eo versari diutiùs. Eum etiam crudeliorem triginta, quadragintâve, tum viri, tum mulieres Barbari sunt experti, lingua ipsorum Margaiates appellati. Ii à confœderatis Tououpinambaulsiis bello capti erant, ac Villagagnoni pro mancipiis traditi. Cuius in Barbaros feritatis exemplum proferre visum est. *Mingantius* quidam ex iis vnus erat: hunc præsente me, tormentum vlnis complecti

Barbari Villagagnonis mãcipia malè ab ipso tractati.

plecti cum adegiſſet, lardo igne liquefacto, ac in clunes guttatim diſtillante cruciauit, cùm ne culpam quidem obiurgatione dignã admiſiſſet. Tot, ac tantis calamitatibus Barbari conflictati, ad hunc ſæpe modum querebantur. Si tot ærumnis nos ab iſto *Paycola* (hoc enim nomine Villagagnonem compellabant) expoſitum iri duxiſſemus, longè ab hoſtibus dilaniari, deuorarique maluiſſemus, quàm ad iſtum abduci. En obiter humanitatis eius particulam paucis attigi. Hæc verò ſatis eſſet attigiſſe, niſi, vt ſuprà commemoraui, primo aduentu noſtro, velle ſe diffluentem in veſtibus coërcere luxum diſertè denuntiaſſet.

Itaque neceſſariò dicendum videtur, quã egregio cæteris exemplo hac in re præluxerit: nempe vt, cùm non ſolùm è bombyce, lanáque pannis, verùm etiam vndulatis compluriam colorum abundaret: in arculis tamẽ à teredinibus, ac tineis corrũpi mallet, quàm veſtiendæ familiæ diſtribuere, cuius plerique nudi ferè incedebant. Sibi verò diebus hebdomadæ ſingulis, mutanda comparauit ſena veſtimenta: ſuo ſingulis colore attributo: rubro, luteo, ceruino, albo, cæruleo, viridi, congruentibus inter ſe perpetuò tunica, & femoralibus: quæ quàm bene tum ipſius ætati, tum dignitati quadrarent, cuiuis exiſtimandum relinquo. Inde tamen id commodi capiebatur, quòd ex colore illius veſtimenti, quo indutus erat, facilè conijciebamus, qua-

Villagagnonis habitus.

lis eo die futurus esset: adeò vt viridis & luteus color mali perpetuò quiddam portēderent. Imprimis verò cùm talari vndulata veste, nigro è bombyce limbo circundata, indutus esset, mirum dictu quantam de se ridendi materiam præberet: ita vt non illepidè à suis histrionis effigiem præferre diceretur. Proinde, si de hac veste quicquam audiuissent, qui ad summum maximè illius ruentis ollæ labrum Barbari cuiusdam instar, nudum delinearunt: minimè dubium est, quin pro insigni ornamento vestem illam ei imposuisset, vt & suam ei crucem, fistulámq; collo appensam reliquerunt.

Ac si quis reprehendat nimis me curiosè isthæc rimari (prout etiam fateor, quæ attigi postremò, esse indigna quæ memoriæ prodantur) facilis est responsio. Etenim cùm Villagagno furētis Herculis, maximè postquàm in Galliam reuersus est, personam induerit, aduersus eos, qui Religionem ex verbo Dei reformatam profitentur: demonstrandū existimaui, in singulis quas ille amplexus est religionibus, quàm inculpatè se gesserit: maximè cùm ob eas, de quibus in præfatione dixi, rationes, pauca elegerim è multis.

Causa nostri à Villagagnone discessus.

Internuntio tandem Philippo ei denuntiauimus, quòd Euangelicam professionem exuisset, neque vlla conditione alia eius imperio essemus obnoxii: nos in posterum operam, in muniendo præsertim Castello denegaturos esse. Qua audita re, interdixit, ne bi-

na

na illa farinæ ex radicibus confectæ acetabula, quæ (vt à me commemoratum est) diebus singulis dabantur, nobis amplius præberentur: sperans hac ratione futurum vt in summum discrimen adduceremur, aut fame etiã necaremur: tantum verò abfuit, vt nostrûm quisquam id ægrè tulerit, vt contrà lætaremur: multò enim plus farinæ à Barbaris falce vna, vel duobus, tribúsve cultellis mercabamur, quàm sex ille mensibus distribueret. (Ii siquidem nostram sæpe insulam lintribus adibant: vt & nos ipsi mutuò Barbarorum pagos ad commeatum expediendum, petebamus.) Itaque quòd cibaria non essent attributa, nos ab eius sacramento penitus esse liberos duximus. Ac certissimum est rem vi aggressurum fuisse, nisi vehementer suis diffisus esset, quorum primarii nobis apertè fauebant. Tamen rem tentare voluit: cùm enim ego, Ioannésque Gardienus è continente reuerteremur: (vbi tũc circiter quindecim dies inter Barbaros egeramus) is veniæ ignorationem simulauit, quam impetraueramus à Barreo ipsius Legato, antequam ex insula egrederemur. Itaque arcessit legis, quam ipse tulerat, violatæ: hac cauebatur, ne absque venia Castello quis excederet. Quare nõ modò eam ob rem nobis manus iniici volebat, verùm etiam eò crudelitatis procedebat, vt pedibus, tanquam mancipiis catenam aptari iuberet. Cui pœnæ eò magis fuimus affines, quòd qui nos deduxerat Philippus, quíque,

Villagagno nititur nos in seruitutẽ redigere.

vt nõnulli asserebant, demissiùs Villagagnoni, quàm eius ferret dignitas obtemperabat, non modò non opitularetur: verùm etiam oraret, vt supplicium illud vnum, alterúmue diem sustineremus, à vinculísque nos liberatum iri polliceretur, vbi primùm ira Villagagnonis paululùm deferbuisset. Attamen nos id nunquam esse passuros disertè respondimus: tum quòd lege non teneremur, tum verò præcipuè quòd, (vt diximus) cùm fidẽ fregisset, qua receperat, se inter nos religionis veræ disciplinam conseruaturum esse, addicti eius esse imperio in posterum recusaremus. Accedebant eorum exempla, qui catena vincti, indignissimè, crudelissiméque palàm accipiebantur. Quo ille responso cessit: animaduertebat enim quindecim esse, aut sexdecim è nostris tanto amicitiæ vinculo inter se coniunctos, alter vt alteri iniuriam fieri ægrè pateretur: adeò vt difficillimè, si vlteriùs progrederetur, in suam nos potestatem redigeret. Præcipui etiam inter ipsius milites (quemadmodum superiùs attigi) quòd religionem veram profitebantur, iniquo animo illius defectionem ferebant. Ita vt nisi essent veriti, ne Colignius qui authoritate regia fretus eum misisset, neque qualis posteà extitit cognouisset, offenderetur, quidam ex nostris hac occasione oblata hominem in mare præcipitem dedissent. Eius carnem, & latos humeros piscibus nutriendis aptos esse iocabantur. Maxima tamen pars benigniùs cum eo agen-

agendum ſatiùs eſſe duxit. Conciones etſi publicè ſemper haberentur,(quas vel non audebat, vel non poterat interturbare :) attamen ne ampliùs nobis offendiculo eſſet Cœnam celebrātibus, ab eo tempore noctu eo inſcio celebrabamus.

Quæſtio vtrum Cœna ſine vino poſſet celebrari.

Et quoniam in poſtrema in illis terris Cœnæ celebratione, nobis ex vino illo quod ex Gallia aductum fuerat, cyathus tantùm ſuperfuit, cúmque aliunde habere minimè poſſemus, exorta fuit quæſtio inter nos, vtrùm ſcilicet, vino deficiente, poſſet alio potus genere celebrari. Quidam præter cæteros Scripturę locos, hunc etiam afferentes, quo Chriſtus in Cœna inſtituenda, poſt gratiarum actionem, Apoſtolis expreſſè teſtatus eſt, ſe *non amplius ex vineæ fructu bibiturum eſſe*: cenſebant deficiente vino, ſatiùs fore abſtinere à ſigno, quàm illud ipſum mutare. Alij contrà aſſerebant, cùm Chriſtus in Iudęa verſaretur, eum mentionem vſitati potus feciſſe: credi verò par eſſe, ſi inter Barbaros verſatus fuiſſet, non modò Americanā ceruiſiam: verùm etiam farinam ex radicibus, qua illi pro pane vtuntur, Cœnæ Sacramento adhibiturum fuiſſe. Ac proinde concludebant, vt, quemadmodum ſigna panis, ac vini mutare nollent, quandiu ea præſtò eſſe poſſent: ita minimè dubitaturos, pane, ac vino deficiētibus, Cœnam celebrare iis rebus adhibitis, quæ ad vitam hominum fulciendam, panis, ac vini locum vſúmque obtinerent. Et quamuis pleri-

Matt. 26. 26
Marc. 14. 25.

que in poſtremam ſententiam inclinabant, quia tanta rerum penuria non fuit, quæſtio illa remanſit ſub iudice. Verùm enimuerò hæc placida diſputatio nullius inter nos diſſidij cauſa fuit, qui per Dei gratiam perpetuò fuimus animis coniunctiſſimi, vt libentiſſimè optarem, inter eos omnes, qui religionē verè Chriſtianam profitētur, tam bellè conuenire, quàm eo tempore inter nos conueniebat.

Cauſa ob quam Villagagno in munitione ſua nos diutiùs manere non permiſerit.

Vt verò finem imponā iis quæ de Villagagnone dicenda fuerunt, ſub exitū Octobris, iuxta tritum illud prouerbium, quo fertur, In amicitia diſſuenda, debere homines fucum facere: magis ac magis nos Euangelicámque doctrinam execratus, apertéque ſignificans ſibi ampliùs in animo non eſſe, vt in ſua Inſula, Caſtellóque moraremur, ſtatim egredi iuſſit. At ſi collibuiſſet, quemadmodum ſuprà demonſtrauimus, à nobis Villagagno pelli inſula facilè poterat. Verumtamen, tum vt de nobis omnem conquerendi materiam præcideremus: tum ne nota Euangelio inureretur, ad cuius præſcriptum nos vitam inſtituere velle, eáque de cauſa in Americam veniſſe, iam antè Gallia, cæteræque nationes audierant, ſine vlla contentione ei loco ceſſimus. Itaque cùm octo circiter mēſes apud Inſulam, Caſtellúmque Colinium manſiſſemus: cui etiam muniendo vehementer noſtræ deſudauerant operæ: in continētem exacti progredimur, ibíque expectauimus mēſes duos,

dum

dum è portu Salutari appulſa nauis, (cuius cũ magiſtro conuenimus, in Galliã nos vt trãſportaret) onuſtáque Braſilio vela faceret. Interim Ganabaram *ſinum* ingredientes ſiniſtro in litore, locóque à Gallis Laterana dicto conſedimus, mille paſſibus à Caſtello Colignio. Quemadmodum verò frequẽter, & familiariter inde apud Barbaros commeabamus, inita cum Barbaris conſuetudine, vnà conuiuari, agere, ambulare: illi ſe humaniſſimos præbere, (vt eũ benignitate facilè ſuperarent, qui ne dicto quidem violatus à ſe nos expuliſſet) hoſpites inuiſere, cibariis etiam, rebúſque neceſſariis adiuuare cœperunt. Hactenus quæ Villagagnonis fuit in religione inconſtantia, quàm crudeliter ſub religionis ſpecie nos accepit, quæ eius diſputationes, ad Euangeliúmque repudiãdum extitêre cauſæ, qui ſermones quotidiani, quæ ſæuitia in domeſticos, qui cultus corporis, breuiter dictũ ſit: quem autem dedit nobis commeatum, quámque proditoriè nos dimiſerit, in tempus illud reiicio, quo ad reditum in Galliam naues aſcendemus. Interea Villagagnonem ſuos in Caſtello miſerè affligentem paululùm relinquens, primò eius propugnaculum deſcribam, ſinúmque cui imminet.

Locus quẽ in cõtinẽte Americæ incoluimus.

CAP. VII.

Descriptio sinus Ganabaræ, qui & Geneurensis appellatur: Insulæ, Castellique Coligny, atque insularum adiacentium.

CVm sinus iste à Barbaris Ganabara dictus, eo tempore, quo illic agebamus, inter cæteros eius regionis portus, nauibus Gallicis notissimus fuerit: abs re non existimaui alienum, si peculiarem eius descriptionem hoc loco proponerem. Ille à Lusitanis Geneurensis appellatur, quod Calēd. Ianuar. primò eum intrasse credatur: tribúsque viginti gradibus iacentem vltra Æquinoctialem lineam, sub Capricorni tropico. Cuius rei meminisse lectorem cupio, vt Theucti agnoscat impudentiam. Is in libro vir. Illustr. *Quoniambecum* laudans, ait, me aut alium impostorem, hunc sinum ad tres & viginti gradus, prope polum Antarcticum collocasse, quum tamen nunquam aliter, quàm hîc scripserim. Quæ alij de sinu isto scripserunt, prætermitto, eúmque quatuor & viginti passuum millibus patêre affirmo. In quibusdam verò locis in latitudinē crescere, donec 14. aut 16. conficiat. Et quãuis ij mõtes, quibus iũgitur, non adeò sint excelsi, atque ij sunt quos Geneuensis lacus alluit, rectè tamen cum eo cõparari

Comparatio lacus Geneuensis cum fluuio Ganabara in Brasilia.

parari

parari poteſt ob vicinitatē vndique terrarū.

Oſtium eius periculoſum eſt, quia relicto mari trium Inſularum incultarum oræ legendæ ſunt: vnde magnum nauibus periculum imminet, ne ſcopulis alliſæ penitus frangantur. Deinde præternauigandum eſt fretum, quod cùm trecentos in latitudinem paſſus non habeat, enaſcitur ſiniſtrorſum è monte, ac rupe pyramidis formam imitante: quæ nō modò eſt immenſę magnitudinis, verùm etiam eminùs artificio quodam elaborata videtur. Propter eius autem rotunditatem, & quòd ingenti turri perſimilis eſſet, hyperbolicè à Gallis *le Pot de beurre*, appellata fuerat. Paulò vlteriùs intra ſinum ipſum rupes extat ſatis plana, quæ in circuitu patet circiter centum & viginti paſſus. Hæc à nobis *Le Ratier* dicebatur, quam Villagagno cùm primùm appuliſſet, impoſita primùm ſupellectile, ac impedimentis, muniri poſſe ſperabat: vi tamen vndarum inde pulſus eſt.

Rupes vocata vas butyraceum.

Muſcipula.

Ea porrò, quam incolebamus inſula, duobus eſt paſſuum millibus vlterior: hęc (vt commemoraui) erat inculta ante Villagagnonis aduentum. In circuitu circiter paſſus mille complectitur, latitudinem ſexies ſuperante lōgitudine: ſcopuliſque ad libellam ſummæ aquæ extantibus cingitur, qua de cauſa naues citra tormēti iactum accedere non poſſunt: eſtque ideò naturâ munitiſſima, vt adiri ne nauigiolis quidem poſſit, niſi è portus latere ex aduerſo ingregientis Oceani. Hæc ſi diligen-

Deſcriptio Inſulæ & propugnaculi in quo Villagagno habitabat.

ter custodita fuisset, nec expugnari, nec intercipi potuisset, quemadmodũ à reditu nostro fuit à Lusitanis occupata, eorũ qui relicti essent culpa: ab vtraque parte eminebat colliculus, cuius in fastigio tuguriolum Villagagno extruxerat: rupi verò quinquaginta, aut sexaginta pedes in altitudinẽ porrectę, & ad insulæ cẽtrum sitæ, suũ imposuit prætorium. Reliqua in planiciem redacta, domiciliis continebantur, quæ, annumerata omni Villagagnonis familia, octoginta circiter homines incolebant. Illa omnia si prætorium excipias aliquot fabrilibus lignis ædificatum & propugnacula qualicunque cæmento superinducta, parua erant tuguriola, prout Americani solent lignis extructa rotundis, herbáque contecta, dum paucis artificium munitionis illius, quam Villagagno nuncupauit Coligniũ in Gallia erectum Antarctica. Id autem ab eo factũ est, vt Gaspari Collignio Galliæ Thalassiarchę gratularetur: neque immeritò. Nunquam enim sine illius fauore, ac ope (vt anteà commemoraui) cùm iter illud agere, tum vllam in Brasilia munitionẽ exædificare potuisset. At cùm illius viri longè nobilissimi memoriam immortalitati commẽdare velle, præ se ferret, (Nam, vt eius defectionem taceam, violatámque fidem qua receperat, antequam è Gallia excederet, se verum Dei cultum in Brasiliensi ora instauraturum esse:) quantam quæso ansam Lusitanis, arcem à se desertam nunc obtinentibus, præ-
buisse

buisse putatis erigendi trophæa de nomine Collignio, Galliæque Antarcticæ, quod illi tractui fuerat impositum?

In quibus commemorandis satis mirari nequeo, Theuetum Anno 1558. biennio post suum in Galliam reditum, vt Henrico secundo adularetur, qui regnum tunc temporis administrabat, in describendo sinu isto, & propugnaculo Colignij, ad dextrum latus in continente vrbem depinxisse, quam Henricopolin nominat. Et quamuis tempus ei satis superfuerat ad illius erroris emendationẽ, nihilominus in sua eum Cosmographia extare voluit. At ego vehementer affirmo, cùm è Brasilia migraremus, id quod contigit plus octodecim post Theueti profectionem mẽsibus, pagum nullum, vrbem verò multò minus, eo vnquam in loco fuisse, vbi suam falsò Henricopolin collocat. Atque etiam fluctuans vrbis sæpe nomen inuertit, quam primò vernaculo sermone Ville Henry, secũdò Henry-ville nominat, idẽ etiam tertiò facturus, si ea de re loquatur in posterum. Inde apertè liquet, hominem somnia tantùm afferre, ac vanam quandam picturam. Cæterùm quis non animaduertit, multò magis Theuetum nomine Regis Henrici abusum esse, quàm Villagagnonem Colignij, quod imposuit propugnaculo suo? Errore autem denuò repetito, videtur Principis memoriã prorsus conspurcare voluisse. Rectè, Plutarchus, Augustum Cæsarem excandescere, ait,

Vrbs imaginaria in operibus Theueti.

ſolitum, ſi quid de ſe niſi grauiter, & à viris præſtãtibus memoriæ proderetur: eum quoque magiſtratibus in mandatis dediſſe, ne paterentur nomen ſuum à morionibus, hiſtrionibúſque haberi ludibrio. Alexander publico edicto cauit,ne ab alio,quàm Apelle pingeretur:regium quippe nomen in pretio eſſe debet. Vt autem obuiam reſpondenti Theueto eam, locum cuius meminit, eum eſſe nego quem nos Laterariam vocabamus, in quo operarij noſtri tuguriola quædã ædificauerãt. Attamen fateor, vbi primùm Galli conſedere, montem extare, quem de Regis nomine, Henricum appellarunt: vt alterum etiam poſteà Corquillercum diximus, de cognomine Philippi Corquillerci, cuius ductu illuc appuleramus.Sed ſi tanta eſt inter montem,& vrbem diſcrepantia, quãta inter templum,& vaccam, Theuetum in deſcribenda Vrbenrica, aut Henricurbe deliraſſe quis dubitet,aut impónere lectoribus voluiſſe? Ego autem, ne de his prętcr veritatem loqui videar, eorum appello teſtimonium, qui iter illud confecerunt:ſedeãt etiam inter iudices, qui Villagagnonẽ ſimul comitati ſũt, quorũ adhuc nonnulli ſuperſunt, an in eo loco extiterit quoddam vrbis veſtigium:& non potius totum illud figmentum poëtarum ſomniis valde ſit affine. Quoniam autem (vt in præfatione dixi) Theuetus,me, ſociósque ſine cauſa eſt adortus, moleſtè ferre nõ debet, ſi vnius facere iacturam vrbis hac mea defenſione

ſione cogatur. Cæterùm multos in eo præterea errores notaui, quos ſingillatim exponam, niſi ſe his contentum eſſe demonſtret. Malè me certè habet quòd interrupta ſermonis ſerie, huc delapſus ſum, ſed cùm id veritatis tuendæ gratia fecerim, liberum facti mei iudicium Lectoribus relinquo.

Vt igitur quæ reſtant de Ganabara perſequamur, ſciendum eſt vltra propugnaculum, decem ferè millibus pulcherrimam, fertiliſſimámque inſulam iacêre: ea cùm in circuitu duodecim paſſuum millibus pateret, Magnæ inſulæ nomen à nobis ſortita eſt. Quinetiam quòd à Tououpinambaulſiis fœderatis incoleretur, eam frequenter petebamus, ad exportandam farinam, aliáque neceſſaria.

Magna inſula.

Sunt præterea in illo ſinu maris multæ inſulæ incultæ, in quibus præſtantiſſima oſtrea reperiuntur. Barbari quidem in litoribus ſe ſubmergentes, manibus inferunt lapides ingentes exiguis oſtreis (illi *Leripes* vocant) circumdatos, quæ ſic petris adhærent, vt vi ſint auellenda. Horum plenos lebetes coquebamus, & in quibuſdam exiguas gemmas reperiebamus.

Leripes oſtrea.

Hic fluuius multorum piſcium genere abundat, in primis mulis quàm optimis, ſuibus marinis, & mediocribus aliis, quorum nonnullos, in capite de Piſcibus, deſcribam. Hîc verò ingentes, ac monſtroſas Balenas ſilentio præterire nolo, quæ pinnis aquam

Balenæ.

ſuperantibus, nobis ita fiebant obuiæ, vt tormentulis facilè peterẽtur. Verũtamen iſtiuſmodi globis ea valde lædi non exiſtimo, tantum abeſt, vt interfici poſſint: eáque de cauſa recedebant à nobis innoxiæ, quòd pelle ſint duriſſima, craſſáque pinguedine. Harum vna, quatuor, & viginti à Caſtello miliaribus Friẽſe promontorium verſus in vadis adhæreſcens, Oceanum repetere, quòd eã aqua profundior defecerat, non potuit: ad quam tamẽ accedere auſus eſt nemo, antequàm expiraret, quippe cùm ſuis conatibus vicinam terrã concuteret, & à quatuor millibus paſſuũ exaudiretur. Poſtquam verò vitam exhalauit, multi ex Barbaris, & noſtris fruſta quædam carnium deciſarum abſtulerunt: reliquum autem eo in loco remanſit. Eas verò carnes parui faciebamus, propter inſipidum guſtum: pinguedinem verò colliquabamus, vt oleo expreſſo ad lucernas vteremur. Lingua verò, quę pars exiſtimatur præſtantiſſima, ſale condita fuit, Thalaſſiarchæ in Galliam tranſmiſſa.

Balæna in vadis.

Duo ſunt etiam flumina, quæ ad extremitatem ſinus terra vndique circundata, cum eo coniunguntur. In iis ego aliquoties cum Gallis nauigaui, & multos Barbarorum vicos in vtroque littore ſitos inuiſi. Hæc ſunt quæ in hoc ſinu præcipua cognoui, atque etiam arcis poſſeſſionem Gallis ereptam eſſe, tanto magis doleo, quanto hæc rectè cuſtodita, vt erat facillimum, tutum nobis perfugium, &

Fluuij dulces.

Gallis commodissimam nauigandi occasionem præbere potuissent. Vltra quadraginta, aut sexaginta passuum millia Platam versus, & fretum Magellanicum, alter est ingens maris sinus, à Gallis Vasarum dictus, ad quem appellunt, illuc qui nauigant, sicut & ad Friēse Promontorium, quod & primùm tenuimus cùm Brasiliam peteremus.

CAP. VIII.

De ingenio, robore, statura, nuditate, ornamentis corporis virorum, & fœminarum Brasiliensium, apud quos annum ferè sum commoratus.

HACTENVS ea quæ in mari vidimus, dū Brasiliēsiū regiōes petiimus, descripsi: quis fuerit in Insula, & Colignio Castello rerum status, tantisper dū illic viximus: qualis denique sit Ganabara sinus demōstraui: Nunc antequàm naui conscensa reditum in Galliā parē, vitę genus, & alia hîc à nostris incognita, paucis describere volo.

Statura, ac dispositio Barbarorum.

Vt autem ordine cuncta exequar, Barbari Americani, qui terrā Brasilij incolūt, *Tououpinabaulsij* nominātur, quibuscū ego circiter annū familiariter sum versatus. Ii corpus nec ꝑdigiosū, nec mōstrosū habēt, sed nostro, qui in Europa viuimus, persimile, quod ad staturā spectat. Sunt quidē fortiores, robustiores, sa-

niores,& minùs obnoxij morbis. Pauci apud eos sũt claudi:pauci altero priuati oculo: deformes ferè nulli:licet etiam cẽtesimũ, ac vigesimum ætatis annũ sæpe attingant, (per lunas enim annos numerare norunt) pauci tamen canescunt. Id verò regionis illius temperiem indicat, quæ quum nullis frigoribus, aut pruinis torreatur, virides herbas, agros, & arbores semper habet:ipsi quoque molestiis, ac curis omnino vacui, iuuentutis in fonte labra rigasse videntur. Et quoniam fontes lutosos, & scaturigines pestilentes non adeũt, è quibus mala omnis generis oriuntur, quæ nos ante tempus attenuant, macerant corpus, animum excruciant, denique perimunt: vtrumque nihil eorum ad illos pertinet: diffidentia, auaritia, litibus, inuidia, ambitione denique non laborant. Colore prorsus nigro non sunt, sed tamen ad nigredinẽ accedente, propter solis vehementiã, quemadmodũ Hispanis, ac Prouincialibus vsuuenire videmus.

Ætas Barbarorum.

Barbari rerũ mundanarũ neglectores.

Cæterùm viri, fœminæ, infantes nudi prorsus incedunt, nec vllas corporis partes vnquam tegunt, nullo eius nuditatis pudore. Attamen villosi non sunt vt quibusdam visum est, imò simul atque pili in corpore apparent, aut vnguibus, aut forcipibus paruulis, quas à Christianis accipiunt, euellunt:barbam ipsam, palpebras, supercilia eradicant, vnde lusci, toruóque aspectu fiũt. Idem legimus in insula Cumana vsurpari à Peruensibus. Caput quidem illi capillis vestitum

Nuditas Barbarorũ in genere.

In eos qui Barbaros villosos esse putant.

Hist. gen. Ind. li. 2. c. 79.

ſtitum habent, qui maribus ab ineunte ætate à vertice ad ſinciput raduntur, vt monachorum coronam dicas: ad occiput verò comam nutriunt noſtrorum more maiorum, quam, vbi ad collum vſque fluctuat, reſecant. Hîc, ne (ſi fieri poſſit) aliquid à me prætermittatur, quod ad hanc tractationem pertineat: illud addam, eſſe nimirum in illis terris herbas quaſdam duorum digitorum latitudine: hæ paululum incuruæ, in orbem & longitudinem excreſcunt, veluti calamus, qui contegit ſpicam millij illius prægrãdis, quod apud Gallos triticum Sarracenum nuncupatur. Vidi aliquando ſenes (non tamen omnes, nunquam adoleſcentes, multò minùs pueros) qui duobus illius herbæ foliis acceptis, filóque xylino virilia contegerent, atque etiam faſciis, ac linteolis, quæ à nobis habebãt, obuoluerent. Qua in re primo aſpectu elucere videretur ſcintilla quædam naturalis verecundiæ, ſi modò id ea de cauſa facerent. Etſi enim id penitiùs nunquam ſum ſcrutatus: nihilominùs tamen arbitror id ab illis fieri tegendi alicuius morbi gratia, quo in ſenectute partes illæ conflictantur.

Quare ſenes Americani interdũ virilia tegant.

Hoc inſuper de more habent, vt ab infantia pueris omnibus labium inferius pertundant, eóque in foramine os quoddam perpolitum, ac inſtar eboris candidum inſeratur, minimarum figura pyramidum, quæ ſupra menſam in quincuncem ordinatæ, verticillo petuntur. Pars faſtigiata pollice vno, duobúſ-

Labiũ perforatum & eius perforationis ratio.

ve digitis extrinſecus porrecta, inter gingiuas, & labium retinaculo adhæret: ídque pro arbitrio auferunt, reponúntque. Os verò illud faſtigiatum, ac candidum,in adoleſcentia tantùm geſtant. Cùm verò ad grandiorem ætatem peruenêre, cúmque lingua ſua *Coromi ouaſſou* vocari incipiunt,(quod grandem, aut craſſum adoleſcentem ſonat) foramini labiorum inſerunt lapillum viridem, ex genere pſeudoſmaragdi, qui ſimiliter obice quodam intrinſecus retentus extrinſecus apparet,capitati argentei rotunditate,ac latitudine, craſſitudine autem duplici. Atque etiã nonnulli reperiuntur,qui digiti longitudine geſtent, cúmque teretem. Cuius poſtremi generis vnius à me in Galliam allatus eſt. His lapidibus interdum ſublatis, Tououpinambaultii, linguam foras per rimam illam labiorum, animi gratia egerunt, ita vt gemini oris effigiem ſpectantibus præbeant. Vtrùm verò ſpectaculum iſtiuſmodi placeat, an deformes admodum hac ratione fiant,facile eſt iudicatu. Alios inſuper vidi, qui lapillos eiuſmodi virides in labiis geſtare non contenti, vtriſque malis eundem ad vſum perforatis, includebant.

Lapilli virides labiis inſerti.

Malę perforatę ad lapillos inſerendos.

Quod ad illorum naſos attinet, cùm apud nos obſtetrices ſoleant ab ipſo puerorũ ortu, vt formoſiores, ac productiores efficiant, digitis extendere : contrarium prorſus inſtitutum apud Americanos noſtros obtinuit. Puerorum enim pulchritudinem naſi depreſſione

ſione metiuntur. Itaque ſimul ac ex vtero matris prodiêre, pollice naſus eis deprimitur, perinde atque catellis in Gallia quibuſdam fieri ſolet. A quibus longè illi diſſident qui quodam in Paruani regni tractu, ferũtur tanto eſſe naſo præditi, vt ex eo ſmaragdi, cyanii, aliíque lapilluli, cùm candidi, tum rubri, filo aureo ſuſpendantur.

Hiſt. vniu. Ind. lib. 4. cap. 108

Noſtri præterea Braſilienſes cõpluribus pigmentis ac coloribus ſibi corpus variegãt: imprimis verò crura, ac tibias adeò inficiunt atro colore, ex ſucco fructus cuiuſdã, àb illis *Genipat* dicti, vt eminùs animaduerſa, femoralibus ſacerdotalitiis induti eſſe videãtur. Ea porro nigredo expreſſa ex illo *Genipat* fructu, ita illorum cuti adhæreſcit, vt decem aut quindecim diebus elui nequeat, quamuis ſe frequenter abluant.

Barbari nigro colore infecti, & variis coloribus picti.

Adhæc meniſcos etiam habent octo digitis longiores, ex oſſibus apprimè læuatis, ac inſtar alabaſtri candidis (quæ *Yaci* appellãt) mutuato à Luna nomine, quam ita vocant: hos funiculo xylino ad pectus è collo appenſos demittunt.

Meniſci ex oſſibus cãdidis.

Similiter fruſtula complura teſtę prægrandis lapide quodam diu multúmque attrita perpoliunt. Rotunda deinde, ac inſtar denarii tenuia efficiunt, & vmbilico pertuſa, filóque xylino traiecta, pro torquibus collo inſerunt: (hæc *Boü-re* ipſorum lingua vocantur) vt apud nos catenulæ ſolent aureæ. Id porrò, quod à multis buccinum appellatur

esse crediderim, ex quo plerasque mulieres, zonas apud nos gestare videmus: cuius & quidem præstantissimi, plusquàm tres vlnas habebam, cùm in Galliam appulissem. Barbari præterea torques (quos ab illis *Boü-re* dici, anteà commemorauimus) conficiunt ex quodam genere ligni nigri, ac solidi, cuiusmodi sycomorum esse Matheolus testatur, quod ad eam rem valde accommodatum est: quoniam ad grauitatem, ac splendorem gagatis accedit. Maximam pręterea vulgatarū gallinarum copiam habēt Americani: quarū progeniem à Lusitanis acceperunt. Albis sępenumero plumas detrahunt, ac ferramentis quę nunc habent: anteà verò cùm illis carerent, lapidibus peracutis molliores plumulas minutatim concidebant. Illis aquæ feruidæ, ac bullienti impositis, ac rubro coloris brasilico tinctis: postquam se gummi quodā ad id accommodato, illeuerunt, contegunt, atque ornant corpus, brachia, tibias, variisq; depingunt coloribus: ita vt instar pipionis, aliarúmve auium recens exclusarum, lanuginem quandam habere videantur. Vnde verisimile est, vt, cùm quidam nostrates in eas terras peruenissent, eósque ita initio ornatos prospexissent, nihil penitius de eis perscrutati, hunc rumorem sparserint, Barbaros scilicet prorsus esse villosos. Res tamen longè secus sese habet, vt qui tales naturâ nō existāt. Proinde rumor ille ex rei ignoratione manauit, cui deinde nimiùm leuiter fides adhi-

Boü-re torques.

Barbari plumis ornati crediti sunt villosi.

bita eſt. Quidam etiam memoriæ prodidit Cumanos ſeſe vngere ſolitos gummi quodã, vnguẽtóue glutinoſo ac deinde ſe plumis variorum colorum conueſtire.

Hiſto.gen. Ind. lib. 2. cap. 79.

Ornatus verò capitis *Tououpinamkiorum* noſtrorũ hęc eſt ratio: pręter ſincipitis abraſionem in coronæ monaſticæ formã, crinéſque occipitis quos ad collum ſummitti diximus, ſolent inſuper auiũ plumas, roſei, rubei, cuiuſuis denique coloris aptiſſimè compoſitas colligare, eáſque ad frontalium vſum adhibere. Hæc non malè galericula referunt nõ ita pridem à nobilioribus fœminis noſtratibus vſurpata: Quę proinde à Barbaris noſtris accepiſſe non immeritò dicantur. Frontale autem iſtud vernacula lingua eſt *Yempenambi*.

Frontalia ex plumis contexta.

Inaurium quoque ex oſſibus albiſſimis apud eos magnus eſt vſus, oſſibus illis non abſimilium quæ perforatis ſuis labiis adoleſcẽtes imponere diximus. Apud eos auis eſt *Toucan* nomine, atra, toto corpore ceu coruus, circa ingluuiẽ plumis tenuiſſimis fuluo colore, torque miniato ab imo circundatis. Partis iſtius pellem detrahunt, detractam ſiccant, (auis nomen retinet) ſiccatam vtrique genæ applicant cera agglutinatam, quã *Trayetic* nuncupant. Quibus ita aptatis, dicas vmbones lupatarios ex ære, inauratos ab illis geſtari.

Inaures.

Præterea ſi ad bellum ſeſe accingant, aut pro more, de quo alibi, & ſolenni pompa ca-

ptiuum deuorandum ſunt mactaturi, vt ad ornatum & elegantiam nihil deſit, veſtes induunt, pileos aptant, armillas brachiis imponunt ex plumis viridis, rubei, cærulei, & cuiuſcunque alîus coloris compactas, eximiæ pulchritudinis. Quibus artificioſiſſimè aptatis & interſertis atque adeò calamo tenui arundineo filóque xylino admodum concinnè compactis & connexis, vt vix vllum credam in Gallia eſſe phrigionẽ qui maiori induſtria plumas illas tractare & aptare poſſit, dicas veſtes hac ratione contextas è villoſo ſerico confectas eſſe. Eundem ornatum ligneis ſuis clauis adhibent quibus ad hunc modum ornatis elegantius dici nihil poteſt.

Ornamentorum poſtremum genus eſt, quod Struthiocamelorum pennis leucophæi coloris, quas ab accolis accipiunt (ex quo licet colligere grandiſſimas illas aues in regionibus illis verſari, quas tamen illic me non vidiſſe ingenuè fateor) hoc modo conficiunt: caules ordine ab vna parte diſponunt, plumæ ab altera eminent, atque in orbem circumflectuntur in modum conopæi vel roſæ. Itaque fit pennarum faſciculus quẽ ſua lingua *Araroye* appellant. Hunc tergo imponunt, filóque xylino alligant, caulibus cutem eorum contingentibus. Quo cùm ſunt ornati, caueam pullis includendis tergo impoſitam geſtare videntur. Fuſiùs alibi à nobis dicetur, eos, qui bellicoſiſſimi volunt haberi, quo fortitudinem ſuam palam faciant, multóſ-

Pennatum faſciculus.

multósque à se interfectos hostes esse demõstrent, captiuos denique vorãdos multos mactasse iactent, pectus, lacertos & femora incidere, incisuras verò illas atro quodam puluere inficere, quo, ad mortem vsque earum vestigia conseruantur, itaque aspicientibus thoraces & femoralia Heluetico more incisa repręsentant.

Barbarorũ incisuræ.

Compotationibus autem seu *Caouinationibus* & saltationibus illis si sit indulgendum; in quibus certè vt plurimùm occupãtur, quo magis animum excitent, præter horrendos clamores & eiulatus quos emittere cõsueuere, fructus colligũt; corticis duri satis, echinũ forma & magnitudine referentes, cuius exsiccati nucleum auellunt, atque in eius locum lapillos immittunt: huius generis multos filo attexunt, tibiísque apponunt: non minorem concitati, strepitum ederẽt, ac testę limacum, si eo aptarẽtur modo, quin à saltatoriis crepitaculis non longè absunt. Quę quidem cupidissimè exoptant Barbari cùm ad eos comportantur.

Crepitacula è fructibus.

Fert insuper ea regio arborem, cuius fructus Struthiocameli ouum crassitie adæquat, formáque refert. Hunc perforatum (eo quo à puerulis nuces apud nos perforantur modo) lapillísque aut milij crassioris (de quo suo loco) granis immissis, baculóque sesquipedali traiecto, instrumentum *Maraca* nomine fabricant. Strepitum edit ingentem, adeò vt

Maraca instrumẽtũ.

ſuillas veſicas piſis plenas ſuperet: quò fit vt à Barbaris nuſquam non manu geſtetur. Quę ſit Barbarorum de iſto *Maraca* atque eius ſtrepitu opinio, præſertim cùm plumis egregiè ornatum, certóque deſtinatum vſui fuerit, tum à nobis dicetur cùm de eorum religione agemus. Hactenus de natura, veſtitu, & ornatu quo *Tououpinambaultij* noſtri vti conſueuere, paucis dictum eſto. Veruntamen appendicis vice addam, criſpatum pannum, rubri, viridis, flauíque coloris à nobis magnâ copiâ aduectum fuiſſe, ex eo veſtes omnis generis cõficiebamus: quas deinde permutatione facta cum cibariis, cercopithecis, pſittacis, braſilio, goſſypio, pipere Indico, aliiſque id genus quę à mercatorib. aſportari ſolent, Barbaris dabamus. At plerique nuda corporis parte reliqua, laxa & vndãtia femoralia ſolùm induebant. Alij contrà femoralibus contemptis, tunicam nates pertingẽtem induebant. Mox autem emenſis aliquot paſſibus, & in ſeipſos oculis identidem conuerſis, non ſine noſtrorum riſu & cachinnis, exutas illas veſtes domi reponebant, quoad rurſus eas inducere in animum inducerent. De induſiis quoque & pileis idem iudicium.

Barbari ex parte nudi, ex parte verò induti.

Epilog. 1.

Quæ de externo corporis habitu cùm virorum tum puerorum dicenda fuerunt, ſatis fuſè perſecuti nobis videmur. Itaque ſi ex hac noſtra deſcriptione Barbarum animo ſibi reprę́ſentare quis cupiat: in primis nudũ virum imaginetur, cuius membra aptè & cõcinnè

cinnè fuerint compoſita,pili euulſi,capilli ad ſinciput abraſi,labia,geneq́ue perforatę,quibus oſſa præacuta aut viridis lapilli fuerint inſerti, auriculæ in auribus traiectæ, corpus variis fucatum coloribus,femora & tibię atro illo fuco è *Genipat* infectæ, collum torque ex minutis cochleæ *vignol* fruſtulis ornatum talem certè habebis qualem in ea regione cõſpeximus, atque in hac tabella depictũ, conſpiciendum exhibemus,torque tantùm oſſeo ornatum lapillóque labio inſerto,in cuius altera manu arcum remiſſum, in altera ſagittas impoſuimus.



Prætereà ad hanc tabellam implendam, huic *Tououpinambaultio* vnam ex vxoribus ſuis appoſuimus puerulum ſuum pro more, mitellæ xylinæ impoſitum in vlnis gerentem, qui viciſſim vtraque tibia matris latus amplexatur. Lectum etiam è goſſipio retis ad formam in aere ſuſpenſum adiunximus: fructúmque eorum optimũ *Ananas*, de quo poſtea, depinximus.

Iam verò ſi alia forma Barbarum animo informare placet, ridiculo illo amictu detracto gummi viſcoſa vniuerſum corpus erit perliniendum, deinde plumæ minutim conciſæ ſuperiniiciendæ. Hac verò artificiali lanugine indutus vbi fuerit, quàm lepidus ſit futurus non neceſſe eſt dicere.

Epilog.2.

Deinde ſiue naturalem retineat colorem, ſeu variis colorib. aut plumis fucatus fuerit, veſtes illas, pileos, armillas plumaceas quas deſcripſimus adhibeto. Tum maximè ornatum eſſe conſtabit.

Deſcriptio 3.

At ſi veſtes illas criſpati panni admouere viſum fuerit, eíſque (quemadmodum facere eos demonſtrauimus) alia ex parte nudis tunicam impoſueris, cuius altera manica ſit luteo altera viridi colore, ad certiſſimas morionis notas parparum deerit. Denique inſtrumentum *Maraca* his adiungere ſi lubet, pennarúmque faſciculum *Araroye* tergo aptarum, crepitacula quoque ex fructibus tibiis alligata, eam referet formam quam ſaltaturus aut compotaturus obtinet.

Deſcriptio 4.

Barbarorũ inter ſaltãdum & potandũ ornatus.

Reliquam Barbarorum in ornandis corporibus industriã, iuxta integram quam antè edidimus descriptionem, vix multi exprimerent typi, qui etiam nisi adhibitis coloribus rem totam commodè haud repręsentarent: veruntamen pręter ea quæ iam antè cõmemorauimus, cùm ad arma & prælia eorum ventum fuerit, toto corpore incisos, clauis ligneis instructos truculento aspectu homines dabo. Attamen hos in præsentia omittamus, ornatúque suo & voluptatibus (quibus non imperitè indulgent) frui sinamus. Cultus verò fœminarum quas illi *Quoniam*, & quibusdam in locis ex quo commercium cum Lusitanis habent *Maria* nominant, quantò sit præstantior dispiciamus.

Americanę fœminę nudę incedunt.

Nuditas in primis, sicut initio huius capitis monuimus, cum viris illis est communis, pilos quoque consimiliter omnes euellunt, ne palpębris quidem & supercilis exceptis. Ad comam quod attinet, ab illis differunt: viri enim, vti dictum est, ad sinciput abradunt, ad occiput verò demittunt: fœminæ contra non modò alunt: sed etiam more nostratium frequenter pectere & abluere solent. Quinetiam xylina vitta rubro colore infecta constringere & cõplicare illis est familiare. Passis tamen & oberrantibus capillis vt plurimum incedunt, quippe iis circa humeros circumfluentibus & volitantibus delectantur.

Inaures mõstrosæ.

Alterum quoque discrimen in eo positum est, quòd perinde vt viri, labia non perforãt: ac

ac proinde gemmis siue lapillis faciem non exornant. Auriculas tamen adeò traiiciunt, vt detractis inauribus digitum capiant: inaures istæ ex prægrandi illa cochlea *vignol* candore & longitudine candelam mediocrem adęquant: quo fit vt humeros, atque adeò pectus ipsum pertingentes si eminus conspiciantur, vestigatoris canis pendulas aures referant.

Faciei verò hunc adhibent cultum. Accersita ad hoc ministerium socia vel vicina circulum penicillo in media gena delineat, in cochleæ verò formam fucum cæruleum, flauum, rubrum tantisper circunducit dum vniuersam faciem coloribus illis distinxerit ac variarit: Quinetiam palpebrarum ac superciliorum locum (quod fœminas parum pudicas in Gallia factitare audio) penicillo oblinit.

Mira Americ. fœmi. fucandarũ ratio.

Armillas etiam ex compluribus candidissimis ossium frustulis in squamæ modum incisis contexunt. ea tamen adeò aptè & concinnè cera gummi permixta iungunt, vt nihil suprà. Hæ longitudinem palmi obtinent: ac non malè brachiale illud referunt quo folliculo pellendo vtuntur apud nos. Torques quoque candidissimos quos *Bou-re* nuncupant gestare illis est familiare: collo tamen non appendunt, qui mos est virorum, sed iis in armillarum modũ brachia inuoluunt. Hũc in vsum vitreos globulos flaui, cærulei, viridisque coloris quos filio traiectos habeba-

Armillæ prægrãdes ex compluribus ossiũ frustulis cõpositæ.

mus summè exoptabant, *Maurobi* appellant. Hos, siue ad earum pagos accederemus, siue ipsæ Castellum nostrum adirent, vt à nobis extorquerent oblatis fructibus aut aliis quibusdam, crebrò blandissimis his verbis vrgebant, *Mair, deagatorem, amabé Mauroubi.* hoc est, Galle, bonus es, da mihi armillas ex vitreis globulis. Eadem prorsus ratione pectines quos *Guap* aut *Kuap* vocãt, specula quoque *Aroua* reliquasque merces quibus delectantur flagitabant.

Mirum verò mihi præ cæteris hoc videbatur, quòd licet corpus, brachia, femora, tibiásque variis coloribus non ita frequenter distinguant, nec plumarum ornamentis vtantur, vestes tamen ex crispato panno, à nobis sæpiùs vnà cum indusiis oblatas, vt induerẽt nunquam impetrauimus. Etenim in ea pertinacia permanebant, à qua nondum demotas esse existimo. Excusationem ex recepta ab omnibus accolis consuetudine captabant. Solere omnes ad obuia quæuis flumina & fontes subsidere, vt hausta manibus aqua, caput aspergant: contingere nonnunquam vt (anatum more) vno die decies immergantur: vestes si toties sint exuendæ, molestissimum fore. Pręclarã certè & speciosam causam. Atqui, quã necesse erat admittere, quippe cum illis disceptando nihil promouebamus. Adeò autem nuditas est illis cordi, vt non modò *Tououpinambaultiorum* fœminæ liberæ quæ in continente versabantur,

Certũ fœminar. Am. de vestibus reiiciendis cõsilium.

Barbararũ fœm. de crebra ablutione cõsuetudo.

vestes

vestes omnes pertinaciter reiicerent, sed etiam captiuæ pretio à nobis emptæ, quibus pro mãcipiis ad Castellum nostrum muniendum vtebamur, cohiberi non poterant quin animi gratia, noctu, indusiis reliquíque panniculamentis depositis ante somnum per insulã nudæ oberrarẽt. Denique si penes eas accipiendarum aut reiiciendarum vestium fuisset potestas, à nobis verò ad eas induendas flagris adactæ non fuissent, æstum solis perferre, lacertósque & humeros lapidibus & humo comportandis lædere maluissent.

Captiua fœmina mirũ in modũ nuditate delectatur.

Hæc de ornamentis, armillis, reliquóque Americanarum fœminarum mundo paucis fuere dicenda. Itaque nullo addito epilogo prout cuique visum fuerit, animo concipiendas relinquo.

Quis sit infantium ab vtero matris ornatus tum à me dicetur cùm de Barbarorũ coniugiis agemus. Hic locus postulat vt aliquid de maiusculis, hoc est tertium aut quartum annum excedentibus, quos vulgò *Canomimiri* nuncupant dicamus. His certè non parum delectabamur: siquidem, præ nostratibus puerulis, corpore præpingui, osse candido, labio inserto, circumtonsis capillis, corpore nonnunquam depicto nobis ad pagum accedentibus, gregatim choreas agitantes ob viam veniebant. Vt autem aliquid præmij à nobis referrent, sæpius blanda ista verba repetebant *Coutouassat, amabé pinda*. hoc est, Socie da mihi hamos hos. si quando à nobis im-

Canomi-miri pueruli.

petrabant (quod non rarò contingebat) hamósque decem vel duodecim minores arenæ aut pulueri imponebamus, tum illi confestim exultare, & humi fusi terram instar cuniculorum radebant. Quæ res non minimæ erat voluptatis.

Denique quamuis Barbaros cuiusuis ætatis per annum integrũ quo apud eos vixi sollicitè admodum sim contemplatus, adeò vt idea quædam etiamnum animo meo inhæreat: fateor tamen ob varios gestus à nostris prorsus alienos, literis eos picturáve exactè referre difficillimum esse. Si quis igitur plenã voluptatem ex illis capere cupit, vt ipsam Americam adeat autor fuerim. At verò, dices, non vnius esse iter diei. Id quidem ego confirmo: ac proinde nonnisi cautè suscipiendum esse suadeo. De illorum casis, supellectile, cubandi ratione, aliísque non paucis, prout res tulerit, posthac dicturi sumus. Priusquam autem huic capiti finis imponatur, in eos aliquid dicendum videtur qui aut opinantur tacitè, aut etiam scriptis mandarunt commercium illud adeò frequens cum Barbaris nudis ac præsertim cum fœminis, ad lasciuiam & libidinem prouocare: dico igitur, quamuis in speciem nuditas illa concupiscentiæ esca non immeritò censeatur, tamen, vt res ipsa comprobauit, inculta illa nuditate certũ est, multò minùs opinione viros ad libidinem pellici. Itaque ausim asseuerare splendidum illum cultum, fucos, supposititias comas, capillos

Barbari cur exactè exprimi non possint.

Americanarum nuditas cultu nostrarum fœminarum minùs noxia.

pillos calamiſtratos, ampla illa & tanto artificio complicata, amictoria pretioſa, mammillaria, laciniatas & vndantes veſtes, cæteráque huiuſmodi, quibus fœminæ noſtrates tam ſedulò formam mentiuntur; plura incommoda & mala parere, quàm faciat Barbararũ nuditas, tametſi forma ab illis non vincãtur. Ita vt ſi pluribus ſeruato decoro hæc perſequi liceret, efficaciſsimas huic ſententiæ meæ ſubiicerem rationes refutatis omnibus argumentis quæ in contrariam partem afferri poſſint. Ac ne diutiùs immorer, eorum teſtimonium hîc appello qui mecum in Braſiliam nauigarunt quíque vtraſque conſpexerunt. Hæc tamen ita accipi nolim, ac ſi nuditas illa mihi vllo modo contra Scripturæ autoritatẽ probaretur. Teſtatur enim Adam & Euam, poſt peccatum: agnita nuditate, pudore ſuffuſos fuiſſe. Eorum etiam deteſtor hereſim qui violata naturæ lege, non ſatis hac in parte à miſeris noſtris Americanis ſeruata, morem illum turpiſſimum inuehere moniti ſunt.

De Barbarorum nuditate quid ſentiat autor.

Sed quæ de Barbaris iſtis à me dicta ſunt eò certè tendũt vt conſtet nos nihilo minùs culpandos eſſe, qui iſtis damnatis quòd abiecto pudore nudi incedãt, in aliud extremũ peccamus, cultu nimirum noſtro nimio. Atque vtinam noſtrûm quiſque modeſto cultu habita neceſſitatis & honeſti ratione potiùs quàm faſtus, & vanitatis, vtatur.

CAP. IX.

De crassis radicibus, & crasso milio, ex quibus Barbari farinam conficiunt, qua in pan is vtun tur locum: déque eorum potione quam Caou-in *appellant.*

QVANDOQVIDEM externum ornatum habitúmque Barbarorum superiori capite accepimus, à recto ordine alienum non videtur, si de eorũ cibariis hoc loco disseramus. Hoc autem in primis est notandum, licet frumentum nec habeant nec serant, vitésque minimè colant, nihilominus tamen, (quod experientia non semel sum edoctus) lautè admodum eos viuere quantumuis pane & vino carentes.

Sine pane & vino lautè viuunt Barbari.

Duorum generum radices habent quibus *Aypi* & *Maniot*, nomina indidere: Hæc intra tres quatuórue menses adeò crescunt, vt sint longitudine sesquipedales, femoris crassitudine. Erutas fœminæ (neque enim circa isthæc occupãtur viri) igne exsiccatas, *Boucano* nimirùm impositas nonnunquam etiam recentes acutis silicibus posti infixis atterunt, prout caseum & odoratas nuces corradere solemus, farinámque candidissimam ex ea conficiunt. Tum verò cruda illa farina, atque adeo succus albus, de quo mox, qui ab ea expri

Aypi & *Maniot* radices.

primitur recentis & liquidi amyli triticei, aquâ diu madefacti, saporem prorsus refert. Adeo vt cùm post meum in Galliã reditum alicubi me pręsente fieret odor ille memoriam refricauit eius quo Barbarorum casæ, tantisperdum ex radicibus farina conficitur perfundi solent.

Ad farinæ istius apparatum fœminæ Brasilienses, vasa fictilia prægrandia vtpote quę singula capiant modia, satis commodè effingunt. Quibus ad ignem positis farinam immittunt, continuóque dum coquitur dissectę cucurbitę altera parte, qua pultarii loco vtũtur, permouent. Cocta tragematis minoris formam habet.

Duplex istius farinæ genus ab illis conficitur: Alia enim percocta est & dura *Ouy-entan* appellant, quam in militiam profecturi secũ ferunt quod diutiùs conseruetur: Alia verò minùs est cocta & mollior, *Ouy-pou* nominant: hæc priore est eò præstantior, quòd dũ recèns ori admouetur ac manditur, panis cãdidi medullæ saporem refert. Prior verò ille sapor, de quo egi, inter coquendum, in gratiorem & suauiorem mutatur.

Ouy-entan durior farina.

Ouy-pou mollior farina.

Quamuis autem hæ farinæ, præsertim recentes saporis sint optimi, summam alendi habeant facultatem, ac facilis earum sit concoctio, nihilominùs tamen pani conficiendo vt (ipse sum expertus) nullo modo sunt aptæ. Massa quidem conficitur, quæ non dissimili à triticea modo intumescit, speciéque est op-

Farina ex radicib. ad panem cõficiendum minus apta.

tima ac inſtar ſimilaceæ candida: inter coquendum tamen adeò exſiccatur & aduritur cruſta, vt pane ſciſſo fractóue interior pars ſicca & ad priſtinam farinæ formam redacta rèperiatur. Quibus adducor vt credam eum qui primus retulit (cùm non ſatis diligenter quod à me dictum eſt perpendiſſet) eos qui viginti duobus, aut tribus gradibus vltra Æquatorē porrecti ſunt (quos *Tououpinambaultios* eſſe planè cōſtat) pane ex lignis attritis confecto veſci ſolitos, quod de radicibus iſtis de quibus agimus eſt intelligendū, hallucinatum fuiſſe.

Hiſt. Gen. Ind. libr. 2. cap. 92.

Mingant pulmentū & radicum farina.

Vtraque verò farina pulmento conficiendo, quod à Barbaris *Mingant* nuncupatur, prçſertim ſi pingui quodā iure diluatur: tunc enim orizam refert, atque eo condita modo optimi eſt ſaporis.

Cæterum *Tououpinambaultij* noſtri cùm viri tum mulieres, nec non ipſi pueruli ab ineunte ætate huiuſmodi farinam ſiccā panis vice edere conſueuerunt. Cui rei adeo apti frequenti vſu ſunt facti, vt ſummis digitis è figulinis vaſis deſumptā certa manu ne minima quidam excepta mica, eminùs in os coniiciant. Hunc morem imitari aliquoties tentauimus, at farina illa vultum inſpergebamus, in hoc nimirum negotio minùs exercitati, ac proinde, niſi mimicos moriones referre volebamus, cochlearibus vti neceſſe erat.

Barbari peritiſſimè farinā in os cōiiciunt.

Galli ad farinā in os iniiciendā inepti.

Porro radices illæ *Aypi* & *Maniot* interdum recentes fruſtatim conciduntur ex quarum

rum farina humida quidem illa, pilæ amplę à mulieribus compinguntur, è quibus intra manus compressis succum, lactis instar, candidum ac liquidum exprimunt. Eum vasis figulinis exceptum soli exponunt, cuius calore ad modum lactis coagulatur. Edendus verò in patellis testaceis infunditur, ac deinde, prout solemus oua frigere, excoquitur.

Succus ex humida radice expressus esculentus.

Præterea radix *Aypi* non modo ex farina vsu probatur, sed etiam sub cinere cocta vtiliter comeditur: quippe & tenerascit, & diffinditur, castaneæque in prunis coctæ, cuius saporem refert, est persimilis: ac proinde ita parata edulis est maximè. At radicis quæ *Maniot* dicitur, longè alia est ratio, nisi enim in farinam redacta erit atque percocta, periculosissimè editur.

Radix cinere cocta.

Vtriusque caulis, quæ forma inter se sunt persimiles, Iuniperi humilis magnitudinem æquat foliísque Pæoniæ similitudine. Quod verò in hisce Brasilicis radicibus, *Aypi & Maniot* maximè est admirandum, totum in copia positum est, earum rami qui calamos cannabinos fragilitate adæquant, quanta copia perfringi ac in terram quam altissimè defigi possunt nulla adhibita alia cultura bimestri aut trimestri spatio radicũ copiã gignunt.

Quę sit radicum istarum caulis & foliorũ forma.

Mira ratio radices illas propagandi.

Mulieres quoque amplum illud milium, de quo dictum est, quódque vulgò à nobis triticum Saracenum, à Barbaris *Auati* dicitur, præacuto baculo in terram defixo serunt: ex eo item farina ab illis conficitur,

Auati, milium amplum.

quam eodē prorſus modo coquunt & comedunt quo ſuperiorem diximus. At verò crediderim (contra quàm à me dictum fuerat prima huiuſce hiſtoriꝩ editione. duo enim diſtinguebam quꝩ vbi penitius perſpexi, vnũ idémque eſſe iam comperio) hoc *Auati* noſtrorum Braſilienſium idem eſſe cũ eo quod Indorum Hiſtoriographus *Mais* nominat, quod, vti ipſe teſtatur, Indis frumenti vſum præbet. Illud his verbis deſcribit.

Mais Peruanũ triticum.

Hiſt. Gen. Ind. lib. 5. cap. 215.

Harundo *Mais* inquit, in hominis altitudinem, ac nonnunquam ampliùs adoleſcit, ſatis craſſa eſt, foliis paluſtrium arundinum perſimilis, ſpica nuci pinaſtrio ſimili, grano amplo, nec rotundo, nec quadrato, nec longitudine cum noſtro tritico comparanda, à ſemente menſibus tribus metitur: imò irriguis locis XLV. diebus. Ex vno grano 100. 200. 300. 400. 500. nonnunquam etiam 600. gignuntur. His abundè docetur quæ ſit illius regionis fertilitas, quam nunc Hiſpani occupant. Quidam ſcriptis mandauit adeo fertile eſſe in Occidentali India ſolum, vt frumentum, hordeum, miliũ denique ad cubitos quindecim adoleſcat. Hꝩc ſunt quæ panis vicem apud Americos ſupplere animaduerti.

Calco ndilus de bello Tur. lib. 3. cap. 24.

America-num ſolũ tritico & vino accõmodatum.

Hiſpani ac Luſitani qui ſedes in illis terris fixerunt, magna frumenti ac vini copia abundant, ex quo apparet Braſilienſium oram horum eſſe maximè feracem. Quòd autem iis rebus Barbari carent, ipſorum inſcitiæ tribuendum eſſe. Nos verò frumētum & vinea-

rum palmites eò comportauimus, expertíque sumus vtrumque illic optimè prouenire posse, si modò agri eo labore quo apud nos colerentur. Vitis enim à nobis plantatæ rami fluxerunt, maximo feracissimi soli argumento. Quod ad fructus attinet, primo anno racemi nati sunt acidi, qui non modò non maturescerēt, sed etiam in dies indurescerēt. At verò quantum à peritis vinitoribus, non ita pridem edoctus sum, constat nouelleta primo & secundo anno labruscas nullius pretij plerumque producere. At verisimile est Gallos si vitem illam colere perrexerunt, optimas ex ea vuas collegisse.

Frumentum verò & secale à nobis sata folia quidem emiserunt, ínque stipulam sunt fastigiata, ac spem fecerūt, in spicis nulla grana extiterūt. Hordeum grana permulta produxit, & ad iustam maturitatem peruenit: vnde credibile illud solum nimium celeriter extrusisse frumentum, & secale, quę diutius in terra foueri expetunt, quàm hordeum, ita vt nec florere, nec grana proferre potuerint. Eam ob causam, quemadmodum in Gallia agros, vt sint fertiliores, stercoramus, contrà illam terram assiduo cultu, ac versatione defatigandam esse arbitror, vt eo modo ferēdis frugibus sit aptior.

Americanū soli ob pinguedinē frumēto nostro ferendo ineptum.

Quis verò dubitat eadem commoda ex illis terris quæ Lusitani iam percipiūt, Gallos si diutius mansissent, percipere potuisse? Quod certè fecissent, ac frequenter, nisi Vil-

Apostasi à Villagagnonis in causa quòd Galli non sint in America.

lagagno puriorem Religionem deseruisset, eò commeassent. Ac sanè cùm tellus lõgè plures quàm facit, incolas alere possit: vt ego verè affirmauerim millena me tum præstantissimi totius Galliæ agri iugera possidere potuisse. Atque hoc obiter dictum sit, vt iis satisfiat, qui curiosiùs inquirunt, an apud Brasilienses frumentum, ac vinum prouenire possint, si modò excolantur.

Vt autem eò redeam vnde digressus sum, priusquam de carnibus, fructibus, piscibus, & aliis Barbarorum cibis, nostris prorsus absimilibus, loquar, vt meliùs quæ dicenda proposui distinguam, quæ sit ipsorum potio, quá que conficiatur ratione, edisseram.

Brasil. fœminæ potum conficiunt.

Hîc primò notandum est, viros, vt in paranda farina operam non ponunt, sed curam illam mulieribus relinquunt, illud idem hoc in negotio illis vsuuenire. Quin à conficiẽda potione multò religiosiùs cauent, præterquã quòd radices *Aypi*, *&* *Maniot* eo modo quo diximus, paratæ, præcipuum ipsis cibum subministrent, potionem quoque ex illis hac ratione conficiunt. Eas in primis postquam minutatim consciderunt, quomodo hîc rapas ollæ iniiciendas solent, inque vasis luteis suffseruefaciunt, quoad mollescant, emollitas ab igne remouent, ac deferuescere sinunt. His ita expeditis, earum pleræque circa ingentia illa vasa sedentes frusta illa mollita mandendo comminuũt, deinde singula manu ab ore excipientes in aliud vas igni impositum deiiciunt,

ciunt, vt ibi rursus ferueãt: baculo autem con tinuò agitant donec satis ferbuisse iudicent: tum secundò à flammis ablatum in alia vasa è cannis, quorum singula cadum minorem Burgundium æquant, minimè colatum reponunt: vbi verò rursus ferbuerit, despumatúmque fuerit, cannas illas operiunt quoad, eo quo dicemus modo, ebibant. Vasa porrò illa de quibus vltimo loco dixi, figuram earum cuparum imitantur, quibus ad lixiuiũ passim vtuntur Borbonij, & Auerni, ore tamen aliquantò angustiore.

Potus ex milio.

Eædem quoque Brasilienses fœminæ feruefacientes, ac ore mandentes milium illud quod *Auati* nominãt, potum eadem prorsus ratione conficiunt cum superiori. Nominatim verò fœminas eã artem exercere repeto. Nam quamuis distinctionem inter virgines & mulieres, quæ propterea non abstinent à virorum consortio (vt malè Theuetus scripsit) ea in re nõ viderim: nihilominus hoc sibi firmiter persuadent Barbari, potionẽ nullius saporis futurã, si radices aut milium ipsi mandant. Deinde tam hoc indignum arbitrantur, quàm ineptum est quod à rusticis Segusianis factitatur, qui & nent, & colum gestant. Hanc potionem Barbari vocant *Caouin* quæ subturbida & spissa est, ac ferè lactis saporem imitatur: rubeam etiam habent, & albam, vt & nos vinum.

Sing. Amer. c. 24.

Quoniam autem radices istæ, ac milium quolibet tempore in eorum regione proue-

niunt, ideo quotiescunque visum est potum eiusmodi conficiunt tanta copia, vt semel plusquam triginta cados sexagenûm sextariorum Parisiensium in ipsorum ædibus dispositos viderim: vbi pleni opertíque remanent donec illi ad compotandum conueniãt. Priusquam verò quæ sit compotandi ratio referam, exclamando præfari liceat: Procul estote Germani, Flandri, Heluetij, omnésque adeò qui strenuè potando palmã petitis. Vos enim audito Barbarorũ potandi modo sponte illis cessuros esse video.

Americani potatores eximij.

Ergo cùm potationem aggrediuntur, præsertim cùm captiuum mactare adhibitis solemnibus ceremoniis, de quibus postea fœminę lentum ignem circa vasa accendunt, vt potus ille tepescat. tepido enim delectantur, contrario prorsus à nostro more, qui vinum frigidissimum expetimus. Id vbi factum est, primùm aperiunt cadum, & poculorum loco cucurbitæ amplę altera parte, quæ tres Parisienses sextarios capiat, hauriunt. Tum viri saltando ad illas accedunt, plenósque cyathos ab ipsarum manibus accipiunt, illæque identidem bibunt, & vno haustu plena pocula absorbent. Haustus verò tantisper repetunt, dum in cadis omnibus vel vna *Caou-in* gutta restat. Ego quidem ipsos tres dies & noctes continuè bibentes conspexi: quin etiam cùm vsqueadeo essent expleti, potúque oppressi, vt oneri ferendo impares essent, operi sese denuò applicabãt, quia incepti certami-

Caou-in antequã bibant calefaciunt.

tami-

taminis defectio ignauiam argueret.

Illud quoque est obseruandũ, Tououpinã-baultios inter bibendum nihil edere, atque inter comedendum omnino non bibere: quo fiebat vt nostrum viuendi morem valde mirarentur, cùm nos alternatim bibere, ac edere conspicerent. Ac siquis eos hac in re cum equis comparet, faceti cuiusdam responsum afferam, qui dicere solebat discrimen in eo esse, quòd Barbari aquatum minimè essent deducendi, quódque periculum non esset ne postilenas abrumpere cogerentur. Et quamuis ad cibum sumendum horam statutã non habeant, sed ad libitum vrgente fame, vel de media nocte comedant, neque vllum in bibendo modum seruent, in cibo tamen maximè sunt sobrij. nonnulli os manúsque ante, ac post pastum abluunt: quod ad os spectat, id fieri puto, quod alioqui viscoso humore impeditum illis esset futurum, propter eas farinas quibus panis loco, vt diximus, vtũtur. Mirum illi silentium tempore cibi obseruãt, ita vt in aliud tempus referãt ea de quibus colloquuturi sunt. Nos autem cùm violato ipsorum instituto, vt in Gallia vsuuenit, inter prãdendum sermones misceremus, ab illis irridebamur.

Tououpinãbaultij inter edẽdum non bibunt.

Barbari quoties esuriunt edunt.

Itaque tantisper dum hæc celebratur compotatio, Americani hilares canunt, saltant, choreas agitant: quin etiam se mutuò hortãtur vt in bello sint strenui, & quamplurimos hostes capiant: deinde instar gruum ordine

diſpoſiti ſaltant per domum in quam conuenerant, curſitant, donec cados penitus exhauſerint.

Ebrietatis Barbarorũ argumentum.

At certè quòd ebrietatis palmam referant non infirmum hoc eſt argumẽtum, quòd nõnulli in iſtis ſympoſiis 4. Caouini ſextarios exhauriant: ſed tum maximè ſunt, quum plumis inſtructi (vti antea diximus) captiuũ aliquem mactànt & deuorant: tunc enim Ethnicorum more Bacchanalia ſua celebrãt. Parcius quidem vicini inter ſe in pendulis illis lectis è goſſypio contextis ſedentes compotant: ſed cùm ſinguli alicuius pagi incolæ conueniant ſæpius ad compotationes immodicas, nunquam ad cibos, hoc fit vt raro mediocres illæ & modeſtæ compotationes locum habeant.

Nuſquam verò, ad compotationes ſeu mediocres, ſeu immenſas accedunt, quin (vt antea diximus) ad expellendas ſolicitudines ad choreas conueniant. Sed præterea peculiare hoc eſt iunioribus nondum coniugatis vt pennarum faſciculis tergo annexis, & *Maraca* manibus admoto, nec nõ aridis illis fructibus traiectis filo, tibiiſque aptatis ſtrepitũ edentibus, (vt antea dictum eſt) totam noctẽ huc & illuc circumcurſent oſtiatim ſaltantes: ita vt iis viſis & auditis ſæpius in mentem veniret eorum inſania, qui in quibuſdam Galliæ locis vernaculè Famuli dicuntur. Solent iſti tempore conſtituto ſanctis & patronis vniuſcuiuſque parœciæ ſumma cum pompa decernendis

nendis ſtultorũ amictu incedere, tibiis multis tintinnabulis reſonãtibus, atque adeo per ædes & plateas choreas agitantes, ac maximè Pyrricham illam ſaltationem, huc & illuc diuagari.

Mulieres filiæque à Barbarorũ choreis ſeiunctæ.

Hîc verò quiddam notatu dignum ſuccurrit, in omnibus Barbarorum choreis, ſiue alij alios conſectentur, ſiue in circulum diſponantur, vt pluribus alibi dicturi ſumus, nuſquam tamẽ mulieres aut puellas viris interſeri: quin potiùs ſeorſim ſaltare ſolitas.

Priuſquam verò narrationẽ inſtitutam de compotationibus noſtrorum Americ. cõcludamus, facetam admodum hiſtoriam, tragicam tamen recitare placet, vt à nemine ignoretur quàm largè eſſent vinum hauſturi ſi copia illis ſuppeteret. Quidam *Mouſſacat*, id eſt paterfamiliâs mihi narrauit.

Faceta Braſilienſis *Mouſſacat*, de vino narratio.

Contigit nobis non ita pridem (inquit vernacula lingua) vt dromadem *Peros* (ſic illi Luſitanos cum quibus inimicitias gerunt, nuncupant) opprimeremus, mactatis & deuoratis quos in ea nacti ſumus hominibus, cùm merces eorum à nobis expilarentur, prægrandes offendimus *Caramemos* ligneos (quo nomine dolia, & reliqua vaſa ſignificant) potione quadam oppletos: Quibus ab altera parte apertis ecquid rei ineſſet periculum facere placuit. Ego verò (inquiebat vetulus ille) quodnam eſſet genus illud ignoro, nec ſatis ſcio an etiam apud vos tale exſtet. Hoc tamẽ ſcio nos vbi ad ſatietatem potauimus, totos tres

dies adeò ſopitos fuiſſe, vt ægrè excitati tertio die fuerimus. Plena nimirum fuiſſe vaſa illa conijcio generoſo Hiſpanico vino, quo imprudentes Barbari Bacchi feſtum celebrarint. Mirum proinde non eſt vini illius vaporibus correptos, cõfeſtim ſopitos fuiſſe prout ab illo vetulo referebatur.

Nos verò commanducatum illum fœminarum in ſuo *Caou-in* conficiendo initiò abhorrebamus: quem vt vitaremus, radices aliquot *Aypi* & *Maniot* cum quadam milii copia contuſas ferueſecimus gratiorem potum confecturos nos eſſe opinantes: ſed experiẽtia edocti ſumus rationẽ hanc nõ ſuccedere. Quo factũ eſt vt paulatim Barbarico *Caou in* aſſueuerimus: Attamen illius vſus nobis non fuit perpetuus. Nam ſaccari cannis, quarum copia nobis ſuppetebat in aquam refrigeratã ob perpetuum regionum illarum æſtum, per aliquot dies madefactis, potum parabamus gratiſſimi ſaporis. Frigidam quoque nonnũquam bibebamus. Illic enim fontes ſunt limpidiſſimi, flumina quoque aquæ dulcis, ob aeris temperiem ita probatæ & ſalubris, vt nemini quantumuis largè pota periculum crearet. Hîc mihi ſuccurrit, aquam dulcem à Barbaris *vhete*, ſalſam verò *vheen* appellari. In qua dictione efferenda prę cæteris laborabamus: ab illis enim imo gutture pronuntiatur, quo modo ſuas gutturales Hebræi ſolent efferre. Denique quia non dubito quin ea quæ radicibus & milio fœminarum dentibus attritis

Aquæ Braſilienſium optimæ.

tritis ad *Caou-in* parandum diximus ſtomachum multis ad nauſeam vſque mouerit, quò faſtidium illud abſtergant, peto ab illis vt rationem qua muſtum apud nos exprimitur animo repetant. Enimverò ſi vinitores, vindemiarũ tẽpore, in iis pręſertim locis quę vina generoſiſſima gignũt, nudis pedibus, nõnunquam calceis induti labra vinaria ingredi vuáſque calcare, inque ipſis torcularibus immundiſſimè tractare meminerint, multa cõperient non mundiora illo radicum commãducatu. Si verò quis inſtet feruendo ac deſpumando vinum purgari, reſpõdeo *Caou-in* quoq; eadem penitus ratione ſordes omnes abiicere, ac proinde parem vtriuſque eſſe hac in parte rationem.

Caou-in cũ vino collatio.

CAP. X.

De feris, prægrandibus lacertis, ſerpentibus aliiſque Americæ monſtruoſis animantibus.

PRIVSQVAM vlteriùs progrediar, ſtatim ab initio huiuſce capitis lectorem breuiter admonere viſum eſt, nullas è quadrupedum genere animantes, figura noſtratibus omnino ſimiles in toto Braſilienſi orbe reperiri, neque ſolere *Tououpinambaultios* ex iſtis aliquas niſi

Animalia in America naſcuntur à noſtris prſus diſſimilia.

perquam rarò cicuratas domi educare. Vt autem generatim deſcribam animantes feras, quæ à Barbaris *Soo* appellantur, ab iis quæ vſui humano accommodatæ ſunt facere initium decreui. Primo illa videtur loco eſſe ponenda, quæ & vulgaris eſt maximè: hanc *Tapiroußou* appellant, pilo ſubrubeſcenti atque promiſſo, vaccam magnitudine ac forma valde referentem. Attamen quum cornibus careat, ſitque contractiore collo, auriculis longioribus & pendulis, ſicciori búſque tibiis atque gracilioribus, vngula continua & aſini vngulæ perſimili, meritò quis eam vaccæ aſiníque naturæ participem eſſe diceret. differt nihilominus ab vtroque plurimùm, quòd & breuiſſimam gerat caudam, (obitérque hîc monendus eſt Lector, permulta in America gigni animantia, quæ omnino ſine cauda ſint) & dentes habeat multò acutiores. nec hominibus propterea quidquam periculi ab ea poteſt creari, quum in fuga potiùs, quàm in viribus ſalutem ponere conſueuerit. Eam Barbari ſagittis confixam, vt & alias pleraſque interficiunt, aut foſſa excauata, decipulíſve alîus modi ingenioſè fabrefactis, venari ſolent.

Tapiroußou fera quæ aſinũ & vaccam refert.

Cęterùm fera illa, magno eſt in pretio apud Barbaros, pellis gratia quam ſimulátque illi detraxerint, dorſi corium in orbẽ circumcidentes, ad ſolem exſiccant, in parmáſque fundi mediocris cadi magnitudine conformant, quibus in bello tela hoſtium excepta repel-

Parmæ ex corio *Tapiroußou*.

repellunt. Tantam verò duritiem pellis ad solem siccata cõtrahit, vt nullius ictu teli quãtumuis magno impetu vibrati, transigi posse, facilè credam. In Galliam duas eiusmodi parmas studiosè afferebam: redeuntibus verò fames ita molesta fuit, vt omni commeatu cõsumpto, ne Cercopithecis quidem & psittacis, eiusdémque generis animantibus exceptis, quæ ex regione illa nobiscum aduehebamus, parmę illæ duæ, carbonibus impositæ, fuerint etiam ad depellendã famẽ comedendæ: quibus reliquæ pelles, quæ, vt suo dicam loco, in naui erant, additæ sunt.

Porrò *Tapiroussou* caro ad bubulæ gustũ ferè accedit. Hanc suo Barbari more coquunt, *Boucanare* patria lingua appellant. At quoniam vocabulum illud iam vsurpaui, & posteà sæpius repetendum erit ne diutius lector hæreat, oblata occasione, quid hoc rei sit exponam.

Tapiroussou carnium sapor.

Americani defixis in terra ligneis quatuor furcis crassitudine brachij trium pedum interuallo, quadrati figura, æquali verò trium ferè pedum altitudine, baculos in transuersum duobus à se inuicem distantes digitis superimponunt, itaque ligneam cratem comparant: hanc sua lingua *Boucan* nominant. In ædibus permultas huiusmodi crates habent, quibus carnes in frusta concisas imponunt & lento igne siccis è lignis excitato, vt ferè nullus existat fumus, quandiu fert voluntas coqui hunc in modũm patiuntur bis horario

Boucan & Barbarorũ culina.

Conseruandorũ ciborum apud Amer. ratio.

ſpatio inuerſas. Et quoniam ſale cibos minimè condiunt, quemadmodum hîc mos eſt, vno tantùm coquendi remedio vtuntur ad eorũ conſeruationem. itaque etiamſi 30. vno die feras quales hoc capite deſcribemns eſſẽt venati, omnes fruſtatim conciſas illis cratibus ingererent, quàm citiſſimè fieri poſſet, ne corrumperentur: ibi ſæpiùs circumactę aliquando plus quatuor & viginti horis torrẽtur, dònec pars interior carnium æquè cocta ſit atque exterior, eáque ratione omnes ſint à corruptione tutæ. Nec in piſcibus apparãdis & conſeruandis alia eſt ratio, quos quũ nacti ſunt, magna copia ad farinam conficiendam exſiccant, eos præſertim quos patria ipſi lingua *Piraparati* vocant, qui germaniſſimi ſunt muli, de quibus dabitur aliàs dicendi locus. Iſtæ autem crates apud Barbaros carnaria & promptuaria meritò habenda ſunt: ideóque vix eorum pagos adire licet, quin ferarũ piſciúmque carnibus onuſta conſpiciantur: ſæpiùs etiã vſuuenire ſolet, vt poſtea dicemus, ſi adeas Barbaros, vt iſtiuſmodi crates humana carne refertas, quam ſcilicet de victis hoſtibus interficiendis & comedendis, vt opima ſpolia reportant, intueare. Hactenus de Americana *Boucanatione* dictum ſit, cui cùm Barbaris placet elixæ carnes ſuccedunt, quod cum bona Theueti venia ſcribã, qui hoc negare auſus eſt.

Farina è piſcibus.

Humanæ carnes Boucãim poſitæ.

Vt autem inceptã ferarum deſcriptionem perſequar, ſecundæ magnitudinis partes deferen-

ferendæ videntur cuidam ceruorum generi, quod illi *Seouassou* nominat, sed cùm hoc differunt à nostris, quòd multò sint humiliores, quódque minora gestent cornua, tum etiam illo, quòd æquè pilos demittant, atque nostrates capræ. Aper autem Americanus, quem illi *Taiassou* vocant, corporis mole, auriculis, capite, pedibus, atque iis quæ apud nos gignuntur forma valdè similis est, dentibus etiam & prolixis & acutis, vehementer damnosus: tamen cùm & macilentior existat & gracilior, frendeátque terribiliter, illa quoque deformitate insignis est. Habet à natura foramen in dorso, quemadmodum in capite suem marinum habere dixi, quo spiritum emittit admittítque. Ne quis verò istud prodigiosum existimet, Autor Gener. Indic. Hist. memoriæ prodidit apud Nicaraguenses qui non multum à noua Hispania distant, sues nasci quibus vmbilicus in dorso est: qui procul dubio, ad idem genus cum iis de quibus hîc trado, reuocandi sunt. Cæterùm *Tapiroussou* & *Seouassou*, & *Taiassou* reliquas Brasiliensis ore feras magnitudine superant.

Seouassou genus ceruorum.

Taiassou aper.

Sues quibus foramē est in dorso.

Libr. 5. cap. 204.

Maxima Amer. animantia.

Est quoque apud Americanos fera quædã rufa quam *Agouti* nominant nefrendis triginta dierum nati altitudine, pede bifido, breuissima cauda, rostro & auriculis ferè leporinis, palato gratissima. Sunt & aliæ duorũ aut trium generum quas *Tapitis* appellant, nostratibus non absimiles leporibus, subrubescenti autem pilo.

Agouti nefrendis ceruus.

Tapitis leporis genus

In ſyluis quoque magnas venantur ſorices ſciurorum pilo & magnitudine, quæ ad cuniculorum delicias accedunt.

Mures sub rufi.

Pag aut *Pague* (quonã enim modo id pronuncient, vix ac ne vix quidem intelligas) fera eſt altitudine mediocri venatici canis, capite deformi, carne ad vitulinæ guſtũ accedente, pelle pulcherrima, & maculis albis, leucopęis, nigríſque diſtincta, vt maximi apud nos pretii futura eſſet, ſi modò nanciſceremur.

Pag animal maculis diſtinctum.

Alia etiam inuenitur, quam *Sarigoy* appellant, quæ ob fœtorem à Barbaris non comeditur: Nos autem quibuſdam excoriatis, & detracta renum pinguedine, vnde fœtor ille manabat, ſine faſtidio edimus: carne enim cùm tenera, tum optima eſt.

Sarigoy fœtidum animal.

Eſt etiam illa quam *Tatou* vocant. Hæc non adeò curſu valet, veruntamen (vt apud nos hermalei) per dumeta reptans, duriſſimis eſt armata ſquamis, ita vt gladio tranſuerberari nequeat, pellem etiam illi detractam, ex qua Barbari permultas compingunt ciſtas. Caramenos ipſis nominatas, ſi complicaueris, digitalia eſſe militaria diceres. Carne candida eſt, optimíque ſaporis. Quod autem ad figuram attinet, tantæ proceritatis nullam videre licuit, quantam expreſſit Belouius ſuarum obſeruationum extremo libro tertio, vbi tamen Braſilienſem *Tatou* nominatum deſignat.

Tatou armata ſquamis.

His etiam animalibus, quæ apud Americanos

nos frequentiſſima ſunt, adduntur Crocodili *Jacare* dicti, inſtar humanæ coxæ, longitudine iuſta. At tantùm abeſt vt noceāt, vt plenæ iſtis Iacaris Barbarorum ſint domus, puerique ſine vllo periculo cum iis luſitent. Nihilominus audiebam ſenes commemorantes, dum peregrinarentur, ſe à neſcio quo Iacararum genere peti, à quo ſe magna difficultate ſagittis tuerentur. Illud cùm appropinquare homines perſentiſceret ex arūdinibus erumpere dicebant, & impetum in obuium quemque facere.

Iacare Crocodili.

Cæterùm vt illa omittam quæ Plinius & alii de Crocodilis, qui in Nilo degunt, memoriæ prodidêre, vniuerſalis Indiarum Hiſt. ſcriptor illis in regionibus infeſtos fuiſſe Crocodilos, ad vrbē Pamana refert, qui plus centum pedes in longitudinem patebant: quod mihi quidem mirabile & portentoſum videtur, tantùm abeſt vt affirmem, quemadmodum falſò Theuetus obiecit, eo in libro quē de viris Illuſtrib. edidit, de ſuo fabulari Quoniābe co verba faciens: à qua calumnia quem margini adſcripſi, author me vindicabit. Eis autem Crocodilis quos mihi videre cōtigit, os erat valde patulum, alta crura, cauda verò nec rotunda, nec acuta, ſed ad extremum tenuiſſima. Vtrùm autem, vt quidam ſcripſêre, ſuperiorem mandibulam moueant, ingenuè fateor me non obſeruaſſe. Venantur inſuper Americani lacertas, *Tonous* illi appellant, nō virides verùm leucopeas & pelle variega-

Lib. 5. cap. 196.

Crocodili portentoſę magnitudinis.

Tonous lacertæ.

ta, vt nostrates paruæ lacertæ. Et quãuis longę sint quatuor, aut quinque pedes, iusta crassitudinẽ, ideóque forma terribili, nihilominus in ranarum morem flumina paludésque incolunt, nemini noxiæ. Addam pelle illis detracta exenteratæ si coquantur summè delicatas esse, nihil vt in America gustauerim suauius. Carne enim sunt, vt apud nos capones alba, delicata, tenera, suaui; vt nihil supra. Initio tamen ab istarum gustu abhorrebam, posteà verò quàm primum attigi, quod ad cibos attinet, ferebãt apud me primas lacertę

Maximę in America edules lacertæ.

Bufones quoque permagnos habẽt Tououpinambaultij, quibus minimè exenteratis, tostis vescũtur. Quũ verò & medici doceãt & vulgo etiam notum sit, & perspectum carnẽ, atque saniem, & quicquid adeò bufonis est, lethale esse, facile quilibet me tacente propter illius regionis temperiem, aliáue de causa, quæ me lateat, vsu venire vt illic bufones, vt sunt apud nos, minimè sint venenati atque periculosi.

Edules in America Bufones.

Comedunt etiam serpentes crassitudine brachij, quinque ferè pedum longitudine, quinetiam animaduerti Barbaros, vt de Crocodilis commemoraui genus quoddã ex nigro & rubeo discolor, domum afferre intérque vxores & liberos proiicere, ita securos vt manibus cõtrectarent. Has immanes anguillas terrestres frustatim conscindunt apparántque. Insipidæ tamen sunt & per quàm exigui saporis.

Americani permagnos serpẽtes comedere solent.

Di-

Diuersi etiam generis serpentes apud eos gignuntur, & in fluuiis præsertim, vbi olerum instar virides apparent: longi atque graciles, quorum ictus maximè noxius est. nec non in syluis existunt lacertæ, præter eas de quibus supra mentionem fecimus valde periculosę, vt ex narratione quam subñciam patebit. Itaque quum aliquando duobus Gallis comitantibus iter facerem visendæ regionis gratia, neque vt mos erat, vię duces Barbaros haberemus, ideóque oberraremus in syluis, vallémque profundam pedibus metiremur, audito strepitu venientis animalis ad nos cuiusdam, imbellem esse feram opinati, non secus iter incœptum persequentes securo eramus animo. Statim verò ad dextram triginta ferè passuum interuallo, in colle lacertum conspicimus: corpore humano crassiorem quinum aut senum pedum. Ille in modum Ostrei squamis albicantibus & asperis totus, altero pede anteriori erecto, capite sublimi, collucētibus oculis nos intueri cœpit. Quare attoniti (nemo enim fortè nostrûm sclopettam tum ferebat, gladiis tantùm eramus accincti, arcúsque nobis suppetebāt & sagittæ. quæ tela illi monstro tam duris armato squamis nocere non admodum poterant, nihilominus veriti, ne si fuga nobis consulere vellemus celeritate superius nos vnà conficeret) alter alterū trepidè quum intueretur, eodem in loco stetimus. At postqnam ille ꝓdigiosus & formidabilis lacertus, ore aper-

Autoris de ꝓdigiosa lacerta cōmemoratio.

to,& quòd æſtus magnus eſſet (ſudum enim erat meridiano ferè tempore) altè anhelans, vt facilè exaudiremus, per quadrantem horæ nos eſſet intuitus, derepentè mõtis verticem petiuit tanto fragore virgultorum, atque ramorum, quantum ceruus ſyluam curſu pererrans vix ederet. Itaque nos, qui tum valdè timueramus, de illo inſequendo non admodum ſolliciti, Deo liberatori gratias egimus, & inſtitutum iter denuo ſumus aggreſſi. Mihi autem eorum opinionem recolenti, qui affirmãt lacertum aſpectu hominis delectari, viſum eſt illi monſtro tantùm placuiſſe intuitum noſtrum, quantùm eius angebamur præſentia. Nec non apud eos fera gignitur è præda victum quærens, quam appellant, *Ian-ouare*. Ea ferè tibiarum altitudine & velocitate canem æquat venaticum, circa mentum verò pilo eſt promiſſo, pelle variegata, pulcráque inſtar lyncis, ac in reliquis vehemẽter illi ſimilis. Barbari non immeritò feram illã valdè reformidant. Nam cùm prędæ ſit aſſueta quemadmodum & leo, ſi quem eorum aſſequitur in fruſta conciſum deuorat. Illi verò vt ſunt vindictæ appetentes, nec quid eorum quæ moleſta ſunt inultum eſſe patiũtur ſi quã excauatis ea de cauſſa foueis alióue decipulorum genere intercipiant, ſagittis confixam pluribus, quo diutius lãgueat, lentè interficiunt: vtque faciliùs pateat, quàm malè fera illa cum Barbaris agat, cùm aliquando quinque aut ſex Gallorũ de comitatu, hâc trã-

Ian-ouare fera hominibus infeſta.

ſirent

ſirent, monebant Americani vt nobis à *Ian-ouare* caueremus, quòd illa ipſa hebdomade tres crudeliter mortales in quodam eorum pago aſſumpſiſſet.

Addendum verò huic editioni Latinę exiſtimaui, Americanos ante Villagagnonis expeditionem canes nunquam vidiſſe: ideóque cùm permagnum ex venaticorum genere canem intuerentur, quem cum aliquot paruulis eò aduexeramus, nobíſque ille applauderet, propterea quòd vt antea commemoraui, ad *Jan-ouare* formam accedit, obſtupeſcebāt, ab illóque refugiebant. Ea de cauſa etiam Gomara in generali ſua Indiarum hiſtoria teſtatur, anno 1509. cùm Chriſtophorus Columbus primùm ad Inſulam Beringuam appulit, quæ & S. Ioannis nomine inſignitur, huiuſce regionis Indos, qui cum Hiſpanis bellū gerebant, vehementer canem ſubrubidum timuiſſe, qui etiam duorum ferè ſclopetariorū erat loco: propterea quòd non modò in Barbaros ferociter impetum faciebat, verùm etiam ſocios ab hoſtibus diſcernens quātumuis prouocatus minimè illis erat moleſtus, quin etiam Caribas recognoſcens (peſſima & maximè deteſtanda illarum omnium regionum natio) fugientes perſequebatur in mediam vſque hoſtium aciem, qui etiam tantùm excitatus, nulla quiete fruebatur, quouſque arreptum hoſtem dilaniaſſet: pro Hiſpanis tam dextrè præliabatur, vt illo comitati tam alacriter aduerſus Indos pugnarent quàm ſi

Canes primú ab Americanis conſpecti.

Cap. 44.

tres in ſuo numero habuiſſent equites. hic tamen canis dum neſcio quem Caribam nãdo perſequitur, venenata ſagitta ictus oppetiit, dominúmque triſtem admodum reddidit, lætantéſque Indos. Sic & Vallouas Hiſpanorum centurio fortiſſimus cùm primũ Auſtralẽ patefecit Oceanum, emiſſis quos habebat canibus in Indos, qui aditu illum arcebant, Barbari tanto timore ſunt perculſi, vt fuga ſibi cõſulere cogerẽtur, Vallouęque canes tam profuerint quàm milites omnium præſtantiſſimi. Inſuper multi reperiuntur in Braſilienſium ora Cercopitheci, paruuli atq; nigri, quos illi *Cay* vocant, quibus deſcribendis ſuperſedebo, propterea quòd nobis ſunt notiſſimi. Vnum hoc tantùm dicam, quum in arborum cacuminibus, quòd fructu quodam ſilicis veſtito, inſtar fabarum noſtratiũ viuant, procelloſo præſertim tempore aceruatim garriant atque clamitent, iucundiſſimos eſſe tum aſpectu tum auditu. Cæterùm, cùm vno tantùm partu vnicum edat fœtum, Cercopithecus ſimul atque editus eſt in lucẽ, ea naturali præditus eſt induſtria, vt à collo patris matríſve firmiſſimè pendeat: itaque ſi venatores ingruant, parẽtibus per ramos deſilientibus via etiam fuga abripitur: Quod certè incredibile videri non debet cùm Mathæolus Commẽtariis in Dioſcoridẽ editis, Plinio atque Ariſtotele authoribus affirmet, tam amãtes prolis eſſe muſtelas, vt teneram adhuc ore comprehenſam, huc & illuc circũge-

Cap. 62.

Cay cercopitheci.

Cercopithecorum in paruulis è periculo eripiendis induſtria.

gestent. Quin etiam animantibus est omnibus illud à natura tributum, vt non modò conseruandæ prolis studio teneantur, sed etiam ad id efficiendum sagacitate mira sint præditæ. Qua de causa non facilè Barbari Cercopithecos quacunque sint ætate venari possunt: sagittis tamen vulneratos deiiciunt de arboribus, ac deinde sanatos, & aliquãtisper domi cicuratos cum mercibus commutant. Verùm initio adeò sunt feri vt attrectantium digitos dentibus conuulnerẽt, adeò vt morsi dolore cogantur illos sępissimè ictibus conficere.

Modus capiendorũ Cercopithecorũ.

Est quoque apud Americanos alterius generis Cercopithecus, quem ipsi *Sagouin* nominant, crassitudine Sciuri, eodémque pilo rufo: Quod verò ad formam attinet, rostro, pectore, collo, reliquísque ferè partibus leoni persimilis, audax etiam, nulli paruulorum animalium pulchritudine cedit, quos quidem illic viderim. Et si tam facilè mare trãsmitteretur quàm cætera, multò maioris esset pretij. Sed cùm tam infirmo sit corpusculo, vt vacillantem nauem ferre non possit, ea etiam est superbia, vt vel minimùm offensus, tædio vitam cùm morte commutet. Hîc tamẽ quidam reperiuntur, mihíque fit verisimile eam esse bestiolam, de qua Marotus suum induxit loquentem seruulum, cuidam zoilo cui nomẽ erat Sago: alludens enim Cercopitheci nomen esse dicit Sagonem. Vt autem fatear ingenuè quod res est, quamuis fuerim curiosus

Sagouin pulchrum animalculum.

me omnibus animantibus Americanis obseruandis non ita fuisse diligentem, quàm optarem, nihilominus vt semel finem faciam, duo adhuc describam genera, quæ figura sũt prodigiosa vt quę maximè.

Hay deforme animal.

Vnum quod Barbari *Hay* vocant, magnitudine canis est, facie Cercopitheci, vẽtre pẽdulo, quemadmodum Scrofæ parturientis, pilo leucopeato valde diluto, longissima cauda, pedibus in morem Vrsi villosis, prolixis vnguibus: vt autem dum in syluis agit valde sit ferum, captum nihilominus cicuratur facillimè. Nudi autẽ Tououpinambaultij non libenter cum illo colludunt, propterea quòd tum longos habeat vngues, tum acutos. Cæterùm (quæ res fortasse videbitur incredibilis) audiui & à Barbaris, & à quibusdam interpretibus qui diu in America sunt cõmorati, neminẽ vnquam vidisse tum in syluis tũ domi animal illud cibo frui, vt quidam aura illud viuere opinentur.

Coati rostro prodigioso largo.

Alterum, de quo etiam mihi dicẽdum est, à Barbaris *Coaty* appellatum, altitudine leporis est, breui pilo & maculoso, auriculis paruulis & acutis, capite cùm paruo, tum ab oculis eminente rostro, plus pede vno longo, scipionis instar tereti, subitò ad extremum decrescente, ita vt æquè sit omnino crassus, ore ita angusto, vt vix auricularem digitum recipiat. nullũ prodigiosius inueniri potest: deinde cùm hæc est capta fera collectis quatuor pedibus, aut in alterum vergit latus, aut

con-

concidit, neque vnquã erigi, neque cogi potest vt vescatur nisi prębeantur formicę, vnde etiam in syluis sibi victum parat. Octauo ferè die, quo ad Villagagnonem venimus, Barbari eius generis ferã ad nos intulerunt, quę ob nouitatem omnes magna impleuit admiratione. Nam, vt commemoraui, cùm si cum nostratibus conferatur sit valde prodigiosa, sæpe à quodam ex nostris familiaribus excellenti pictore summopere contendi, vt tum illam, tum plerasque cęteras, non tantum admirabiles verùm etiam nobis incognitas, penicillo repręsentare vellet, quod maximo dolore meo nunquam ab illo impetraui.

CAP. XI.

De varietate Americanarum auium. De vespertilionibus, apibus, muscis, aliísque regionis illius insectis.

Oura aues.

HOc etiam caput, quo de auibus agam, ab iis ordiri placuit, quæ victui humano sunt accommodatæ, generalique vocabulo à Tououpinambaultiis *Oura* nominantur: maximam illi habent earum copiam gallinarum, quibus ab India cognomen addimus eásque

Arignau-ousou Gallinæ Indicæ.
Arignau-miri Gallinæ nostrates.

Arignau-ousou appellant: me non ab eo tempore quo Lusitani apud Barbaros agunt, gallinas etiam nostrates alere solent, ipsis *Arignau-miri* dictas. Quamuis autem vt aliàs commemoraui, candidas plurimi faciant, vt plumis auulsis, rubróque inféctis exornẽt se atque vestiant, ab vtroque tamen genere plerumque abstinent, quod ad vescendum attinet. At hæc quum sibi persuadeant oua quæ *Arignau-ropia* nominant, esse instar veneni, non modò stupescebãt, si oua coram illis sorberemus, verùm etiam nos increpantes addebant, non ferendũ esse dum pullationẽ anteuerteremus nos gallinam in ouo comedere. Itaque de suis gallinis æquè ferè sunt solliciti, atque de auibus quæ vitam in syluis agũt. Illas vbicunque fert impetus ponere patiuntur. At gallinæ vicissim, pullos & dumis & vepribus domum deducũt, ita vt ea molestia careant Americanæ mulieres, qua nostrates, in pullis Indicis educandis, quibus etiã ouorum præbent vitellos, fatigantur. Ac tanta fit apud eos pullatio, vt iis in pagis, qui minùs sæpe ab extraneis inuisuntur, gallina Indica gladiolo veneat, qui quidem apud nos vix sestertio nummo æstimaretur: altero autem duorum obolûm quinque aut sex gallinę nostrates constent.

Arignau-ropia ouũ.

Gallinarũ magna copia in America.

Vpec Anates Indiæ.

Vnà cum gallinis Barbari alunt etiam domi anates Indicas, *Vpec* ipsi nominãt. Quoniam verò ea imbuti sunt superstitione Tou-

oupi-

oupinambaultij, fore vt ſi animali tã tardo veſcerentur, eandem tarditatem contraherent, ita vt ſi hoſtes imminerent, fuga ſibi ſalutem quærere non poſſent, vt vel tantillum de iis deguſtent non facilè quiſquam perſuaſerit, eaque de cauſa ſibi tẽperant ab omnibus eis animãtibus quę tardè incedũt, piſcib. etiã vt raiis aliiſque, qui nõ celeriter nare poſſũt. Quod ad illas aues attinet, quæ degunt in ſyluis, magnæ, caponum inſtar, capiuntur, illæque trium generum, quod Barbari *Iacoutin*, *Iacoupen* & *Iacou-ouaſſou* appellant. Pluma eſt omnibus nigra & leucopeata, guſtu ad phaſianos accedunt: veréque poſſũ affirmare, nihil *Iacous* illis edi vnquam ſuauius.

Iacous phaſianorum genus.

Præterea duo ſunt genera exquiſitiſſimarum auium, quibus nomen eſt *Mouton* Pauonum magnitudine, iiſdem plumis quibus ſuperiores, raróque admodum inueniuntur.

Mouton auis rara.

Macacoua & *Ynambou-ouaſſou*, duo ſunt genera perdicum, anſerum noſtratium magnitudine non abſimile, quo *Mouton* guſtu. Idẽ eſt ferè trium ſequentium ſapor *Ynambour-miri* perdicum altitudine: *Pegaſſou*, palumbi, *Paicacu* turturis.

Magnarũ perdicum genus.

Vt autem breuiter de auibus, quæ magna copia reperiuntur, tum in ſyluis, fluminibus, tum etiam in littoribus finiam, ad eas veniam quæ non ita ſunt ad victum accommodatæ. Inter cæteras duo ſunt genera eadem magnitudine, ad corui craſſitudinẽ ac-

BLANK INSERTED TO
ENSURE CORRECT
PAGE POSITION

sunt cacuminibus nidificant, quàm in syluis, quò fit vt ter quatérve in anno à Barbaris deplumentur, è quibus plumis pileos, vestes, armillas compingunt, clauarum suarũ capulos exornant, corpúsque suum cohonestant. Huiusmodi ego pennas non paucas mecum in Galliam afferebam, earum præsertim quas flauo & cęruleo colore esse dixi, sed vbi Lutetiam veni, aulicus quidam cui videndas exhibui, priùs importunus mihi esse non destitit quàm eas à me extorsit.

Plumę è quibus pilei, vestes &c. cõponuntur.

De psittacis, trium aut quatuor generum illic capiuntur, maximos, & pulcherrimos *Aiourous* Barbari nominãt. His rubeo, luteo, ac violaceo colore caput est distinctum: extremis alis est coccineus: cauda, quæ est prælonga, lutea: reliquo corpore viridis. Huiusmodi perpauci ad nos adferuntur. Præter plumarum elegantiam eo commendantur nomine quòd edocti, optimè humanum imitantur sermonem. Vnum ab interprete quodam accepi, ab ipso iam per tres annos educatum, qui Gallicas, & Americanas voces tã genuinè pronunciabat, vt si non esset in conspectu, eius vocem ab humana discernere vix quisquam potuisset.

Aiourous psittaci maximi & pulcherrimi.

Longè admirabilius erat, Mulierem in vico quodam qui ab Insula nostra IV. passuum millia distabat, huius generis vnum educasse, qui non secus ac si ratione præditus esset ea quæ iubebatur, caperet. Illac quoties nobis iter erat, statim ab auis illius hera audieba-

Psittaci mira Historia.

mus, vultísne mihi dare pectinem aut speculum, ego verò iamiam coram vobis psittacũ meum iubebo canere & saltare? Si fortè postulatis illius annuebamus, psittacus confestim auditis quibusdam heræ verbis, non modò saltabat in pertica cui insidebat, sed & garriebat, & sibilabat, Barbaros denique in bellum euntes mirabiliter referebat. In summa si heræ visum erat imperare vt caneret, canebat: saltaret, saltabat: Contrà si indonata paulò acerbiori sermone illi suum *Auge* hoc est consiste, imperasset, tum ille obmutescebat, nec vllis verbis efficere poteramus vt vel linguam vel pedem motitaret. Quare reputandũ Lectoribus relinquo annon Romani, qui Plinio autore, coruo à quo omnibus matutinis nominatim ad Rostra salutabantur, funus innumeris exequiis olim celebrarunt, eúmque à quo esset interfectus morte multarunt, si huiusmodi psittacum habuissent, per quàm maximi fecissent. Illum barbara mulier *Cherimbaué* hoc est dilectissimum appellabat. Ei sanè adeò charus erat, vt quærentibus nobis, quo pretio mercari possemus, illa *Mocaouassou* hoc est tormentũ æneum maius, per irrisionem respondebat, itaque nullo pretio ab ea extorqueri à nobis potuit.

Lib. 10. ca. 43.

Marganas psittaci apud nos frequẽtes.

Psittacorum alterum genus est eorum qui in Galliam aduehi solent, quos *Marganas* Barbari appellant, & minimi faciunt. At verò tam sunt illic frequentes quàm apud nos columbi: quo fiebat, vt licet carnibus essent paulò durioribus, quòd ad perdicis saporẽ acce-

derent, illis non rarò vesceremur.

Tertium genus psittacorum *Touis* Barbari, nautæ verò Neustrii *Moissons* vocãt: sturnorum magnitudine, caudam prælongã croceis pennis distinguẽtibus, cætera viridis est. Priusquam autem sermoni de psittacis instituto finem imponam, succurrit nonnihil à Cosmographo quodam relatum, Psittacos nimirum in arborum ramis pendulos nidos construere, ne à serpentibus oua absorbeantur, quod quidem meras esse fabulas existimo, siquidem in arborum cauatarum antris nidos construere eos deprehendi.

Touis psittacorũ genus minimum.

Inter reliquas aues Americanorũ, primus locus cuidam *Toucan* nomine dabitur, cuius antè meminimus: Is columbi est magnitudine, colore atro ceu coruus, excepto pectore, quod crocei est coloris, torque miniato ab inferiori parte circunducto, detracto Barbari ad genarũ aliarúmque corporis partium ornatum vtuntur. Tum verò maximè apud illos est in pretio quòd saltaturi eo vtuntur. Nomen inde est sortitum *Toucan-tabouracé* hoc est pluma ad saltandum. Nihilominus tamẽ, tãta illis earũ suppetit copia, vt cũ mercibus nostratibus permutare eas non grauẽtur. Auis istius rostrum reliquum corpus longitudine superat, cum quo gruis rostrum minimè est comparandum, itaque pro monstrosissimo totius orbis rostro est habendum, ergo non immeritò Bellonius, vnum cùm nactus esset, sub finem tertii libri descriptionis

Toucan auis columbi magnitudine.

Rostrũ auis monstrosum.

auium depingendum curauit: nomē quidem non edit, at ea omnia quæ ab illo narrantur de isto rostro necessariò sunt intelligenda.

Panou cui pectus rubrum.

Alia est merulæ magnitudine, & colore, excepto pectore quod bubuli sāguinis ruborem adæquat, à Barbaris eodem quo superius detrahitur modo, Auem verò *Panou* nominant.

Quampian auis coccinea.

Est & alia turdi magnitudine, plumis omnibus coccineis, hanc illi *Quampian* vocant.

Gonambuch auis minima.

Minimè verò est prætermittenda auicula non minoris admirationis quàm subtilitatis, quam Barbari *Gonambuch* appellant, plumis albicantibus, & fulgentibus, fucum, aut scarabeum magnitudine non superat, miros tamen cantando edit cōcentus. Milio illi crasso quem Americani *Auati* nomīnāt, aut alijs altioribus herbis insidens, tam editum edit cantum, vt, nisi cōspiciatur vix credas ab illo corpusculo tantum támque suauem edi posse. Lusciniæ nostræ minimè cedit.

Amer. auiū varietas.

Cæterum, quia sigillatim Americanas aues omnes, quæ à nostris nō modò genere, sed & coloris varietate, putà rubei, rosei, violacei, albi, leucopæi, purpurei, &c. à nostris non parū differunt, describere non possum, vnam tandem descripturus sum quam adeò obseruant Barbari, vt eam non modò afficere damno nolint, sed afficientes inultos abire non patiantur. Columbi est magnitudine, colore cinericio, lugubri voce: eam *Tououpinambaultij* noctu frequentiùs quàm interdiu exaudi-

audiunt, atque ab amicis & cognatis mortuis ad se mitti credunt, tum vt bonum omẽ renunciet, tũ præcipuè vt animos addat, moneátque vt se aduersus hostes fortiter in bello gerant. Existimant præterea si rectè istæc auguria obseruent futurũ vt hostes, hac quidem in vita superent, sed & post mortem ad maiores suos animas post montes conuolaturas, vt illic perpetuas agitent choreas.

Contigit mihi semel vt in pago à Gallis *Vpec* denominato diuerterem. Ibi de nocte aues illas non quidem canentes sed gementes audio. Barbaros attentissimos video. Rei totius gnarus, stultitiam illã increpo. Sed vbi Gallo mihi adstanti arrisi paululùm, vetulus quidam seuerè satis me compescuit his verbis: Tace, ne nos audiendis faustis nuntiis auorum nostrorum intentos auertas. Quoties enim hasce aues audimus, toties & exhilaramur, & vires nostræ augmentum capiũt. Cui ego ne gry quidem, frustra enim cum illo contendissem. In mentem tamen mihi tum veniebat eorum opinio qui asserunt animas è purgatorio igne ad suos officii monendos deuolare, Barbarorúmque nostrorum figmentum ea tolerabilius esse iudicabam: Etenim, vt suo dicetur loco, quamuis animas credant immortales, eò tamen dementiæ non veniunt, vt è corporibus semel egressas ad patrios lares redire dicant, aues istas earum esse nuntias tantummodo fingũt. Hæc sunt quæ de auibus Americanis dicenda mihi fuêre.

Barbarorũ deliratio qui auis cãtum obseruant.

Habent tamen pręterea terræ illæ veſpertiliones cornicularum noſtrarum magnitudine: hi noctu non rarò in caſas veniunt, ſi verò quem apertis pedibus dormientem offendant, ſummum eius articulum adoriuntur, ſanguinémque exugunt tanta copia, vt duos ſextarios noſtrates plerumque antequam perſpiciantur ebibant. Experrecti, manè cubile xylinum cruentatum admirantur. Barbari, ſiue ſuis ſiue noſtris id contingebat in ludibria vertebant. Mihi ſemel iſtud accidit, pręterquam verò quòd ſannis ſum exceptus, acceſſit & illud quòd extremo illo (licet non infeſtiſſimus erat dolor) ſummi articuli lęſo, triduum in tibialibus induendis nõ parum laboraui. Cumanenſes quoque qui cis Æquatorem decẽ gradibus iacent, grandibus iſtis & infeſtis veſpertilionibus infeſtantur. Gener. Indic. hiſtor. ſcriptor de his rem & facetam & notatu dignam memoriæ prodidit. Monachi cuiuſdam puer pleuretide laborabat, ad Sanfidem Ciribici, cuius cùm vena aperienda reperiri non potuiſſet, mortuus verò ipſe haberetur, accedit ad eũ noctu veſpertilio, talúmque momordit, tantámque copiam ſanguinis hauſit, apertáque vena ſponte emiſit æger, quanta ad valetudinem ſufficiebat. Ego verò cum hiſtoriæ illius Scriptore dico, opportuniſſimũ & fauſtiſſimũ ægro illi fuiſſe iſtum Chirurgum. Itaque præter eam quam veſpertiliones iſtos afferre dixi moleſtiam, ſatis docet exemplum iſtud poſtremum, non

Lib. 2. cap. 80.

De veſpertilione faceta hiſtoria.

adeo

adeo noxios esse, ac fuerunt olim Græcorum striges, quæ vt inquit Ouid. fast. 6.

Nocte volant puerósque petūt nutricis egētes,
Et vitiant cunis corpora rapta suis.
Carpere dicuntur lactentia viscera rostris,
Et plenum poto sanguine guttur habent.

quam ob causam nomen illud veneficis est attributum.

Apes Americanæ à nostris sunt absimiles, ad minores muscas atras quibus æstatis tempore infestamur accedunt, fauósque suos in excesæ arboris antro condunt. Barbari mel cerámque colligere norunt. Mixtim collecta, *Yra-ietic* vocant, *yra* enim mel sonat, *yetic* verò ceram. Seorsim positum mel, nostro more comedunt, ceram verò picis nigredinem imitantem, asseruant, massis brachij magnitudine compositis. Non tamen quòd faces vel candelas ea conficiant, lucernæ enim alius apud eos vsus non est præterquam ligni cuiusdam flammam lucidissimam emittentis. Præcipuè verò ea cera vtuntur ad obturādas ingentes illas cannas quibus plumas suas imponunt, ne à papilionibus exedantur, quos etiam hoc loco describemus.

Americanæ apes.

Yra mel *yetic* cera nigra.

A Barbaris *Arauers* appellantur, gryllorū magnitudine, gregatim quoque ad focum vt & grylli accedunt, si quid autem offendant, exedūt, præsertim verò thoraces coriaceos & calceos ita corradunt vt superficiem penitus absumant. Si verò gallinas aut alia id genus cibaria, negligentius recondebamus, manè à

Arauers papiliones.

nobis ossa carnibus nudata reperiuntur.

Ton insecti genus infestissimum.

Barbaros præterea infestat exiguum insecti genus, quod *Ton* nuncupāt. In puluere nascitur, pulicis magnitudine. At vbi sub pedū & manuum vngulis sese insinuauit, prurigo statim oritur, acyri modo, nisi verò confestim euellatur breui spatio, ad pisi magnitudinem accrescit, extrahíque nisi magno cruciatu non potest. Non solùm autem Barbari qui nudi toto corpore incedunt, sed & nos quoque, quantumuis bene induti hoc insecto infestabamur. Ego pro mea parte, licet diligentissimè mihi ab illis cauebam, ita fui infestatus vt vno die vltra viginti è variis mei corporis partibus sint euulsi.

Nonnullos etiam vidi minus sibi prospicientes, quibus non modò manus & pedes ab illis infestabantur, sed & axillæ reliquęque molliores corporis partes pustulis istorum insectorum erant refertę. Hoc illud esse animalculum credo quod Ind. Occid. hist. Scriptor *Nigua* appellat, quod etiam apud InsulamHispaniolam extat. Ab eo his describitur verbis. *Nigua* pulicis salientis speciem refert, puluere delectatur, nonnisi pedes infestat, quorum cuti sese insinuat, móxque lēdes maiori copia gignit, quàm sit credibile, habita subtilitatis ratione, hæ alias quoque generant. Ac nisi maturè obuiam eatur, nonnisi igni & ferro eiiciuntur: si verò tempestiuè extrahas, minimo dolore curantur. Quin & addit, Hispanos quosdam adeo illis fuisseinfestatos

Li. 1. ca. 30.

ſtatos vt multi articulorum,nõnulli verò pedum miniſterio caruerint.

Aduerſus ea incõmoda hoc remedio Barbari vtuntur : Eas partes, quæ huic lui ſunt obnoxię, oleo quodam inungunt, ſpiſſo, rubri coloris, ex fructibus quos illi *Couroq* nominant expreſſo. hoc etiã remedio nos Galli vtebamur. Addo oleum illud curandis vulneribus aliiſque corporis humani incommodis, adeò eſſe accommodatum, vt apud Barbaros non minoris ſit pretij atque eſt apud nos, cõfectio illa quam Sanctum oleum nuncupant. Chirurgus noſter, in Galliam remigraturus 12. ingentia vaſa iſtins olei aſportauit, totidẽque ſeui humani, quod dum ſuos captiuos torrebant Americani collegerat.

Gignit præterea Americanus aer ſubtiliſſimum culicum genus, quod Barbari *Yetin* nominant, adeò lancinat etiam leuiùs indutos vt mucrones acuum referant. Ex quo facile eſt colligere quàm ridiculè Barbari noſtri conſpiciantur vbi his culicibus infeſtantur, manibus enim ſua crura, nates, humeros, brachia ita plaudunt vt aurigam flagellum quatientem referant.

Yetin culices.

In puluere quoque & ſub lapidibus latent in America Scorpiones, iis qui in Prouincia conſpiciuntur longè minores, non tamen, vt experientia edoctus ſum, ictu minùs venenato & mortifero. Hoc inſectum munditie delectatur. Cubile meum mundari curabam,

Americani Scorpiones.

mundatum denuò appenderam, more ſolito, Scorpio in ruga quadam delituerat, qui mihi quidem incauto dum cubile ingredior ſiniſtræ manus pollicem perculit: Manus mirum in modum è veſtigio intumuit, ita vt venenũ fuerit corpus totum inuaſurũ niſi mihi præſto fuiſſet pharmacopola, ad quem confeſtim me recepi. Is mortuos Scorpiones cum oleo in phiala aſſeruabat, quorum vnum vulneri applicuit. Illud remedium etſi præſentiſſimum ab omnibus habetur, tanta fuit tamen vis veneni vt per 24. horarum ſpatium ſummo dolore laborauerim. Barbari quoque eodem vtuntur remedio, ſcorpiones nimirum, ſi eos aſſequi poſſint, vulneri attritos applicant. Præterea, prout alicubi à nobis dictum eſt, eos eſſe vindictæ cupidiſſimos, immò penè dixerim in noxia quęque furentes, ita vt ſi imprudentes in lapidem impingunt, rabidorum canum more eos mordeant, in animantia quæuis ſibi noxia ſedulò inquirunt, eáque quantum poſſunt penitus extirpant.

Remediũ aduerſus Scorpionũ ictus.

Barbari vindictæ cupidiſſimi.

Terreſtres Cancri.

Habet quoque Americana regio Cancros terreſtres, eos *Ouſſa* nominant *Tououpinambaultij*, turmatim locuſtarum more ad maris littus & paluſtria loca conueniunt, ſi quis ad ea loca accedat hac illac fugientes videat: In truncos arborum radicéſque ſeſe recipiunt, è quibus extrahi tutò non poſſũt, digitos quippe & manus capientium forcipibus comprimunt: Marinis longè ſunt macriores, quoniã autem

autem iuniperinas redolent radices, palato minimè sunt grati.

CAP. XII.

De nonnullis piscibus apud Americanos maximè vulgaribus, déque eorum piscatu.

NE idem sæpius repetere cogar, à quo abstinere quoad eius fieri potest cupio: Lectorem tum ad capita 3.4.5.& 7. historiæ huius tũ ad loca alia in quibus de Balænis, marinis mõstris, piscibus volantibus, aliáque compluriũ generum egimus, remitto. Eos verò hoc capite describam qui maximè apud Brasilienses nostros sunt vulgares, de quibus nulla est hactenus facta mentio.

Ac primùm quidem pisces in genere Barbari *Pira* vocant. Mullorum genera duo habent: *Kurema*, & *Parati* appellant: optimi saporis tum elixa, tum tosta. Quoniam verò mulli gregatim oberrant, (quod non ita pridem in Ligeri aliisque fluminibus est obseruatum) Barbari eos vbi vident telis petunt, ac nonnunquam tam certa manu, vt duos tréſve vno iactu figant, transfixos natantes quæsitũ eunt Barbari, vt qui mergi nequeãt.

Pira pisces.


Kurema & Parati mulli.

Sagittis mullos petunt Americ.

Horum piſcium caro eſt admodum friabilis, quo fit vt ſi magno capiantur numero, *Boucã* impoſiti exſiccẽtur, deinde friati in optimam farinam redigantur.

Camouroupouy-ouaſſou piſcis prægrãdis.

Camouroupouy-ouaſſou piſcis eſt prægrandis (*Ouaſſou* enim Americana lingua grandem autoaſſum ſonat, prout accentu diſcriminatur) Huius *Tououpinambaultij* in ſuis choreis & cantibus frequentem faciunt mentionem: hæc enim verba hoc modulãtur modo:



edulíſque eſt maximè.

Ouara & *Acaraouaſſou* piſces optimi.

Duo inſuper ſunt illis piſcium genera, quæ *Ouara* & *Acara-ouaſſon* nominãt à ſuperiore non abſimilia, bonitate tamen vincunt: Immo affirmare auſim *Ouara* ſalari noſtro nullo cedere modo.

Acarapep planus piſcis.

Acarapep piſcis eſt planus, inter coquendũ pinguedinem ſubflauam emittit quæ eis eſt pro condimento, eſtq́ue carne optima.

Acarabouten piſcis ſubruber.

Acarabouten viſcoſus eſt, colore ceruino, aut ſubrubro, ſuperioribus bonitate cedit, minúſque palãto ſapit.

Pira-ypochi piſcis oblongus.

Pira-ypochi longus eſt inſtar anguillæ, eſtque minimè edulis, quod etiam Americana lingua *ypochi* ſonat.

Raiæ à noſtratib. diſſimiles.

Raiæ quæ in Ganabaræ ſinu maríque vicino capiuntur, nõ modò à Neuſtriis & Britãnicis aliíſque noſtratibus magnitudine differũnt, ſed etiã eo quòd cornua duo oblonga

gerant, præterea quinque aut ſex fiſſuras in ventre habeant, quas minimè natura ſed arte factas, credas, cauda oblonga eſt & tenui, atque adeo venenata, cuius rei experimento ſum certior factus, vnum enim cepimus, inque ſcapham eduximus, quæ mox cuiuſdam è noſtris tibiam punxit, quæ ſtatim intumuit & inflammata eſt. Hæc ſunt quę paucis de piſcibus marinis Americanis, quorum tamen numerus eſt infinitus, habui dicenda.

Raiarum caudæ venenatæ.

Ad hæc flumina aquæ dulcis, piſcibus mediocribus & minimis abundāt quos ſua lingua Barbari, *Para-miri* & *Acaramiri* nuncupant. *Miri* enim eorum lingua, paruulum ſonat. Huius generis duos monſtroſiſſimos paucis perſtringam.

Para-midi & *Acaramiri*, piſces minores.

Vnum Barbari *Tamouata* appellant, palmi longitudine, capite ampliſſimo atque mōſtroſo, habita reliqui corporis ratione, pinnulas ſub branchis habet duas, dentibus lucio noſtrate eſt acutioribus, ariſtis quoque acutiſſimis, ſquamis quoque duriſſimis, adeo vt (quot de *Tatou* iam antè dixi,) gladio tranſuerberari nequeat. carne eſt probatiſſima, & ſaporis gratiſſimi.

Tamouata piſcis mōſtroſus.

Alterum *Pana-pana* vocant, mediocris lōgitudinis, cuius hæc eſt forma, pelle eſt inſtar Requienis aſpèra, corpore & cauda illius non abſimili, capite plano, atque admodum deformi, quod ab aqua elatum, in duas diuidit partes, ita vt caput piſcis deformius & monſtroſius conſpici minimè poſſit.

Pana-pana piſcis capire deformi.

De Barbarorum piſcatu quod attinet, in

primis ad ea quæ dixi de mullis quos ſagittis transfigunt (quod etiam de reliquis quoque piſcibus eſt intelligendum quos petere in aquis poſſunt) notandum eſt, non modò viros & mulieres, ſed etiam puerulos natandi peritiſſimos eſſe. illi prædam natando more barbatulorum canum in medias petunt aquas. hi ſimulac ambulare didicerunt, in flumina maríſque littus ſe coniiciunt, atque anatum more huc illuc oberrant. Cuius rei ad fidem faciendam exemplum paucis commemorabo. Die quadam Dominica mane, in quodam Caſtelli noſtri propugnaculo expatiabamur, lintrémque corticeam (quæ etiam ſuo loco à nobis deſcribetur) qua, vltra triginta tũ virorum & mulierum tum puerorũ capita ad nos inuiſendos vehebantur, in medio mari euerſam. Confeſtim nauigium conſcendentes opem laturi ad eos properamus, omnes ad vnum natantes & ridentes comperimus. Quidam verò eorum his nos compellauit verbis, Quónam ita feſtinantes tenditis vos *Mair?* (quo nomine Gallos appellant) Ad vos, (dicebamus) opem laturi. Magnam, inquit, habemus gratiam: Atqui exiſtimatíſne nos quamuis in mare delapſos, in diſcrimen vitæ adductos fuiſſe? Octo dies potiùs hoc modo in aquis verſaremur, quàm vt mergeremur. magis verò metuimus ne magni quidam piſces in fundum nos pertrahãt: Cæteri verò qui inſtar piſcium placidiſſimè natabant, audita ob quã ad eos acceſſiſſemus

Viri, mulieres, puerique, peritiſſimè natant.

causa

causa, sannis nos exceperunt, præque risu nimio eos suum marinorum more flantes videbamus. Ac sanè, licet 500 passibus à Castello nostro aberamus, perpauci eorum (idque potiùs garriendi caussa, quàm vllius periculi metu) nauigium conscenderunt. Ego obseruabam eos nonnunquam nobis præire, ad libitum modò tardè, modò celeriùs natantes, quotiésque visum esset ad aquæ summum quiescere. Lintrem verò cum quibusdam xylinis lectis, cibariis, nonnullísque aliis quæ ad nos auehebant submersum tantumdem curabant quantum solicitudinis afferret nobis pomi vnius iactura. Dicebant enim, An non sũt alia in terra.

Barbari narratio de pisce, manib. & vultu humanã formam referentet.

Priusquàm verò ab hoc de piscatu sermone digrediar, historiam à Barbaro acceptam prætermittere nolo. Cùm inquit die quadam vnà cum nonnullis aliis in summa maris malacia lintre quadam veherer ingens, quidam piscis manu nauigij oram apprehendit, meóque iudicio aut euertere aut conscendere volebat: Id ego conspicatus falce quam prę manibus habebam, manum illam abscidi quæ in lintrem decidit, digitos verò nostri persimiles quinque habebat, præterea præ dolore quo piscis ille fuit affectus exerto supra aquã capite, ad humanum accedente, aliquãtulum concrepuit. Ego lectori dispiciendum relinquo vtrùm (iuxta vulgi opinionem, qua fertur mare in se singula animalium genera habere quæ in terra conspiciuntur, præsertim

verò habita eorum ratione quæ de Tritonibus & Sirenibus à nonnullis sunt scripta) Sireni an verò potiùs simiæ marinæ manus illa fuerit amputata: Tamen (non quod præiudicium iis quæ in hanc rem afferri possunt allatum velim) ingenuè fateor me, qui menses nouem in alto mari versatus sum, quíque non rarò circa littora nauigans oberraui, piscem vllum, in tanta tot generum copia quæ à nobis sunt capta, non conspexisse qui adeò ad humanam accederet formam.

Spinæ quibus ꝑ hamis vtuntur Barbari.

Atque vt tandem sermoni de Americanorum piscatu finem imponam, præter eum, de quo diximus, modum quo pisces sagittis trāsfigunt, prisco etiam suo more, spinas in hamorum modum componunt, lineásque herba quadam quam illi *Toucon* vocant conficiunt, quibus non modò in littore piscantur: sed etiam in medium mare, fluminà que progrediuntur, ratibus vecti, quas illi *Piperis* vocant, quásque hoc modo componunt, longurios quinque aut sex rotundos brachij crassitudine, vinculis ligneis colligant, quibus, exporrectis cruribus, ac tibiis insidentes, fuste plano pro remo vtentes, quocunque fert animus errant: Attamen rates istę vlnæ longitudinem non superant, latitudine pedes duos, quo fit vt neque procellarum fluctus ferant, neque plures vno homine capiant. Noctu itaque Barbari tranquillo mari singuli illis insidentes ac solis radiis oppositi, simias optimè referunt, seu potiùs ranas eminùs conspe-

Toucon herba.

Piperis rates earúmque vsus.

ſpecti. Attamẽ, quia hæ rates celeriter admodum componuntur, & mergi nunquam poſſunt, ſi apud nos in vſu eſſent, cõmodiſſimas fore autumo, tranandls tum fluminibus leniter fluentibus, tum ſtagnis & paludibus, quibus tranandis cùm vrget neceſſitas frequenter non parùm laboratur.

Ad hæc, Barbari noſtri non modò mirè delectabantur retiũ noſtrorũ quibus piſcabamur conſpectu, ſed & ipſi nos adiuuabant, atque adeo ſi per nos licebat peritè ipſi piſcabantur. Hæc illi ſua lingua *Puiſſa-ouaſſou* nuncupant. Præterea Gallos eo præcipuè laudant nomine, præter alia non pauca commoda quæ ex mercibus eorum percipiunt, quod cùm anteà ſpinas ad piſcandum lineis aptare neceſſe eſſet, eorum beneficio iam copia illis ſit vnculorum illorum ferreorũ quos adeo ad piſcandum accommodatos eſſe prædicant. Ac ſanè pueruli, (vt ante dictum eſt,) ab aduenis hamos flagitare probè ſunt edocti his verbis: *De agatorem, amabè pinda.* hoc eſt, tu bonus es, da mihi hamos. *Agatorem* enim eorum lingua bonum ſonat, *Amabè* da mihi, *pinda* verò hamum. Si verò repulſam patiantur, capite conuerſo in hæc verba ſtatim erumpunt *De engaipa-aiouca*, hoc eſt, tu es nequam, es occidendus.

Puiſſa-ouaſſou ſagena. Hamos maximè probant Barbari.

Itaque ſi quis gratiam inire à parẽtibus & à liberis cupit, nihil illis eſt denegandum. Grati quidem ſunt, præcipuè verò ſenes tũ cùm minùs de eo cogitaueris, muneris accepti me-

Barbari liberalibus hominib⁹ delectãtur morosos verò deteſtantur.

mores, aliquid dare solent. Hoc ergo obseruatum est à me, homines hilares, alacres, & liberales, summo apud illos esse loco: Cõtrà verò tristes, morosos, taciturnos, auaros, eósque qui sibi solis viuunt, vsque adeo detestãtur, vt author sim istius farinæ hominibus ne Barbaros nostros adeant.

CAP. XIII.

De Arboribus, herbis, radicibus, exquisitissimísque fructibus qui in Americano proueniunt solo.

QVANDOQVIDEM in superioribus de quadrupedibus, de auibus, piscibus, reptilibus, deniq; de omnibus Americanis animantibus, à nobis actum est, consentaneum videtur vt priusquam ad religionem bellum, politeian, alіósque Barbarorum mores accedamus, nõ nihil de soli illius arboribus, herbis, plantis, fructibus, radicibus, omnibus denique iis quæ vegetante anima sunt prædita, agamus.

Primò autem, quia Brasilia arbor est totius soli illius celebratissima, (à qua etiam nomen est sortita regio illa) præcipuè ob fucum quẽ ex ea conficiunt infectores nostri, eam hoc loco describam. Hæc itaque arbor Barbaris *Araboutan* nuncupatur, quercum nostram proceritate & ramorum copia adæquat. Quædam reperiũtur quarum crassitudo

Araboutã Brasilia arbor, eiúsque forma

trium

trium hominum vlnas complectentium implet. Scriptor Hist. Occid. Ind. prodidit duas in illis regionibus visas esse arbores: quarum altera vltra octo vlnas, altera sexdecim in ambitu haberet: ita vt ad culmen prioris, quæ tanta erat altitudine, vt lapidis iactū superaret, *Cacicus* quidam casulam cùm construxisset, Ciconię modo, Hispanis risum cōmouebat. Alteram admiratione dignissimam asserit. Idē quoque narrat in *Nicaragua* Prouincia arborem prouenire nomine *Cerba* cuius crassitudo quindecim hominum complectentium vlnas impleat. Sed vt ad Brasiliam nostram reuertamur, folijs est buxeis persimilibus. Fructum verò non fert.

cap. 61. & 204.

Arbores miræ crassitudinis.

Qua verò ratione materia illa in naues importari soleat, hoc loco describere visū est. In primis verò sciēdū est, nisi ab incolis iuuarentur mercatores, intra annum vix nauem ea materia onerare posse, tum ob duritiem, ac proinde in secando difficultatem, tum verò præcipuè, quòd iumentis omnibus careat illa regio, ac proinde humeris humanis sit comportanda. Barbari igitur vestibus, indusiis, pileis, cultellis, aliísque mercibus conducti, non modò materiam illam securibus & cuneis secant & findunt & rotundāt, sed etiam humeris nudis impositam in naues comportant, nonnūquam verò locis impeditissimis, tribus aut quatuor passuum millibus à sylua ad littus intercedentibus. Nominatim verò dico Barbaros, ex quo Galli & Lusitani ad

Iumētis caret Americana regio.

Barbari materiā secāt, & in naues important.

eos acceſſere, ſuas Braſilias arbores ſecare, earum enim exſcindendarum (quantum à ſenioribus accepi) ante illud tempus, ratio alia nō erat, niſi quòd igne admoto eas deturbabant. Præterea quoniam non nullos ſcio exiſtimare materiam illam quæ ad nos aduehitur, arborum craſſitudine obtinerem: de induſtria addidi Barbaros eam rotundare, quo faciliùs comportari ab ipſis poſſit.

Priſcus arbores excidendi modus apud Barbaros.

Ad hæc obſeruatum eſt à me, tantiſper dū in America vixi, caminóque luculento ligni iſtius beneficio vſus ſum; minimè humidum hoc ligni genus eſſe quod pleriſque aliis lignorum generibus vſuuenit: immo quaſi natura ſiccum eſſe, accenſum verò perparum fumi parere. Sycomorus verò cōtrà (vt ait Matthiolus,) prę cęteris lignorū generibus hoc habet peculiare, vt etiamſi excifa ſit, humiditatem retineat, ac niſi in aquam demerſa, non exſiccetur. Aliud inſuper commemorabo. Quidam è noſtris induſia noſtra mūdare cupiebat, cineres braſilii ligni imprudens in lixiuium impoſuerat, adeo tenaciter rubeo infecta ſunt colore, vt quantumuis abluta illum nunquam mutarint, atque eo colore infecta fuerunt nobis induenda. Si verò delicati illi qui ſuas rugas dealbandas in Belgium mittunt, minùs fidem his adhibeant, per me licet illis non modò periculum facere, ſed etiam ſi volēt, ingentes illas ſuas rugas viridi inficere colore.

Braſilicum lignū ferè ἄκαπνον.

Braſilici ligni cineres induſia rubro colore inficiunt.

Cæterùm quia non mediocriter mirantur

Tonon-

Tououpinambaultij noſtri quum vident Gallos, alióſque aduenas è procul remotis terris uenientes, tantum laboris ſumere vt Arabo utano ſuo (id eſt Braſilio ſeu coccineo ligno) naues onuſtas reuehant. Itaque magno natu quidam ex Barbaris hunc in modum me ſuper ea re aliquando interrogauit: Quid ſibi vult, inquit, quod vos *Mair* & *Paros* (id eſt Galli & Luſitani) tam procul petitum ligna veniatis? Nulláne vobis ligna ad focũ tel lus veſtra ſuppeditat? Tũ ego, Suppeditat verò, inquam, & quidem magna copia: ſed non ex eo genere arborũ quales veſtræ ſunt: Braſilium imprimis, quod hinc noſtri non ad vrendum, vt tu exiſtimas, ſed ad tingẽdum exportant: ſicuti & vos & funiculos veſtros bõbycinos, pennas aliáque rerum inficitis. Hîc ille protinus excipiens: Verùm tantáne eius ligni copia vobis opus eſt? Enimuerò inquã. quum enim (vt hominis animum admiratione ſuſpenderem) apud nos vel vnus mercator plures coccineos pannos, plures cultellos, & forfices (nota ipſi & familiaria exempla ſubiiciens) plura ſpecula poſſidet, quàm quanta huc ad vos vnquam allata ſunt: ſolus ille omne Braſilium coëmet, quo plures hinc naues onuſtæ redeunt. Ah! (inquit Barbarus) mira mihi narras. Mox eorum quę audiuerat memor, percontari vltra perrexit: At, inquit, vir ille adeo locuples, quem tu refers, non moritur. Moritur, (inquam) vt & alii homines? Ibi tum ille (vt iſti Barbari cõmentari amant

Barbari eu iuſdam cũ authore colloquiũ.

& cœptum ſermonem nullis interruptum diuerticulis ad finem vſque haud abſurdè pertexunt) quærere ex me, Ergo, inquit, eorũ quę iſte moriens bona reliquit, quis hæres eſt? Liberi eius, inquam, ſi habet: ſi non habet, fratres, ſorores, aut proximi eius agnati.

Quum hæc dixiſſem, Equidẽ (inquit meus ille haud ſanè ineptus ſenex) facilè hinc animaduerto vos *Mair*, (id eſt Gallos) eſſe inſigniter fatuos. Nam quid traiiciendo mari tãtopere vos fatigari neceſſe eſt, in quo ſuperando (ſicuti nobis quidem huc appulſi dicitis) tantum malorum exhauritis? Nempe vt liberis veſtris aut ſuperſtitibus cognatis opes quæratis? Tellus quæ nos aluit, non illis quoque alendis ſufficiet? Nos quidem, & liberos, & propinquos habemus, eóſque vt tu vides, ſumma caritate amplectimur: ſed quum confidamus fore vt poſt mortem noſtram terra, quę nos aluit, eadem & illos quoque enutriat, in eo acquieſcimus.

Sententia eximia à Barbaro ꝓlata.

Et certè in hanc ſententiam, præclarè Socrates olim cuidam vehementi ſtudio ſuadenti vt ſe liberis etiamnum paruulis ſeruaret incolumem, Liberi, inquit, Deo qui mihi eos dedit curæ erunt: Ageſilaus verò Lacedæmoniorum rex amicos admonebat ne tam pecuniis quàm fortitudine, ac virtute ſtuderẽt diteſcere: quòd fruſtra parat opes, qui veris animi bonis vacat. Quæ ſententiæ ab Ethnicis profectæ admirationem non paruam merentur. Prior enim conuenit cum eo quod ſcriptum eſt, Ero Deus tuus & ſeminis tui

post te. Altera verò respondet dicto illi Christi, Operimini non cibo qui perit, sed cibo illi qui permanet in vitam æternam, quam Filius hominis dabit vobis. Ioan. 6. 27.

Hactenus paucis, sed fideliter narrationem ab Americani Barbari ore acceptam recitaui. Quamobrem, gens illa quæ adeò Barbara à nobis habetur, non modò lepidè eos irridet qui magno suo periculo Brasilio ligno quærendo ex quo quæstum faciant mare traijciunt: sed etiam quantũuis obcæcata (quandoquidem naturę & soli fertilitati plus quàm nos Dei potentiæ & prouidẽtię tribuit) aliquando cum raptoribus in iudicio surget qui Christianum nomen præ se ferunt, quorum tam est Europa ferax quàm Brasilia immunis, quoad incolas attinet. Quare, prout à me dictum est, immortale odium aduersus auaros à *Tououpinambaultijs* geri, vtinam auari omnes qui cùm satiari nusquam possint cõtinuò pauperum medullam & sanguinem exugũt, in illis terris essent relegati, vt ab iis iã furiis aut Dæmonibus exagitarentur. Necesse mihi fuit magno nostro pudore in Barbarorũ gratiã qui adeo res mũdanas cõtẽnũt, digredi. Addere autem non incõmodè meo quidem iudicio possum rẽ ab Ind. Occid. histor. scriptore memoriæ proditã, de quadam Barbara gente Peruana, quæ cùm primùm Hispanos versantes in suis locis sunt cõspicati, tum quòd barbari essent, tum verò præcipuè quòd luxui indulgerẽt, verebantur ne ab

Lib. 4. cap 108.

In errores Barbarorũ accusatio.

illis ipsi corrūperentur aut auiti mores immutarentur, eos abeuntes increpabant, his nominibus, Spuma maris, sine partibus homines, inquieti, quíque nullibi consistere possunt ad laborandum, quo victum sibi parent.

Palmarū in America 4. aut 5. genera.

Sed vt arborum Americanarum descriptionē persequar, Palmarū quatuor aut quinque genera illic reperiuntur: inter quæ frequētissima numeratur ea, quam illi *Gerau*, alia quoq; quam *Yri* nominãt: Attamē quemadmodum fructus nulli à me sunt conspecti, credo etiã nullos edi. *Yri* quidem fructum rotūdū producit instar spineorum prunorū ad effigiem racemi amplioris tãti ponderis vt ægrè vna manu subleuetur, sed nucleus tantùm cerasei crassitudine, est edulis. Præterea in culmine harum palmarū est turio quidam albus, qui à nobis vescēdi gratia abscindebatur: Philippus verò qui hæmorrhoidibus laborabat, asseuerabat illi morbo remedium esse, cuius rei fides penes medicos esto.

Turio in capite palmarum edulis.

Ayri hebeni species spinosa.

Alia quoque est arbor, à Barbaris *Ayri* appellata, quæ licet foliis palmæ sit persimilis caudice spinis circumquaque armata acuum mucronum specie & aculeo. Fructus mediocri crassitudine, cuius in medio nucleus est niuali albedine, qui tamē edulis non est, quã hebeni genus esse credo: præterquam enim quod colore est nigro tantáq; duritie, vt Barbaris clauis suis & sagittis partim conficiendis, (quas fusiùs cùm de bellis eorum agetur describam) sit in vsu læuigatum est quo-

quoq; ac lucidiſſimum, adeo denique graue vt in aquam deiectũ ad imum ſtatim feratur.

Compluria quoque lignorum multiplicis coloris in America reperiuntnr genera, quorum nomina ſigillatim edere non poſſum. Nonnulla vidi, buxi colorem imitantia, alia violacea, è quibus fruſtula quædam in Galliã aduexeram, alba vt charta, rubra, diuerſi à Braſilio generis, è quibus etiam clauas ſuas Barbari conficiunt: vnum quoque quod illi *Copau* nominant, cuius arbor nuci Iuglandi eſt perſimilis, nucibus tamen caret, materia quoque affabrefacta eaſdem cũ nuce maculas habet. Denique nonnulla reperiuntur, quorum folia ſunt capitati numi craſſitudine: alia, quorum etiam folia ſunt latitudine ſeſquipedali, atque adeo complurium generum quæ omnia ſigillatim recenſere longũ eſſet.

Ligna varij coloris

Copau arbor nuci perſimilis.

Arborũ folia craſſiſſima, alia quoque ampliſſima.

Ad hæc arbor in illis naſcitur terris pulchritudinis eximiæ, atque etiam, (quod eſt maximum) adeò ſuauis odoris, vt dum à fabris vel ſcinderetur, vel expoliretur fruſtula à nobis collecta vel flagrantiſſimam roſam referrent. Contra alia illic adoleſcit quam Barbari *Aou-ai* nominant allij teterrimo odore, quem dum ſecatur, aut vritur nemo eſt qui ferat: foliis eſt à pomis noſtris non abſimilibus: fructus verò eius (qui proximè ad echinũ formâ accedit) prȩſertim verò nucleus adeo eſt venenatus vt comedẽti veneni prȩſentiſſimi effectum referat. Nihilominus tamẽ Barbari noſtri, quòd ex eo crepitacula ſua

Lignũ ſuauis odoris.

Aou-ai lignũ teterrimi odoris.

Cõplures Americanę arbores fructus ferunt venenatos.

componunt, fructum illum plurimi faciunt. Hìc quoque animaduertendum est, Brasiliàm (vt mox dicemus) poma complurium generum optima ferentem, abundare etiam arboribus, quæ pulcherrimos quidem fructus edunt, ad vescendum tamen inutiles. In litore præsertim multæ sunt arbusculæ, quarum poma mespilis nostratibus valdè similia periculosè comeduntur. Idcirco Barbari cùm Gallos cęterósque aduenas ad poma illa colligenda accedentes conspicantur, suo idiomate *Ypochi* crebrò vsurpantes, vt ab eis abstineant, admonent.

Hiuouraé guaiaci species.

Hiuouraé, cui cortex est semidigitali crassitudine, sapore gratus, præsertim recèns ab arbore extractus, genus est Guaiaci, quantum accepi à duobus Pharmacopolis, qui mare nobiscum transmiserant: eáque Barbari vtuntur ad morbum, quem *Pians* appellant, qui, vt postea dicam, æquè apud eos perniciosus est, atque apud nos lues Venerea.

Choyne arbor ex cuius fructu Barbari suum *Maraca* conficiunt.

Arbor *Choyne* Barbaris appellata, mediocri altitudine, foliis forma & viriditate lauri, pomis, magnitudine capitis infantis, ad figuram ouorum Struthiocameli accedentibus, quæ quidem non sunt edulia. Ex his *Tououpinambaultij* ob duritiē corticis integra quædam in longitudinem, latitudinémque perforantes, quibus *Maraca* conficiunt: (de quo iam antè mentio facta est, fiétque in sequentibus:) illa etiam ad calices, aliáque vascula excauant, dimidiántque.

Inter

Inter arbores quoque Brasilienses numeratur *Sabaucaie*, pugnis ambobus pomo ampliore, formámque calicis imitante: in cuius imo exigui quidam nuclei amygdalinis similes comperiuntur, eundem quoque ferè cum amygdalis saporem referunt. Cæterùm cùm pomi istius putamen vasis conficiendis sit aptissimum, arbitror illud esse quod vulgò nucum Indicarum nomine appellamus, aut certè ex illarum genere. Mathiolus enim suis in Dioscoridem commentariis aliarum nucum Indicarum meminit, quæ formâ sunt rotundæ, ac magnorum melonum instar ab arbore dependent: quarum ego in illis regionibus, prout sunt ab illo depictæ, ac descriptæ, putamina vidi, quæ torno expolita hîc solent à nostris hominibus argento includi. Præterea cùm in illis terris versaremur, quidam Petrus Bordonius nomine artis tornandi peritissimus, varia cáque pulcherrima vascula fabricauit, cùm ex istis *Sabaucaie* fructibus, tum ex aliis versicoloribus lignis, quorum partem Villagagnoni dedit, à quo plurimi fiebant. Verumtamen aliquanto post indignissimam reportauit mercedem: ex eorũ enim fuit numero (vt à me suo loco dicetur) quos Villagagno propter Euangelij professionem in mare demersos suffocauit.

Sabaucaie arbor cuius fructus vasis conficiẽdis est accommodatus.

Petrus Bordonius tornator peritus, quam mercedẽ à Villagagnone retulit.

Est præterea in illis terris arbor proceritate sorbi nostræ, cuius pomũ Barbari *Acaiou* nominant, amplitudine, & figura oui gal-

Acaiou fructus edulis.

linacei, quod vbi maturuit, colore ad aurum inclinato inſtar cotonei mali, non modò vtiliter comeditur, ſed etiam ſubacidum, nec minùs palato gratum ſuccum emittit, qui calore æſtuantes iucundiſſimè refrigerat. Attamen cùm difficulter è proceris illis arboribus decutiatur pomum illud, nonniſi à Cercopithecis qui illis veſcentur excuſſa habebamus.

Paco-aire frutex tenera.

Paco poma oblonga.

Paco-aire frutex eſt decem aut duodecim pedum altitudine, caudice femorali nonnũquam craſſitudine, qui tamen adeo eſt tener vt gladio vno ictu ſecetur: pomum *Paco* vocant Barbari palmi longitudine, formâ cucumeri non abſimile, eiuſdem etiam coloris cùm ad maturitatem peruenit. Hæc autem poma naſcuntur vt plurimum viginti aut viginti quinque ſimul & confertim in ſingulis ramis, quæ Americani legentes in caſas ſuas important tanto pondere quantũ altera manu ferre poſſint. Ad pomi verò iſtius bonitatem quod attinet, vbi maturuit, calyce ad modum recentis ficus auulſo, grumoſum apparet: quo fit vt mandentibus ficum referat, vnde à nobis ficus nominabatur: ſapore verò vel delicatiſſimas Maſſilienſes ficus ſuperat: itaque non immeritò inter optimos totius oræ illius fructus recenſeatur. Memoriæ quidem eſt proditum, Catonẽ cùm Carthagine Romam rediiſſet, miræ magnitudinis ficus attuliſſe: verùm quoniam antiqui de his noſtris nullam mentionem fecerunt, credibile

Paco ficus ſapore.

bile eſt alîus fuiſſe generis ab iſtis de quibus ſit ſermo. Foliorum verò *Paco-aire* forma foliis lapathi aquatici non eſt abſimilis : tanta tamen ſunt magnitudine, vt vulgò longitudo ad ſex pedes, latitudo vltra duos protendatur: quo fit vt nulla ratione adduci poſſim vt credam in Europa, Aſia, & Africa tantæ longitudinis & latitudinis folia extare. Nam etſi Pharmacopolam quẽdam audiui aſſeuerantem ſe vidiſſe folium Petaſitis latitudine vlnæ cum quadrante, hoc eſt (ſiquidem rotunda eſt hæc planta) cuius circumferentia tres vlnas cum quadrantibus tribus ſuo ambitu caperet: nuſquam tamen accedebat hæc amplitudo ad noſtri *Paco-aire* magnitudinem. Verum quidem eſt foliorum illorum craſſitudinem longitudini non reſpondere, imò exilia maximè eſſe, aſſiduè tamen erecta, adeo vt venti paulò vehementioris, (quo regio illa frequentiſſimè vexatur) mediana tantùm coſta impetum ferat reliquum verò ita diſſecatur vt eminùs conſpicienti hi frutices plumis ſtruthiocamelinis ornati eſſe credantur.

Paco-aire folia immenſe magnitudinis.

Matheolus commentariis in Dioſcoridem de palma & dactylis agens, ſcribit quandam eſſe plantam in Ægypto, Cypróque naſcentem, quam Veneti inde redeuntes Muſam appellant, & Muſas ſimiliter fructus: quámque optimè eo loco depinxit : cuius deſcriptionem, quia non parum ad noſtrum *Paco-aire* accedit, hoc loco adſcribere placet. Muſa igitur, inquit ille, adoleſcit ad quinûm, ſe-

Muſa arbor eiúſq; deſcriptio

nûmve cubitorum proceritatem è ſtolonibus alterius ſata: folio eſt arundineo, quod tamen perquàm longo, latóque ambitu ſe diffundit, adeò vt in longum trium cubitorum menſuram quandoque excedat, in latum verò ſeſquicubitum ſpatietur, lata craſſáque per medium excurrente coſta. Torreſcunt folia æſtate ſui naturâ, vel etiam fortaſſe ſolis ardore, adeò vt menſe Septembri eorum coſtæ prorſus nudæ cernantur, decidente foliorum materia, quod admodum ſit tenuis. Caulis ſquaroſo foliorum cortice veſtitur, palmæ, vel arundinis modo. Ramos habet nullos, ſed caudice tantùm conſiſtit. E vertice germen emergit materie molli, longitudine ferè cubitali, à quo alia ab origine, ad ſummum prodeunt germina ternûm, quaternûmue digitorum inuicem diſtantia: è quibus circumueniunt fructus, parui cucumeris magnitudine, qui per maturitatem quadantenus flaueſcunt, cortice fici, qui eodem modo digitis detrahitur. Subſtantia pulpæ conſiſtit melopeponum modo, nullo intus oſſe, neque ſemine. Primum guſtantibus fructibus inſipiditatem quandam præ ſe ferre videntur, adeò vt primo ſtatim guſtu non placeant, verùm qui eſui aſſueſcunt, iis indies magis delectãtur: quippe qui quadam occulta ſaporis ſuauitate allecti qui niſi tractu temporis cum palato init gratiam, nunquam ſaturi videantur. Ita Muſam (inquit Mathiolus) mihi deſcripſere qui ex Ægypto, & Cypro ad nos reuer-

uertuntur. Sed quænam antiquis Musa fuerit planta, quid referam non habeo. Fusiùs hoc ille persequitur allato Theophrasti, & Serapionis testimonio, vt videre cuiuis licet. Alibi quidem de ficu Indica (puta Oriētali) agit, cuius pictura quam eo loco exhibet, indicat arborem esse monstrosissimæ formæ: ac veritus ne Lectori tædium afferam, (præsertim cum minùs ad *Paco aire* nostri formam accedat) intermissam repetam historiæ meæ seriem: siqui verò plura nosse cupiant, eos ad 145. commentariorum illorum libri I. caput remitto.

Xyla arbores.

Quod igitur attinet ad Xyla frutices, quæ in mediocrem proceritatem assurgunt, in Brasilia magno reperiuntur numero: flores instar campanularum lutearum citrullinarū emittunt: vbi verò efformatum est pomum, non modò ad fageam glandem proximè accedit, sed etiam maturum in quatuor diuiditur partes, quæ per floccos pilæ magnitudine xylum emittunt, quod Barbari *Ameniiou* nuncupant. In floccorum illorum medio reperiuntur grana quædam nigra compacta, atque admodum compressa ad renis humani formam, cuius compacturæ magnitudo fabam non superat. Porrò Barbaræ fœminæ xyli illius colligendi, & nendi ignaræ non sunt, eo siquidem cubilia sua conficiunt ad eum qui à nobis dicetur modum.

Ameni-iou Xylon.

Aurea & citrea mala.

Præterea quamuis olim (quantum accepi) in America nullæ crescerent aurei ac citrei

mali, hodie tamen cùm Lusitani multas maritimis oris quas accolunt conseuerint, non modò indies propagantur, sed etiam poma ferunt aurea (quæ à Barbaris *Margou-ia* appellātur) prædulcia, & amborum pugnorum crassitudine, citrea quoque & ampliora, & maiora numero.

Magna in America copia crescunt.

Saccari quoque cannæ optimè in illis terris crescunt in maxima copia: Attamen cùm nos Galli, & hominibus, & machinis ad eliciendum saccarum idoneis nondum essemus instructi (vt sunt Lusitani in iis quæ occupant apud Barbaros locis) in aqua cannas illas vt saccari saporem inducerent, madefaciebamus: prout antè est à nobis dictum cap. 9. vbi de Barbarorum potu egimus: alij succum & medullam earum exsugebant. Hoc porrò loco rem multis fortasse admirandam narrabo, cannas huiusmodi nonnunquam mucescere sinebamus, & in aqua madefaciebamus, quæ contra saccari qualitatem, quam dulcissimam esse nemo ignorat, adeò acida fiebat, vt aceti nobis esset loco.

Saccari cānæ in America nascuntur.

Acetum à cannis saccari.

Similiter in syluis non rarò arundines nascuntur crassitudine cruris humani: sed quemadmodum supra dixi de *Paco-aire*, adeo sunt teneræ vt singulæ earum vno ictu gladio secentur adhuc stantes, aridæ verò tanta duritie vt fissis illis, & in modum chirurgicorum scalprorū efformatis sagittas suas ita arment Barbari vt vno iactu feras humi fundant. Sed quando de cannis & arundinibus incidit sermo,

Arūdines quibus Barbari sagittas suas armant.

mo,

mo, Calcondilus hist. de bello Turc. scribit in India Orientali arundines reperiri tantæ magnitudinis ac crassitudinis vt nauigii vicem pręstent, non modò tranandis fluminibus, sed etiam singulæ quadraginta tritici medimnos capiant, medimno sex modios Græcos continente.

Lib. 3. cap 14.

Ad hæc Matthiolus suis in Dioscoridem commentariis ait, arundinem quę magna copia in Italia nascitur palis vitium apta ad decem cubitorum altitudinem exsurgere, lãceę crassitudine, & pari firmitudine.

Mastiche.

Mastiche etiam in hac nostra America in dumetis nascitur, quæ vnà cum aliis propè infinitis herbis & floribus odoratis, terram suauissimo odore perfundit.

Americana regio à niue, gelu, & grãdine immunis.

Quamuis autem ea quam incolebamus regio, quę nimirum Capricorni tropico subest, à tonitruis horridis (quę Barbari *Toupan* vocant) imbribus vehementioribus, ventísque rapidissimis non sit immunis, tamen quia nusquam in ea gelu, nix, nec grando conspicitur, ac proinde suis nunquam spoliantur arbores frõdibus, vtpote quæ frigore non infectentur, per totum annum eo vigent modo, quo mense Maio solent apud nos syluę. Præterea quando huc vsque sum progressus, iuuat cõmemorare, cùm mense Decembri non modò breuissimi sint dies apud nos, sed etiam frigore rigentes manus perflemus, glaciésque naso dependeat, tum temporis A-

Arbores assiduè virentes in America.

mericanos diebus longiſſimis vti, tantóque æſtu torreri, vt ego ſociíq; ad 35. Decembris fluuiis illũ ardorẽ ſolari cogeretur. Verũtamẽ, qđ ſphęrę nõ ignaris facile eſt intelligere, cũ dies ſub tropicis nuſquã tã lõgi, neque rurſum tam breues atque in noſtro climate exoriantur, multò ſunt æquabiliores, multò clementiore cœlo vtuntur incolæ. Hæc mihi dicenda fuere de arboribus Americanis.

Cœlũ ſub tropicis clementiſſimum.

Plantarum, herbarúmque facturus mentionem, ab iis exordiar, quas tum fructibus, tum effectis aliis antecellere exiſtimo: ac primùm quidem planta quæ fructum *Ananas* edit, forma iri ſimilis, foliis incuruatis, in ambitu diuiſis, ad aloë accedentibus, eiuſdem cũ carduo maiore formæ, pomum verò melonis mediocris eſt craſſitudine, nucíſque pineæ forma, in nullam reclinatum partem ad cinaræ noſtræ modum creſcit.

Planta foliáque *Ananas*.

Cæterùm *Ananas* illa cùm ad iuſtam peruenerunt maturitatem, colore ſunt aureo cœruleum imitante, odorem Idei rubi fructus edit, adeo vt à nobis in ſyluis aliíſque locis, vbi naſcuntur, errantes ex odore facilè deprehenderentur: ſapore adeo dulci vt à nullis ſalgamis noſtris ſuperẽtur. Itaque optimum eſſe totius Americæ fructum exiſtimo. Ipſe vnum aliquando compreſſi, ex quo cyathum ſucci elicui qui maluatico vino nihilo cedere mihi videbatur: fœminæ verò Americanæ caniſtros iis plenos, quos *Panacons* nuncupant, vnà cum *Pacoos* illis, de quibus paulò antè

Ananas optimus totius Americæ fructus.

antè mentionem feci, aliiſque fructibus ad nos afferabant, quos ſingulos ſingulis pectinibus aut ſpeculis mercabamur.

Inter ea quæ in America naſcuntur ſimplicia vnum eſt quod *Tououpinambaultij* noſtri *Petum* nominant: eodem cum lapatho maiori noſtro modo creſcit, altitudine nonnihil ſuperat foliis ad eo non abſimilibus, quæ tamen propius ad Conſolidam maiorem accedunt. Hæc herba ob inſignem, qua eſt prædita, vim magno apud Barbaros eſt in pretio. Hoc autem modo ea vtuntur: Collectam manipulatim in caſis appendunt, & exſiccāt, dein quatuor aut quinque folia alio ampliori folio inuoluta accendunt, oríque accenſa admouent, fumúmque retrahunt quo, licet naribus, labiiſque perforatis exeat, adeo ſuſtentantur, vt ſi ad bellum proficiſcantur, aut alia vrgeat neceſſitas, eo per triduũ, aut qua triduum alantur. Benzo quoque Noui Orb. hiſt. ait Indos Peruanos peregrè profecturos herbam (quam Coca ipſi appellant) ore clauſam, veluti panchreſtum quoddam pharmacum circumferre: quippe eius præſidio freti integrum diem nullius nec cibi, nec potus egentes iter faciunt. Matthiolus quoque poſt Theophraſtum ſcribit Scythas glyciriſſa cōtentos abſque alio alimētorum præſidio decem, duodecímque dies degere: Quæ *Petum* Barbarorum noſtrorum non malè reſpondent. Ea quoque in alium vtuntur vſum: nam quod è cerebro humores ſuperfluos eliciat,

Petũ admirādę vires.

Fumus *Petũ* quomodo à Barbaris abſorbeatur.

Lib. 3. c. 20.

Fumus *Petum* cerebrũ purgat.

vix vllum ex Barbaris offendas, è cuius collo fasciculus istius herbæ non pendeat, cuius fumum cõtinuò absorbent, etiam cum familiaribus colloquẽtes: fumus verò (vt ante dictum est) per nares, labiáque pertusa exhalat, velut à turibulo: odor verò ille minimè est grauis. Benzonis itaque interpres magno errore credidit, hanc eam esse herbam, quam Mexicani *Tabacco*, Hispaniolę vero insulę incolæ *Cozobba* nominant, cuius odorem acutum, & tetrum, atque adeo Diabolicum esse Benzo affirmat. Mulieres hac herba vtentes nunquam animaduerti cuius quidem rei causam ignoro: assero autem fumũ illum (quem expertus sum) famem non mediocriter depellere.

Lib. 1. cap. 26.

Ceterum Nicotiana, seu Reginæ herba, licet apud nos *Petum* nominetur, tamen ea nõ est de qua iam ago: quin imo duæ istæ plãtę, neque in forma, neque in viribus vllo conueniunt modo. Villæ Rusticæ scriptor Gallicus lib. 2. cap. 79. asserit Nicotianam, quæ à Nicoto, qui primus eam è Lusitania in Galliam trãstulit, è Florida allatam esse, quæ 200000, passuum millibus ab America distat. tota enim torrida Zona inter vtrãque est interiecta. Preterea diligenter in plerisque hortis, quorũ domini vera *Petum* gloriabantur, perquisiui, nec tamen hactenus in Gallia nostra reperi. Ne autem Theuetus (qui non ita pridem Angolismensem suam herbam adeo celebrauit, vt veram esse *Petum* affirmet) credat à me

Nicotiana verum non est *Petum*.

à me quod ſcripſi ignorari, de ea idem quod de Nicotiana iudico: ſiquidem effigies quam de ſua Coſmographia depingendam curauit, plantam referat. Itaque à me illi non conceditur quod ſibi aſſumit, ſe primum omnium veræ *Petum* ſemen in Galliam attuliſſe. Quin credo ob cœli inclementiam ægrè apud nos adoleſcere poſſe.

Braſſicarum quoque illic vidi genus à Barbaris *Caiou-a* nominatũ, quibus nonnunquã ius condiunt, foliis eſt latitudine & forma ad Nenufar accedentibus.

Caiou-a braſſicæ.

Quantum verò ad radices attinet, pręter *Maniot* & *Aypi*, ex quibus, vt dixi cap. 9. Barbaræ mulieres farinam ſuã cõficiunt alias etiã habent, quas *Hetich* appellant: quarũ nõ modò æquè ferax eſt Braſilienſe ſolum, atque Lemouicẽſe, & Sabaudicum eſt raparum, ſed etiam radices ipſæ ſunt craſſitudine amborũ pugnorum, longitudine ſeſquipedales plus minùs. Licèt autẽ primo aſpectu à terra auulſæ vnius generis eſſe videantur, quia tamen inter coquendum aliæ violaceum ceu paſtinacæ, aliæ aureum ceu cotonea mala, aliæ denique album colorem induũt, trium eſſe generum autumo. Vt vt ſit, verè poſſum affirmare has radices præſertim quæ aureo ſunt colore in cineribus coctas piris noſtris vel optimis bonitate non cedere. Earum folia quæ hederæ terreſtris more humi ſerpunt, foliis cucumerum, aut latiſſimorum ſpinaciorum ſimillima, colore tamen differunt, pro-

Hetich radices optimæ & magna copia.

Mira multiplicandarum Hetich radicum ratio.

pius ad vitam albam accedente. Cæterùm quia ſemine carent Barbaræ mulieres quibus eſt curæ radicum iſtarum propagatio, minimo negotio (rem in agricultura inauditam) eas ſerunt minutatim: ſiquidem conciſas inſtar paſtinacarū, quibus in acetariis vtimur, ſerunt: quæ fruſtula non multò poſt totidem gignunt craſſas radices *Hetich*, quot in terrā fuerunt iniecta. Tametſi quia cibarium eſt terræ illius præcipuum, paſſimque peregrinantibus occurrunt, eas etiam ſpōte naſci exiſtimo.

Manobi auellanarum nucū genus ſub terra naſcentium.

Barbaris quoque fructuū genus eſt quod illi *Manobi* vocant, qui ſub terra naſcuntur more tuberum, tenuibúſque filamentis inter ſe deuinciuntur, nucleum auellanę amplitudine & ſapore habent: colore tamen leucopæo, putamine piſi ſiliqua non firmiore. An verò folia, ſeménque proferat hic fructus, quamuis ſæpius eo veſci mihi contigerit, non tamen adeo eſt à me obſeruatum, vt à memoria repetere poſſim.

Matthiolus quarundam auellanarū Indicarū meminit, quæ à Serapione, inquit, Fauſel nominantur, nuci myriſticæ perſimilium, in quodam inuolucro creſcunt Bombycis non abſimili, quæ frequenter inter alia aromata, ex India aduehuntur.

Piper Indicum cornutum.

Præterea illic quoque magna eſt copia Indici piperis nō oblongi (ſicut magno errore meo à Neuſtriis nautis accepto ſuperioribus editionibus ſcripſeram) ſed cornuti à quibuſdam,

dam, (inquit Matthiolus, à quo etiam eſt optimè depictum.) Siliquaſtrum appellat, quòd ſit guſtui acerrimum: foliis, vt idē ait, hortēſi Solano ſimilibus, paulo tamen amplioribus, caule cubiti magnitudine, viridi colore, albicante & geniculato: floribus albicantibus, fructu longo corniculorum inſtar, qui primo exortu vireſcat, maturus verò adeo rufuſcat, ac lęuore quodam ita pelluceat vt corallum referat: & in quo concludatur pumilum ſemen lentium modo compreſſum, vſque adeo acre, præſertim antequam ſit exſiccatum, vt ſiquis manu attrectet, eámq; poſtea ori, aliíve corporis parti admoueat, puſtulæ ſtatim exſurgant, quod & ipſe experimēto didici. Quo fit vt mercatores noſtrates ad tincturam tantùm eo vtantur. Barbari verò noſtri cum ſale, quem conficere optimè norunt, aqua in foſſis ad id reſeruata, piper illud conterūt: compoſitionem illam *Ionquet* appellant qua eo modo, quo nos ſale in cibis vtuntur, non tamen quòd *Ionquet* buccellæ antequam in os ingerāt applicent, buccellam enim ante, poſt verò *Ionquet* ſummis digitis apprehenſum, vt cibo ſaporem addat, ori imponunt.

Ionquet ſal Barbarorum.

Denique creſcit quoque in illis terris fabę genus pollicis craſſitudine, à Barbaris *Commenda-ouaſſou* appellata: piſa quoque alba, & leucopæa, quæ *Commanda-Miri* nuncupant: citrullæ quoque rotundæ nomine *Maurongaus* ſuauiſſimi cibi.

Commenda ouaſſou fabæ amplę. *Commenda miri* piſa minora. *Maurongaus* citrulli.

Hęc ſunt nō quidem quę in vniuerſum de

arboribus,herbis,& fructibusAmericanis dici possunt, sed quæ à me sunt obseruata per annum quo illic vixi.

Arbores, herbæ fructúsque omnes Americani à nostris exceptis tribus differunt.

Denique sicut est à nobis dictum,apud Americanos,quadrupedes, nullas aues, pisces, nulla denique animantia per omnia Europæis nostris respondere: ita nunc assero,quãtum per syluas,& agros errando experiri mihi datum est, nullas esse arbores, aut herbas, nullos denique fructus, qui à nostris nõ sint dissimiles,his tribus exceptis plantis, portulaca,ocymo,& filice, quæ in quibusdam locis nascuntur. Quapropter quotiescunque noui illius Orbis imago ob oculos obuersatur, aërísque temperiem ,animantium multitudinẽ, auium varietatem,arborum & plãtarum elegantiam, fructuum denique bonitatem animo recolo,toties Prophetæ ista Psal. 104. exclamatio mihi in mentem venit.

O quæ vis fuit illa,quæ potestas,
Quæ prudentia multiplex,creandis
Tot rebus,simul,& simul regendis!
Nam quacunque patet globosa tellus,
Vis quoque imperij tui patescit.

Ergo beatos terrę illius incolas prædico, si verum istorum omnium Conditorem agnoscerent.Atqui ad res describẽdas me accingo,quæ plus æquo, quàm sint ab eo alieni,demonstrant.

CAP.

CAP. XIIII.

De bello, prælijs, fortitudine, & armis Barbarorum.

QVANQVAM *Tououpinambaultij Toupinenquin* noſtri bellum immortale gerunt aduerſus varias finitimas gentes pro more reliquorum omnium Barbarorum, quartam illam Orbis partem incolentium, quæ à Magellanico freto (quod ad 50. grad. vltra Antarcticũ Polum iacet, vſque ad terras Nouas, quarum ſitus eſt ad 60. grad. citra eundem Polum) latitudine citra quadragies centena paſſuum millia occupat: proximi tamen & infenſiſſimi eorum hoſtes ij ſunt qui *Margaiates* appellantur, quíſque eorũ ſunt ſocij Luſitani, quos *Peros* appellant. Sicut etiam *Margaiates*, non modò *Tououpinambaultijs*, ſed etiam Gallis eorum ſociis ſunt capitales hoſtes. Non tamen quòd Barbari iſti de finibus propagandis bello certent (plures enim agros quàm opus ſit occupant) aut de diuitiis ex ſpoliis, redemptionibus, armíſque deuictorum parandis, cogitẽt. Hæc, inquam, eos minimè mouent. Prout enim fatentur omnes, non alio permouentur affectu, quàm vt parentum, amicorúm[illegible] e iam olim captorum, & ab ho-

Americæ amplitudo.

Americanis q[illegible] cauſa belli.

ſtibus eo qui à nobis dicetur modo, deuoratorum, mortem quàm ſeueriſſimè vlciſcantur. Cui ſtudio tam pertinaciter adhærent, vt quiſquis eorum in hoſtium manus inciderit, eandem pœnam neceſſariò expectet, nimirùm fore vt mactetur, deinde deuoretur. Præterea, vbi primum inter quoſdam ex iſtis populis bellum eſt indictum, in eo conſentientibus omnibus hoſtem cui illata ſit iniuria in perpetuum de ea vlciſcenda cogitaturum, ac proinde ignauiæ tribuẽdum eſſe, ſi in ſuam redactum poteſtatem impunè dimittant: eorum inimicitiæ adeo ſunt inueteratæ, vt in gratiam inter ſe reduci nunquam poſſint. Meritò itaque dicemus Machiauelem, eiúſque diſcipulos (quibus hodie magno ſuo malo ſcatet Gallia) Barbaras iſtorum actiones imitari. Cùm enim ἄθεοι iſti contra doctrinam Chriſtianam & docent, & ad praxim reuocant, recenti gratia veteres iniurias non eſſe abolendas: hoc eſt, homines Dæmonum ſimiles alios aliis parcere nunquam debere, annon ſatis declarant animos ſuos tygribus eſſe ferociores?

Barbari in gratiã cũ inimicis reduci non poſſunt.

Ratio autem qua *Tououpinambaultij* noſtri ad bellum profecturi conueniunt, hæc eſt, quantum obſeruare mihi licuit. Etſi Reges aut principes inter ſe nullos habent, ſed pares ſunt fermè dignitate, tamen hoc illis à natura inditum eſt (quod etiam à Lacedæmoniis exactiſſimè olim eſt obſeruatum) vt ſeniores, quos *Peoreru picheh* nominant, pro-

pter

pter rerum experientiam ſuſpiciant & obſeruent: in ſingulis itaque pagis non aſpernandum illis præſtatur obſequium. Oblata hi occaſione, vel inambulantes, aut lectis ſuis penſilibus xylinis inſidentes, cæteros his aut ſimilibus hortantur verbis,

Braſilienſes ſenioribus obſequiũ præſtant.

Ergóne (inquiunt alternatim loquentes, ſermone minimè interrupto) maiores noſtri, qui tot hoſtes non modò debellarũt, ſed etiã deuicerunt, & mactarunt, & deuorarunt, exẽplo nobis fuere vt perpetuò domi deliteſcamus? Gentémne noſtram, quæ tanto olim cęteris omnibus fuit terrori, vt eius conſpectũ ferre minimè potuerint, magno noſtro cum dedecore, tanto affici probro patiemur, vt in laribus ipſis noſtris ab hoſtibus bello petamur? Noſtráne ignauia committemus, vt *Margaiates* & *Peros-engaipa* (hoc eſt illę gentes nequam,) primi in nos impetum faciant? Tum orator ille manibus humeros, & nates plaudens cum exclamatione hæc addit verba, *Erima, Erima, Tououpinambaults, Conomiouaſſou Tan, Tan*, &c. hoc eſt, Nequaquam, populares mei, adoleſcẽtes fortiſſimi, ita nobis eſt agendum: quin potiùs ad certamẽ nos inſtruamus, mortique & mactationi nos deuoueamus, aut noſtros vlciſcamur.

Seniorum Americ. oratio.

His ergo ſeniorum orationibus, quæ aliquando in ſex horas producuntur, auditores, qui attentiſſimè audiunt, adeo vt ne ſyllaba quidem illis excidat, & animo & viribus aucti, in ſingulis pagis ſe inuicem compellãtes,

ad præfixum locum quàm celerrimè poſſun
magno numero conueniant. Verùm ant equ
Tououpinambaultios noſtros ad prælium de
ducamus, quibus ſint armis inſtructi dicen
dum eſt.

Tacapé genº clauę ligneæ.

Ac primùm quidem *Tacapes* hoc eſt cla
uas, aut enſes rubro aliâs nigro ligno fabrica
tos habent: longitudine vulgò ſunt quinqu
aut ſex pedum, extrema parte orbiculatę, au
ouali figura, latitudine pedali, craſſitudine d
giti pollicis in media ſui parte, orę verò com
modiſſimè exacuatæ, ſiquidem ex grauiſſim
ligno, quale eſt buxum, ſunt confectæ: ſecuri
acutiſſimæ aciei perparum cedunt. Adeo v
facilè credam vnicum *Tououpinambaultium*
iſtiuſmodi claua armatum, ac furore percitũ
multum negotii duobus gladiatoribus noſtra
tibus exhibere poſſe.

O... arcus.

Arcus inſuper habent quos *Orapats* nomi-
nant, ex eodem ligni genere rubro nimirum
& atro fabricatos: ij longitudine & craſſitu-
dine noſtros adeo ſuperant, vt eos nec len-
tare, nec adducere vllus noſtrûm poſſit: quin
potiùs imò totis viribus puerorum decem
annorum arcubus curuandis opus eſſe. Pro

Tocon herba arcubus neruorum loco.
Sagittarũ lõgitudo.

neruis ea eſt illis herba quam *Tocon* vocant,
quæ licet admodum ſit exilis, tanta tamen eſt
firmitudine vt equi vires ferat. Sagittæ ſunt
vlnali longitudine: tribus iuncturis perficiun
tur: media pars ex arundine, reliquæ verò du
è ligno ſunt nigro: ſegmina porrò illa adeo
concinnè quibuſdam arborum corticibus co

ligan-

ligantur, vt firmiùs agglutinari nequeant. Plumulas duas illis applicant pedali longitudine, quas filo xylino: quòd gluten apud eos non sit in vsu, constringunt: ossa præacuta mucronibus aptant: aliquando arundinis siccæ frustulum palmi longitudine in modum scalpri dolatum: nonnunquam raiæ piscis caudæ extremum, quæ vt alibi dixi maximè est venenata. Ex quo verò Galli & Lusitani in eas regiones commeant, recepto eorum more Barbari sagittas ferreis spiculis, aut saltem clauis acutioribus firmare assueuerunt.

Americani sagittarij peritissimi.

Iam dictum est quæ sit illorum in versandis clauis illis suis dexteritas: ad arcus verò quod attinet, confido fore vt ij omnes à quibus sunt conspecti Barbari, confirment eos nudis brachiis tanta celeritate, támque certo ictu iaculari, vt (quod bona Anglorum pace, qui tamen peritissimi sagittarij habentur, dictum sit) sagittis suis manui qua arcum tenent impositis, duodecim ab illis citiùs quàm ab Angliis sex fuerint emissæ.

Parmę coriaceæ.

Postremò parmas habent ex tergo *Tapiroussou*, cuius iam antè memini, latas, planas, & rotũdas ad modum fundi tympani germanici. His inter præliandum non obteguntur ad eum quo solent milites nostri modum, sed iis dimicando sagittas hostium excipiunt. Hæc verò sunt vniuersa Americanorum arma: neque enim alijs armaturis corpus suum obtegunt: quin contra (exceptis plumaceis pileis, armillis, breuibúsque aliis indumentis

quibus corpus suum, vt ante dictum est, exornant) si vel indusio essent induti ad prœliũ profecturi, confestim illud exuerent, veriti ne illo intricarentur.

Ferreos enses Barbari parui faciunt.

Vt autem sermoni de armis Barbarorum finem imponam, illi siquando à nobis enses ferreos accipiebant sicut *Maussaca* cuidam ex meis vnum dono dedi, statim vaginas procul abiiciebant: idem quoq; acceptis cultris factitabant, eorum fulgore delectabantur, aut ad abscindendos arborum ramos vtiliores, quàm ad pugnam censebãt: ac sanè, vt à me dictum est, optimè suis versandis eos esse exercitatos, commodiùs illis vtuntur.

Cæterùm tormenta aliquot minimi pretij eò deuexeramus: hæc Barbari terni singula displodebant, vnus manibus impositum ad destinatum intentabat, alter collimabat, tertius ignem admouebat. Tamen quia cannam ad os vsque complebant, nisi carbo contusus pulueri tormentario à nobis fuisset admixtus, magno eorum periculo tormentum fuisset disruptum. Ad hæc nolo prætermittere Barbaros, cùm primùm tormentorum maiorum, & minorum strepitum audirent, quodammodo territos fuisse, præsertim cùm nõnullos ex nostris auem ab arbore deiicientes videbant, ferámve humi sternentes plumbea glande, quam ipsi non cernebant, tamen arte cognita, hæc reformidare desierunt: dicebant enim se celeriùs sagittas sex iaculari posse, quàm quis tormentum semel aptaret. Si quis

autem

autem abiiciat tormentum longè altiùs penetrare: Respondeo nec thoraces bucalinos, nec amis consertos sagitrę à Barbaris emissæ impetum ferre, quin eâ æquè ac glande tormentularia traiiciantur. Veruntamen quia commodiori loco hæc à nobis dici poterũt, cùm ad barbarorum prælia ventum erit, ne confusè agam, iam Barbarorum copias ad præliandum educo.

Ea qua dictum est ratione coacti ad octo, aut decem capitum millia, mulieribus non paucis, non ad præliandum quidem, sed ad impedimenta, & cõmeatus comportandos, in castra cõuenientibus, ex senioribus ij qui hostes maximo numero interfecerunt, & deuorarunt, copijs præficiuntur: quibus ducibus itineri se accingunt. Quamuis autem incedãt nullo ordine, tamen cùm iter faciunt conglobati, fortissimis primam aciem occupantibus, mirum est quàm commodè vniuersa illa multitudo, sine tribuno & mensore se recipiat, ita vt signo dato celerrimè in aciem conueniãt.

Seniores Barbari agminis duces.

Barbari sine ordine, inconfusè tamen incedunt.

Cæterùm nonnulli sunt qui cornibus quæ ipsi *Inubia* vocant, sesquiulnæ longitudine, & crassitudine hastæ nostratis ab inferiori parte palmi latitudine, instar buccinæ milites cient, tum patriâ excedentes, tum etiam castra mouentes. Nonnullis etiam fistulas ex ossibus hostium olim mactatorum & deuoratorum gerunt, quibus assiduè in itinere canunt, vt sociorum animos excitent, studiúmque hostes consimiliter mactandi, augeant.

Inubia cornua ingetia.

Fistulę ex ossibus humanis.

Si verò, quod frequenter contingit, nauigio expeditionem in hostes facere placeat, litora legunt, nec alto mari se committunt. In suis verò se lintribus disponunt, eos *Ygat* nominant, singuli constãt ex singularum arborum cortice detracto in hunc vsum destinato, tantæ tamen amplitudinis vt singuli quinquagena capiant hominum capita. Itaque stantes pro more suo nauigium agũt remo vtrinque plano, quem medium comprehendunt. Hi porrò lintres cùm plani sint, minimo negotio aguntur. Eorum tamen in alto mari, vel oborta tempestate vsus est nullus. Sed in summa malacia Barbaris nostris ad militiam proficiscentibus, classem sexaginta huiusmodi lintribus constantem conspicias. Hi tam celeri æquor percurrunt motu, vt mox oculos fugiãt. Atque hi sunt exercitus *Toupinenquin* terra maríque.

Ygat linter corticeus.

Hoc instructi modo quinquaginta nonnunquã passuum millia in hostium fines progrediuntur. Primóque hoc vtuntnr stratagemate, fortissimi quique cæteros cum mulieribus, & impedimentis post se relinquunt itinere vnius, aut duorum dierum: summo cum silentio accedunt, syluásq; occupant insidias hostibus instruẽtes, quibus adeo sunt intẽti vt non rarò per 24. horas illic delitescant. Hostes verò si ex improuiso fuerint adorti, quot quot viri, fœminæ, ac pueri occurrunt, non modò deducuntur, sed etiam mactantur ab hostibus in patriam reducibus, frustatímque

Primũ Barbarorum stratagema.

Bou-

Boucan imponuntur, ac tandem deuorantur. Atque eò faciliùs incautos opprimunt, quòd pagi (nam vrbes nullæ ſunt illis) mœnibus non cinguntur, caſarúmque,(quæ tamen 80. aut 100 paſſus in longitudinem protenduntur) fores nullæ ſunt earum verò loco palmarum ramos aut herbæ *Pindo* caulẽ ad ianuas ſuas apponunt. Quoſdam tamen pagos, qui hoſtibus ſunt contermini, iam palis ex palmis longitudine 6. pedum munire & circunuallare didicerunt, prẹterea ſtipitibus ligneis præacutis muricum loco aditus muniunt: itaque ſi hoſtes noctu aggredi pagos illos voluerint, quod illis eſt familiare, pagani tum in eos tuta via irrumpunt, quo fit vt ſiue pugnam, ſiue fugam capeſſant, nuſquam euadant, quin aliqui pedum vulneratorum dolore proſternantur, qui confeſtim à paganis torrentur & eduntur.

Si verò aperto Marte pugnare contendunt copiis vtrinque eductis ,vix credibile eſt quàm atrox quámque horrendum ſit prælium: cuius ipſe ſpectator fui, ac proinde meritò de eo referre poſſum. Ego cum Gallo altero, paulò curioſiùs (magno noſtro periculo, ſi enim à *Margaiatibus* capti aut læſi fuiſſemus, deuorationi fuiſſemus deuoti) Barbaros noſtros in militiam euntes comitari volui. Hi numero 4000. capita cum hoſtibus ad littus decertarunt, tãta ferocitate vt vel rabidos & furioſos quoſque ſuperarent.

Tououpinambaultij, cùm primùm hostes conspexêre, in tantos tamque editos vlulatus perruperunt, vt qui lupos hîc venantur, cum illis vlulatibus comparandos minimè edant: clamor verò aërem adeo feriebat, vt tonitru vix exaudiri tum potuisset. Accedentes verò propiùs clamores ingeminabant, cornibúsque concrepabant, fistulis denique canebant minas alij in alios intentabant, ossáque mortuorum hostium ostentabant: dentes item quorum nonnulli filo traiectos vltra vlnas duas collo appensos gerebant: denique gestibus horrorem spectantibus incutiebant. Ad manus autem vbi ventum est, longè in peius res ruere: tanta enim sagittarum nubes est vtrinque emissa, vt muscas volantes multitudine imitarentur. Saucij verò non pauci strenuè tela à corpore auellebant, quæ rabidorum more canum mordebant nec tamen propterea prælio abstinebant. Hæc enim gens adeo fera est, & truculenta, vt tantisper dum virium vel tantillum restat, continuo dimicent fugámque nunquam capessant. Quod à natura illis inditum esse reor. Etenim à Nobili quodam accepi viro Gallo, qui militiam colit, bellorum ciuilium nostrorum tempore, in legionibus Gallicis Americanos milites duos fuisse, qui strenuè & fortiter se gerebant: quapropter à Centurionibus plurimi fiebant. Quod tamen in eam accipi partem nolim

Ad prçliũ venientiũ Barbarorum vlulatus.

Ossiũ mactatorum ostẽtatio.

Barbari ferocissimi.

Tououpinambaultiorum cum Margaiatibus certamen.



Pictura hæc post paginam 178. est reponenda.

lim quasi affirmarem nullos in illis reperiri posse qui ignauiam Asianorum, mollitiem Europæorum aut Asiorum imitarentur: assidua enim exercitatio militẽ strenuum facit. Vtut sit, vbi manus cum hostibus *Tououpinambaultij* conferre ceperunt, clauis illis suis vtrinque acerrimè ferierunt, adeo vt obuium quemque non modò humi sternerent (non secus ac lanij boues) sed etiam penitus mactarent.

Vtrùm generosis insideant equis annon, à me non quæritur: Lectorem enim memorem esse credo eorum quæ superius à me dicta sunt, equis aliisque iumentis Barbaros penitus carere, ac proinde pedites omnes incedere. Ego verò qui aliâs sæpe equũ mihi optarem quem Barbaris conspiciendum præberem, tum sanè optimum cui insiderẽ, præsentíque me periculo liberarem, votis omnibus exoptabam: Quippe mihi fit verisimile Barbaros si cataphractum militem nostratem equo generoso insidentem, ignémque hinc è tormentulo erumpentem, illinc verò equum resilientẽ conspicerent, *Aignan*, hoc est cacodæmonem adesse credituros. Tametsi à quodam memoriæ est proditum, magnum illum Attabalipam Peruensium Regem, quamuis equum antè conspexisset nullum, tanta fuisse animi magnitudine, vt Pisarro (qui cùm vt sese ostentaret, tum vt Indos Attabalipam stipantes perterreface-

Barbari equos si viderẽt quid de illis sentirent.

Hist. Gen. Ind. lib. 4. cap. 113.

ret continuò equum ſuum glomerato greſſu ſolo inſultantem agitabat,) propius ad Regem accedente, ſpumaque ab equi ore in regis vultum deſiliente,minimè tamen commotum fuiſſe, quin morte plecti eos imperaſſe qui equi horrore ſtupefacti terga vertiſſent. Quæ res(inquit hiſtoriographus) Barbaris fuit terrori, noſtris verò admirationi.

Iam verò, vt narrationis ſeriem repetam,ſi quis quærat quid tu,coméſque tuus tantiſper dum prælium committebatur, annon vnà cū Barbaris dimicabatis? Ingenuè fateor nos, qui adeò imprudenter Barbaros eſſemus comitati, imprudentiam illam altera cumulare noluiſſe: ſed paullū à conflictu remotos, ſpectaculo illo contentos fuiſſe. Teſtor intereà me, qui non ſemel tum equitum, tum peditum copias ingentes in aciem inſtructas, hîc conſpexi, tanta nunquam voluptate videndis peditum legionibus armis fulgentibus, quanta tum pugnantibus iſtis *Tououpinambaultijs* perfuſum fuiſſe. Præterquàm enim quòd ſibilantes, ſaltantes,& celeriter admodum & dextrè ſeſe in orbem glomerantes, iucundiſſimè ſpectabantur, accedebat inſuper telorum nubes denſiſſima, quorum pennæ rubræ, cæruleæ,virides,roſeę,aliorúmque id genus colorum,ſoli obiectæ radiabant,veſtes item, pilei, armillæ,cęteráque ex plumis compacta ornamenta,quæ mirum in modum ſpectantium oculos fulgore feriebant.

Corpora teláq; Barbarorum plumis ornata.

Hoc prælio trium horarum ſpatio confecto

cto multis vtrinque cæsis & sauciis, *Tououpinambaulty* nostri victoriam reportarunt, captiuósque, cùm viros tum fœminas plus minùs triginta ad suos deduxerunt. Nos verò qui officium aliud præstiteramus nullum, nisi quòd strictis gladiis tormentulisque vt Barbaris animos adderemus, nonnunquàm displosis, præliantes spectaueramus, (quod maximè gratum sit illis si cum ipsis ad bellum proficiscantur hospites) tantam de nobis cõcitauimus opinionem, vt ab eo tempore seniores peculiari nos beneuolentia & amore sint complexi.

Captiui vincti.

Barbarorum obvi ctoriã reportatam plausus.

Captiuis itaque in medio agmine collocatis nonnullisque ex robustioribus funibus vinctis, ad Ganabaræ sinum tendimus, à quo passus circiter XXIV .M. aberamus. Vndique verò ex fœderatis permulti saltantes, tripudiantes, & plaudentes nobis gratulatum obuiam veniebant. Denique cùm ad locum insulæ nostræ oppositum peruenimus, ego coméſque meus scapham conscendimus, ad castellúmqne nostrum reuertimur, Barbari verò in continente pagos suos singuli repetiere. Paucis post diebus Barbari quidã ex iis qui captiuos apud se habebant, ad castellum nostrum a ccessere, quos per interpretes rogamus vt mancipia aliquod Villagagnoni vendant. Sic captiuorum pars magna ex Barbarorum faucibus est erepta: ægrè tamen, & inuitis Barbaris. Quod mihi non multo post est apertissimè indicatum. Mulierem quãdã

Captiui à Gallis empti.

cum puerulo ſuo vix dum bimulo emebam, pretium erant merces quædam, quarum æſtimatio ad tres libellas Francicas accedebat, venditor autẽ meus ita conquerebatur, Quid in poſterũ futurum ſit neſcio, ex quo autem *Paycolas* (ſic Villagagnonem nominabant) huc appulit, vix dimidiam captiuorum noſtrorum partem comedimus. Puerulũ illum mihi reſeruare vehementer cupiebam, ſed Villagagno, reſtitutis mercibus meis & matrem & filium vendicauit. Matri nonnunquam dicebam fore vt cùm mare tranſmitterem, puerulum huc tranſportarem. Illa verò (adeo vindictæ repoſcendæ animis gentis illius hæret cupido) reſpondebat malle ſe vt à *Tououpinambaultijs* voraretur, quam vt in tã remotas terras deportaretur: ſperare ſe vt grandior factus ad populares ſuos quoquo modo elapſus ſe reciperet, ac cognatorum ſuorum mortem vlciſceretur: Nihilominus tamen (vt antè eſt à me dictum) è quadraginta aut quinquaginta mancipiis quibus ad Caſtelli noſtri munitionem vtebamur, decem pueros ſelegimus quos nauibus impoſitos ad Henricum ſecundum tum Galliarum regem miſimus.

CAP

CAP. XV.

Captiuos suos quo tractent modo Barbari, quibúsque cæremoniis in iisdem mactandis & edendis vtantur: quibus per occasionem immanissimæ crudelitatis alia exempla adiecta sunt.

NVNC superest vt dicamus quonam modo captiui à victoribus excipiantur. Vbi primùm in victorum fines sunt deducti, non modò exquisitissimis aluntur cibis, sed etiam vxores viris dantur, (non autem viri fœminis) Immò non dubitabit is qui captiuũ apud se habet, filiam suam aut sororem in vxorem illi dare, quæ viro diligentissimè ministrabit. Cæterùm cùm mactationis tempus non sit præfixum, sed modò citiùs, modò tardiùs expediãtur prout fuerint vtiles, viri quidem aucupio, venationi, & piscatui: fœminæ verò hortis colendis, aut ostreis colligendis: omnes tandem suûm more saginatos mactant, vorántque his ritibus.

Captiui quomodo excipiantur ab hostibus.

Primùm finitimis omnibus res denuntiatur, tum virorum, fœminarum, puerorum fit concursus ad locum vbi est futura mactatio. Ibi matutinum tempus potando transigunt. Inter quos captiuus ille, quem non latet eam in se cudi fabam, plumis ornatus, non modò

Ad captiuum mactandũ omniũ conuentus.

mortem non horret: quin immò ſaltando, bibendo, ridendo reliquos ſuperat. At poſtquã per ſex aut ſeptẽ horas vnà cum cæteris perbacchatus fuerit, duo tréſve ex robuſtiſſimis eum arreptum funibus xylinis, aut ex arboris illius cortice (quam *Yuire* vocant, quęque tiliæ eſt perſimilis) medium, minimè renuentem quamuis vtróque ſit brachio ſoluto, cõſtringũt: pérque pagum quaſi in triumphum deducũt. At verò, num putas propterea eum caput demittere vt ſolent hîc ſontes? Minimè verò id quidem. Quin contrà incredibili audacia res ſuas geſtas apud eos à quibus conſtrictus detinetur enumerat, his verbis: Ego, ego ipſe fortiſſimus, ſic veſtros olim cognatos vinxi, tum ſe laudibus magis ac magis euehens, modò in hanc, modò in illam conuerſus partem, alium quidem ita compellat, Heus tu, patrem tuum ego voraui, alium verò ô bone, fratres tuos mactaui & *Boucanaui*. Tot denique viros, fœminas, puerulóſque, ex vobis *Tououpinambaultijs* bello à me captos deuoraui vt numerum aſſequi non poſſim. Cæterùm ne ignorate populares meos *Margaiates* tot in poſterum mactaturos eſſe quot è vobis intercipere poterunt: atque ita mortem vlciſcantur meam.

Captiuus vinctus per vicum circumducitur.

Tandem, poſtquam omnium oculis ſatis ſupérque fuit expoſitus, duo illi lictores à quibus cõſtrictus tenetur, circiter tres vlnas ab eo recedunt, funẽ tamen pari longitudine firmiſſimè vterque contrahit: adeo vt cap-

tiuus

tiuus gradũ pręcisè ſiſtere cogatur, progredi autem aut regredi minimè poſſit. Vincto lapides aut teſtæ confractæ adferuntur. Tum lictores parmis ex tergo *Tapiroussou* (cuius antè memini,) ſeſe obtegunt, captiuũque his compellant verbis: Mortem tuam ante obitum vlciſcere. Ille confeſtim lapides in eos ſummo impetu contorquet qui ſe circumſtãt quorum numerus plerumque ad quatuor millia accedit. Ex his minimè eſt quærendum quàm multi vulnerẽtur. Equidẽ in vico quodam quem *Saricoy* appellant vidi captiuum eiuſmodi tanto impetu lapide mulieris crus pertigiſſe, vt confractum illud eſſe crederim. Porro lapidibus, ac ceſpitibus, quos potuit colligere abſumptis, prodit is qui mactationi ſe accingit, quíque per totum diem latuerat, clauam ligneam plumis decoram manibus gerens, pileo quoque ac cæteris ornamẽtis plumeis ornatus: atque ad captiuum accedit, eúmque his compellat verbis. Annon ex *Margaiatũ* es gente nobis infenſiſſima? Annon tu ipſe ex noſtris amicis & cognatis cõplures mactaſti, ac deuoraſti? Cui captiuus, animo quàm antea longè præſentiore, ſua ſic reſpondet lingua, (*Margaiates* enim à *Tououpinambaultijs* ſermone non ſunt diſſoni,) *Pa, che tan tan aiouca atoupanè*. hoc eſt, vtique ſũ fortiſſimus, atque ex veſtris quàm plurimos mactaui & deuoraui.

Captiuus pręcisè re uinct. mortem immi nentem vlciſcitur.

Mactatoris cum captiuo colloquium.



Deinde, quo magis hostes suos vrat, vtraque manu capiti imposita, in hæc erumpit verba: O quam strenuè in eo me gessi! O quàm gnauiter vestros bello lacessiui, cepique, quos penè innumeros voraui: aliáque id genus multa subiungit. Mactator verò addit, Idcircò tu qui in nostra es potestate, mox à me mactaberis, *Boucanóque* assatus à nobis voraberis. Quid tum? (inquit ille, ne fractiori quidẽ animo pro sua gẽte mactationẽ subire paratus, ac Regulus ille quōdam pro Rep. Romana mortem oppetijt) mei quoque cognati mortem vlciscentur meam. Ad hæc, vt pateat istos mortem (quam tamẽ mirum in modum reformidant) prorsus cõtemnere, quòd beati se credant, publico illo & solenni supplicio, exemplo rem cõfirmabo. Fortè in pago quodam Insulæ maioris, quam *Piraui-iou* nuncupant, diuerti, mulierémque offendi mox isto supplicij genere interituram, ad hanc accedo propiùs, moneo vt se *Toupan* cõmendet (nam ad illius captum sermo erat accommodãdus. *Toupan* verò non Deum, sed tonitru sonat,) atque ad eum, prout à me docebatur, preces conciperet. Illa verò nutato capite me deridens respondit, Quid verò mihi es daturus si id quod vis exequar? Tum ego, Miserrima muliercula, mox rerum omnium istarũ vsus tibi nullus erit: Itaque de anima tua quã immortalem esse credis (quod faciũt Barbari omnes, vt mox sequenti capite dicemus) seriò cogitato. Illa verò rursum me irridens, est

Mira captiui confidẽtia, mortẽ contemnẽtis.

Barbara mulier mortẽ contemnit.

mactata.

Sed vt ad rem redeam variis disceptationibus vltrò citróque habitis, nonnũquam inter colloquendum, mactator qui præsto adest, claua lignea vtraque manu in altum sublata, orbiculo extremo, captiui caput totis ferit viribus, adeo vt paucissimo sanguine effuso, altero ictu non sit opus. Hinc prouerbium illorum, quod iam apud Gallos nostros erat in vsu, Confringam tibi caput, pro eo quod solent altercantes milites aduersario minitari his verbis, Ego te confodiam.

Captiuus vno ictu mactatur.

Barbarorũ prouerbiũ à Gallis vsurpatum.

Captiuo in hunc modum mactato, si coniugatus erat, (vxores enim nonnunquam illis dari diximus) vxor illius cadaueri adhærens, aliquantulum luget, aliquantulum inquam, nã Crocodilum imitatur, quem ferunt, antequam hominis à se necati cadauer deuoret, lachrymas emittere solitum. Non absimili modo illa postquam lacrymis extortis luctum simulauit, viri sui carnibus omnium prima nisi quis anteuertat vescitur. His ita gestis reliquæ mulieres, præsertim verò anus, quæ cùm sint humanarum carnium appetentiores, iuniores continuò eos à quibus captiui detinentur hortari solent vt confestim morti addicant: aquam feruentem admouentes ad cadauer accedunt, quod adeo fricant, lauant & calida perfundunt, vt cute sublata pari sit cum nefrendibus assandis candore.

Luctũ simulat vxor captiui mactati.

Captiui cadauer nõ secus ac nefrẽs calida perfũditur.

Deinde captiui dominus assumptis secum quanto

quanto numero visum fuerit sociis, cadauer diuidit, ac tãta celeritate frustatim discerpit, vt lanius apud nos vix reperiatur vllus qui veruecem celeriùs in frusta secare possit. His accedit quod prout venatores, hîc cerui capti viscera canibus venaticis porrigunt, Barbari consimiliter hostium suorum mactatorũ sanguine liberos illinunt suos vt ad ferociam crudelitatémque animos illis addant.

Cadauer captiui incredibili celeritate in frusta secatur.

Hæc porrò immanis crudelitas, apud Barbaros frequentissima, per se est quidem abominanda. Atqui portentosius id esse videtur quod patratum à Iudęis fuisse legimus, (quos tamen humanitate cæteras gentes antecellere par erat, prohibito à Deo sanguinis esu) Illi enim tumultibus concitandis, vt tradunt historiæ, deditissimi, Traiani temporibus adeo horrendas seditiones excitarunt, eóque crudelitatis & immanitatis processerunt, vt cęsis quadraginta hominum millibus in Ægypto, Cyrene, & Cypro, eorum carnibus vesci, sanguinéque vultum oblinire suum sustinuerint. Quin multos à vertice transfixere medios, eorúmque pellibus induti immanissimam præ se ferentes rabiem obambulauere. Quæ historia si nõ absoluat, saltem extenuet Americanorum crudelitatem. Cæterùm ex quo Christiani ad eos accessere cum mactatorum corpora, tum animantia omnia, reliquósque cibos cultris secant. Antea verò, quantum à senioribus accepi, lapidibus præacutis ad eum vsum accommodatis vtebantur.

Barbarorũ pueri cur hostium sanguine illinantur.

Iudęorum immanis crudelitas.

Lapides cultrorum vsũ Americanis olim præbebant.

Captiui carnes *Boucano* imposita.

Singula porrò cadaueris frusta, atque adeò ipsa viscera abluta & expurgata *Boucano* imponuntur. Hæc tantisper dum coquuntur, anus continuò *Boucano* adhærent, mirum enim in modum carnes humanas appetunt, adipémque à *Boucani* baculis diffluentem excipiunt. Adeo eorum sapit palato vt continuò adolescentes ad capiendos hostes hortentur, qui cibum eiusmodi suppeditent. Digitos quoque suos adipe illo consperfos lingentes, conclamant suum *Yguatou*, quod sonat, Bonus est. Habes, Lector, quantum obseruando assequi potui, qua ratione Barbari Americani captiuos suos assant, more nimirum penitus nobis ignoto, nimirum *Boucanando*.

Barbaræ anus adipem difflu entem lingunt.

At verò quoniam capite 10. de *Yapiro usson* agens, *Boucani* formam fusè descripsi, ne tautologiâ laborare videar, ad locum illum Lectores remitto. Intereà verò corũ error à me refutabitur qui suis chartis Barbaros nostros carnem humanam verubus perinde ac nos armos veruecinos assantes depinxerunt, duos etiam pręgrandibus cultris ferreis carnes dissectas ad speciem suspensas exponere sunt commenti, prout hîc bubula venalis exponitur. Sed ista tam vera, quàm ea quæ fabulosè de Panurgo Rabelesius refert, quòd lardo transfixus & semiassatus tandem euaserit, arguunt chartarum illarũ authores crassissimæ ignorantiæ. Hæc vt confirmem addo: Brasilienses non modò à nobis differre assandi modo

Chartarũ Cosmographicarum error.

do, ſed etiam noſtrum morem illis planè fuiſſe incognitum, tum etiam cum apud illos degebamus. Etenim ego & ſodalis quidã meus in vico quodam Indicam Gallinam cum nõnullis alijs volatilibus veru ligneo impoſitis noſtro more ad ignem verſantes aſſabamus. Quod factum Barbari in ludibria vertebant, nec priùs adducti ſunt vt crederent carnes quæ continuò agitarentur percoqui poſſe, quàm ipſi periculum fecere. Ergo (vt vnde digreſſus ſum eò redeam) vnius aut plurium captiuorum carnibus (duos ſiquidem aut tres nonnunquam vno die mactant) in eum modum aſſatis, turba illa vniuerſa quæ mactationi interfuit *Boucano* circumit exultans, membráque hoſtium torrentia toruis intuetur oculis, deinde quantumuis multi particulam ſinguli arripiunt: non tamen cibi cauſa, (quod ſuſpicari nõ immeritò quis poſſet) iſthæc perpetrant: quamuis enim ſine controuerſia carnes humanas ſapore commendent, vltionis tamen potiùs iis edendis quàm victus rationem habent: anus excipio carnium illarum, vt dixi, auidiſſimas. Huc verò tendũt, vt mortuos ad oſſa vſque corrodentes ſuperſtitibus metum incutiant. Quippe, quò animos ſuos truculentiſſimos & ſæuiſſimos expleãt, nulla eſt cadauerum illorum particula, ab extremis articulis ad naſum vſque aures & verticem, quæ (excepto cerebro) ab illis non exedatur. Ptolemæi itaque Lathuri Regis Ægypti barbaries eò fuit immanior, quòd licet

Barbari noſtrũ aſſandi morem ludibrio habent.

Barbari ſinguli captiui carniũ fruſtum arripiunt.

humaniore est disciplina excultus, ad tantam sit delapsus crudelitatem, vt cæsis xxx. Iudęorum millibus captiuos cęsorũ carnibus vesci adegerit. Cæterùm *Tououpinambaultij* nostri in singulis pagis aceruatim mactatorum caluarias diligenter asseruant, (prout apud nos in cœmiterijs solent) Gallis verò ad eos commeantibus fusissime rerum suarum gestarum præconium persequuntur, aceruósque illos quasi trophæa quædam, fortitudinísque suæ monumenta ostentant. Præterea grandiora crurum & brachiorum ossa non negligenter recondunt, fistulis (vti dictum est) conficiendis: dentes quoque auulso filo traiiciunt, & circa collum obuolutos gestant. Gen. Ind. Hist. scriptor de Insulæ *Zamban* malis agens, refert eos hostium ab se mactatorum capita ædium sacrarum valuis affigere solitos: dentésque collo appẽsos ad ostẽtationẽ gestare.

Caluarum acerui à Barbaris cur asseruentur.

Lib. 2. c. 71.

Mactatores verò isti summo illud tribuũt decori: patrato enim egregio illo facinore, secedunt pectúsque, brachia, crura, suras & reliquas corporis partes incîdunt, incisurásque vt perpetuo cuti inhęreant vnguẽto nescio quo illinunt, atróque puluere inspergunt, quem nulla temporis diuturnitas delere potest. Creduntur autem eo plures mactasse hostes quo pluribus scatent incisuris, ac proinde fortissimi cẽsentur. Quæ vt faciliùs à quibusuis percipiantur sequenti pictura expressimus. Alterum quoque Barbarum sagittam arcu iaculantem adiunximus.



Denique vt tandem horrendæ isti tragœdiæ finem imponamus, si fortè contingat vt mulieres quæ captiuis nupserant grauidę ex illis sint factæ, Barbari (dictu horrendum, visu verò maximè stupendum) liberos nonnunquam recèns natos, raró paulò adultiores vorant, hanc autem causantur rationem, pueros illos ex hostium semine progenitos esse. Barbari verò hostes suos quibuscum continenter bellum gerunt funditus aboleri non modò percupiunt (eandem enim crudelitatem *Margaiatès* in *Tououpinambaultios* exercent) sed etiam mira profunduntur voluptate si videant hospites suos eodem esse animo. Etenim carnes humanas nobis ab illis appositas quoties reiiciebamus, (quod à me & plerísque ex nostris semper est factum, neque enim per Dei gratiam adeò immanes vnquam fuimus vt eas vel attingere religio nobis non esset) nos non satis fideles sibi censebant. At meo maximo dolore referre cogor, Neustrios quosdam interpretes, qui apud Barbaros nouennium exegerant, sesè vt ad illorum mores accommodarent vitam atheorum more transigentes, non modò crebris scortationibus sese cum Barbaris fœminis inquinabant, adeo vt vnus ex illis trimulum puerulum ex vago illo concubitu sustulerit: sed etiam exuto omni humanitatis sensu, Barbarósque immanitate superantes, à se permultos *Margaiates* & mactatos & deuoratos fuisse gloriabãtur. Porrò vt quæ sit *Tououpinambaultiorum* in ho-

Horrenda crudelitas.

Neustrij interpretes vitam atheorum more trãsigunt.

hostes suos crudelitas, pergã describere, contigit eo tempore quo apud illos degebamus, vt de vico quodam in maiori insula sito cogitarint. Pagus hic à quibusdam *Margaiatibus* incolebatur, qui tamen *Tououpinambaultiorũ* ingruente cum *Margaiatibus* bello *Tououpinambaultijs* in deditionem venerant, pérque totos vigenti annos pacifice apud illos egerant. At tandem inter *caouinandum* sese mutuò incitantes & animos addentes, pagi illius incolas vniuersos internecioni deuouẽt. Decretum exequi non cunctantur, noctu inopinantes intercipiunt & semisopitos opprimunt, adeò vt non sine commiseratione clamores & eiulatus audirentur. Galli re audita circa mediam noctem eò properant armati, pagus enim à castello nostro non longiùs x. passuum milibus aberat. Verùm antequàm eò aduenissent, Barbari rabie & præda incitati obuios quosque trucidarant casásque vt latentes extruderent incenderant, adeò vt, perpaucos superstites nostri inuẽerint. Quin immò ex nostris nonnulli asseuerabant se non modò adultos frustatim concisos, sed etiam infantulos lactantes integros *Boucano* impositos vidisse. Ex adultioribus tamen aliquot mari sese commisêre, & noctis tenebris obsecundantibus natantes euasêre, inque nostrum Castellum se recepêre. Quod vbi resciuerunt Barbari, non æquo tulerunt animo, immò suos hostes à nobis detineri mul-

Pagus à Barbaris vastatus.

Barbaries horrenda.

tantes conquerebantur. Tandem verò mercibus quibusdam à nobis placati fuere, clientes verò nostros, Villagagnoni mancipia reliquere.

Interiectis aliquot diebus, ego cum quibusdam aliis Gallis in pago ab indigenis *Piram-iou* nominato in insula illa maiore animi gratia exspatiabamur, inopinantes captiuum iuuenē, forma & statura non mediocri in cōpedibus ferreis quas Barbari à Christianis acceperant, detentum offendimus. Is lingua Lusitana nos compellat, (duo ex nostris ob Hispanici sermonis peritiam eius verba capiebant) significat se in Lusitania fuisse, Christianum esse, Baptismo initiatum, Antonio sibi nomen. Prætereà, quamuis natione *Margaias* esset, quod frequenti cum Lusitanis commercio ferinum ingenium ex parte exuerat, innuit se vehementer optare, si qua id ratione fieri posset, ab hostium manibus euadere. Tū nos prçterquàm quod nostrarū erat partium quotquot dabātur è Barbarorū faucibus eripere, auditis vocibus Christiani & Antonij longè vehementiùs commoti sumus, & miseratione ducti. Atque ita è nobis vnus, qui linguam Hispanicam callebat, quique fabrilem exercebat artem, recepit se postridiè eius diei limam ad compedes dissecandas allaturum: monuítque vt simulac solutus esset, (nam à nemine obseruabatur) in dumetis ad maris littus sese abderet, tantisper dum

Margaias in Lusitania baptisatus captiuus.

Barba-

Barbaros colloquio occuparemus: nos ſcapha exceptum, in Caſtellum noſtrum tranſducturos: quò ſi perduceretur, minimo negotio cum Barbaris de ſua redemtione tranſigi poſſe.

His non parum recreatus gratias egit, ſéque ſingula exactè exequuturũ ſpondet. At Barbari licet ſermones vltrò citróque habitos non cepiſſent, nonnihil tamen ſuſpicãtes ſimulac è pago egreſſi ſumus, vicinitate demum, idque tumultuariè coacta miſerum Antonium mactant. Nos poſtridie limam afferentes, per ſpeciem farinę aliorúmque cibariorum quærendorum pagum illum repetimus: atque à Barbaris quærimus vbinam captiuus ille quem pridie videramus. Illi nos in caſam proximam deducunt, carniúmque Antonij fruſta *Boucano* impoſita oſtendunt. Deinde nos abs ſe eluſos fuiſſe ſuſpicãtes per ludibrium caput oſtentabant, nóſque cachinnis excipiebant.

Luſitani duo à Barbaris capti & deuorati.

Non multo poſt duos quoque Luſitanos Barbari noſtri cepere: quos ex improuiſo in Tuguriolo luteo, in mediis ſyluis conſtructo, non procul ab Caſtello ſuo quod *Morpion* vocant, adorti fuerant. Luſitani quidem totius diei ſpatio Barbarorum impetum ſuſtinuerant, at tandem cùm eos tela cæteræque munitiones deficerẽt ſtrictis maioribus gladiis, quos nos ambarum manuum dicimus, in Barbaros irruunt, ac complures cædunt,

multos quoque vulnerant. Barbari contrà pertinaciter obsistũt, singulis, potius occumbendum ducunt, quàm victoria non parta pedem referre. Itaque tãdem Lusitanos captos deducunt, è quorum spoliis ipse vestes bubalinas à Barbaro emi. Vnus quoque ex interpretibus argenteam lancem emit, quam Barbari cum multa alia supellectile in illo tuguriolo erant deprædati, quámque pretii ignari cum duobus cultellis permutarunt. Porrò Barbari in suos pagos reuersi, Lusitanis per ludibrium barbam conuellunt, dolorísque impatientes derident, hísque verbis increpãt. Quid? vósne qui nuper impetum nostrum tã fortiter sustinuistis, nunc cum mors erat fortiter obeunda muliebri esse animo? Ac tandem more solito eos immaniter mactant, deuorántque.

Exempla quidem permulta de Barbarorũ crudelitate præter ista à me possent afferri, nisi quæ attulimus ad horrorem cuilibet incutiendum sufficere existimarem. Verumenimuerò vt ij qui hæc tam horrenda passim apud Barbaros vsurpata legent, norint permulta quoque non minus detestanda alibi geri, præter eam quam commemorauimus Iudæorum crudelitatem, qui Traiani temporibus quadraginta hominum millibus cæsis, non modò eorum carnes deuorarunt, sed etiam sanguine vultum obliuerunt, pellésque induerunt: Præter etiam horrendum Ptole-

mæi

mæi Lathuri Regis Ægypti facinus qui trigin ta Iudæorum millibus cæsis, captiuos occisorum carnibus vesci vi adegit, alia quoque exempla in medium afferam. Chalcondilus historia de Imperij Græci lapsu & Turcici incremento,(quod verè tragicum dixeris) scribit Turacanum vnum ex Amurati II. Legatis, Albanorum copiis instructa acie deuictis fusisque captiuos 80. immaniter trucidasse, quorum capita truncata, in pyramidis formã coaceruari iussit, quasi partę victoriæ insigne trophæum. Amuratus verò vltra istmi angustias transducto exercitu, trecentos milites qui noctis tenebris obsecundantibus in proximum montem confugerant, intercludit. Illi commeatus inopia in deditionem venerũt honestas expectantes conditiones. At Amuratus omnes in vnum locum conuenire mandat, ac coram se iugulandos curat. Idem Amuratus, cuius nondum erat sæuitia expleta, ex omni captiuorum copia sexcentos adolescentes forma præstantes, sua emit pecunia: quos deinde patris Manibus immolat quasi peccatorum expiatio in tanta sanguinis humani profusione esset posita. Sed isthæc ludi iocíque dicantur præ sceleratissimi Mechmeti XII. Turcarum Imperatoris crudelitate, qui non modò Imperij administrationis Amurato successor fuit, sed maximè in omni immanitatis genere, immo quem in hac parte magno superauit interuallo. Vt enim omit tam florentissimæ simul ac celeberrimæ vr-

Lib. 5. c. 5.

Trophæũ ex capitibus humanis.

Lib. 7. c. 4.

Immanitatẽ Amuratus immanitate cumulat.

Lib. 8. c. 6.

Constantinopol. expugnatio, regnante Mechmeto 12. Tur. Imp. ad 56 Cal. Ian.

bis Constantinopoleos expugnationem quæ ipso regnante Anno salutis 1453. Ad V. Cal. Iunias contigit, qua sanguine omnia, horrore, morte, fugientibus & persequentibus, victoribus & victis repleta erant: Adeo vt cæsorum & eorum qui præ ingenti irruentium multitudine suffocati erant cumulus portarum fornices superaret: Peculiaria quædam de monstri illius crudelitate posteris mãdata recẽsebo. Viginti Albanos milites, qui Thrasia, quam ipse expugnarat, relicta, in oppidulum quoddam Phiasiæ, Rupellam nomine, sese receperant, rotario supplicio brachiis cruribúsque conquassatis semiuiuos in summo cruciatu languentes desperabundos reliquit. Insuper immanissimo illi monstro non satis erat quoscumque in oppidis aut castellis ostendebat ferro cædere, prout Leontarij contigit, vbi ne vnus quidem superstes est relictus, adeo vt sex mille hominum cadauera, præter ingentem equorum & pecorum copiam; illic fuerint numerata: Sed inaudito hoc supplicij genere complures insuper affecit. Acinace peracuto singulos homines in duas partes vno ictu circa transuersum septũ diuidi iubebat, artificio barbariem omnem superante: bis enim singuli mortis persentiebant dolores. Vtraque pars per aliquod tempus præ somno quo opprimebatur cruciatu huc & illuc non sine gestibus horrendis sese volutabat. Trecenti milites in oppido Mitylene anno 1459. quo capta est vrbs illa, hoc imma-

Lib.9.cap. 1.

Mechmeti in ipsa bruta animãtia crudelitas.

Monstrosa crudelitas. Lib.9. cap. 7. & Lib. 10. cap. 12.

immaniſſimi ſupplicij genere ſunt affecti. Quingenti quoque alij ab Omare Baſſiano Conſtantinopolim miſſi, quos in oppidulo à ſe expugnato ceperat eadem occubuerunt morte. Horum cadauera poſtquā aliquandiu in area in qua laniati fuerant neglecta iacuerūt, hos horrēdè mugiēs ad ea accedit, vnámque cadaueris partē cornu attollit, alioq; loci cōportat, tum alterā petit priorique adiūgit, Quæ res cùm à multis perſpecta fuiſſet breui ad Mechmetum perfertur: Ille mirum in modum anxius, cadauer illud diſiungi, partéſque ſeorſum ad priſtinum locum comportari iubet. Bos inſequitur repetitis mugitibus, cadauer verò illud, inter cætera agnoſcit, denuóque carnibus ſublatum aliò aſportat. Mechmetus hoc portento vehementer commotus (ac meritò quidem) è veſtigio cadauera ſepeliri iubet, bouē verò ad ſua pecuaria deducendum, ac per reliquū vitæ tēpus alendū curat. Tradunt nonnulli cadauer illud à boue canibus Turcis clementiore aſportatum, Veneti cuiuſdam corpus fuiſſe: alij Illyrico tribuunt. Atqui vt vt ſit (inquit Chalcondylus) hoc oſtento multum fœlicitatis genti à qua ille oriundus erat, portendebatur.

De boue qui herū mortuū agnoſcit mira hiſtoria.

Vladi verò ſæuitia humanis auribus tinnitum longè grauiorem ciebit, idcirco de ea referre vltimo loco viſum eſt. Vlando attributa Moldauia Mechmeti liberalitate in gratiam fratris cuiuſdam Vlandi quo ſceleratus

Vladi immanitas horrenda & cæterorum omniū atrocitatem ſuperans.

Mechmetus ad nefarias libidines abutebatur, hoc primo veluti auſpicio prouinciam illam adminiſtrare cœpit. Potentiſſimos quoſque Moldauienſes, ac primariæ autoritatis viros, à quibus propter authoritatem & gratiam, ne defectionem molirentur ſibi metuebat, corripit, eóſque non contentus eſt vulgari aliquo ſupplicio è medio tollere, ſed viuos omnes palis transfixos ſummo cum cruciatu extinxit. Immo eorum familias ne vxoribus quidem & infantibus exceptis, eodem furore ſuſtulit. Adeo vt breui temporis ſpatio triginta & eo ampliùs hominum millia ab eo trucidata fuiſſe à multis confirmetur. Mortuorum porrò bona & honores ſatellitibus ſuis eſt largitus. Mechmetus certior factus Vladũ de defectione & rebellione in ſe cogitare, quendam ſuum à ſecretis Catabolmum nomine, natione Græcum per ſpeciem amicitiæ ad eum mittit, eo cõſilio vt Vladum ad ſe blandis verbis pertraheret. Eodẽ quoque tempore Mechmetus ad Chamum quendam cui Valaquiam prouinciam clàm demãdarat, literas dat, mandátque vt quacumque ratione vi, dolóve Vladum corriperet: eo nihil gratius ſibi accidere poſſe ſignificat. Hi duo communicatis conſiliis Vladum intercipere conantur, Vladus verò nullo modo perturbatus confirmatis militum ſuorum animis, reliquis omnibus in fugam verſis Chamum & Carabolmum cum quibuſdam aliis viuos capit. Quos cruribus & brachiis abſciſ-

Lib. 9. cap. 12. 13. & 16.

ſis

ſis palis viuos affixit. Chamo verò, prout eius poſtulabat dignitas eminẽtiorem tribuit locum. Quod ab eo hoc conſilio factum eſt, vt ſubditis ſuis terrorem incuteret, ac ne tale quid in poſterum auderent niſi idem ſuppliciũ ſubire vellent, anſam præriperet. Prætereà exercitum ingentem ſumma celeritate conſcripſit, Danubiúmque flumen tranſiit, atque in Mechmeti ditionem quam flumen illud alluit, magno irruit impetu, eámque eſt populatus, pagos incendit, fœminas ipſas, immò infantes, in cunis vagientes ferro cecidit. Quacũque verò iter faceret immaniſſimè ſæuiebat, & vaſtitatis vbique notas inurebat. Quibus ab Mechmetum perlatis, maximè vero nuntio de Legatorum morte crudeliſſima, ac in primis de Chamo tam atroci ſupplicio affecto, qui præcipua in aula miniſteria olim geſſerat, Mechmetum non parum commouerunt. At longè moleſtius illi fuiſſet tantam iniuriam ab infimæ ſortis homine ſibi illatam inultam relinquere. Itaque cum inſtructiſſimo exercitu Valaquiam ingreſſus, & Legatorum ſuorum cadauera palis adhuc affixa comſpicatus, nouo quaſi dolore, & nouo furore fuit percitus. Cadaueribus autem illis auulſis & ſepultis, tria paſſuum millia eſt progreſſus, ac in lanienam illam incidit ab Vlado in ſubditos patratã, quæ res horrorem conſpicantibus mouebat. Erat enim locus aliquantulum editus, & in omnes partes apertus, duo paſſuum millia in longitudinem ob-

Horrendũ viſu ſpectaculum.

tinebat, latitudo mille occupabat: Innumeris rotis, palis, crucibus, furcis, cadaueribus onustus ceu sylua quædam consitus erat. Ex cadauerum facie perhorrida, cruciatus quos ante obitum pertulissent cõiicere facile erat. Laniatorum numerus ad millia viginti facinoris atrocitatem augebat. In his erant infantuli maternis adhęrentes vberibus, lactantes enim suffocati fuerant. Inauspicatæ præterea aues, aerem seu nubes atra condensabãt, ac in corporum humanorum concauo vnde iam antè viscera extraxerant, nidos struebant. Quibus conspectis Mechmetus, ingenio alioqui barbaro & crudelissimo, apud se cogitans vnius homunculi, & quidem abiectissimæ conditionis, atrocitatem ac immanitatẽ crudelissima quæque facinora ab se patrata longo interuallo superasse, modò obmutescebat, modò misericordia quadam ducebatur, atque apud se mussitabat, mirum nõ esse quòd sceleratus ille subditis suis adeo formidolosus esset, quandoquidem tale facinus patrare sustinuisset: Ideóque difficillimum esse statuebat hominem ab sua ditione depellere, qui & imperio suo & subditorum obsequio tam insigniter vteretur. Mox verò collecto animo, neminem esse qui carnificem illum non contemneret arbitratur. Quinimmo Turcæ ipsi tam horrendo κοιμητηρίῳ conspecto Vladum adeò atrocis facinoris authorem diris deuouebant. At Vladus omnibus istis neglectis, Mechmeti exercitui continuò insta-

instabat, eúmque modò in alis, modò in nouissimo agmine lacessebat, atque ita non paucos singulis diebus perimebat, damnúmque non minus equitibus ac Arapibus afferebat. Tamen (ne vlteriùs in his recensendis progrediar) ille suo tandem periculo est edoctus sæuitiã illam qua in subditos vsus erat, dum res suas egregiè stabilire volebat, multò plus detrimenti quàm commodi sibi attulisse. Nã paulatim suis à se deficientibus Mechmeto prouinciã cedere, atque in Hungariam profugere coactus est. Eò vbi appulit, ob scelera quæ mille suppliciis expiari non potuissent in vincula coniectus fuit. Quatuor hęc monstra coniuganda & quasi concathenãda duxi, vtpote quæ infernali remigio sint aptissima, Turacanum videlicet, cuius (quantumuis flagitiosissimi) nequitia penè nulla videatur si cum Amurato conferatur: Quem rursus crudelitate & sæuitia superauit Mechmetus: Omnes verò sceleratissimus & immanissimus Vladus magno post se reliquit interuallo. At verò (inquies) Turcæ isti fuerunt inhumanissimi, quos merito Brasiliensibus ἀνθρωποφάγοις immaniores dixeris.

Quare vt paulò attentius ad ea quæ apud nos geruntur animum aduertamus, quæro in primis quid à fœneratoribus & rapacibus auaris pręstetur? qui sanguinẽ & medullas tot viduis, tot orphanis exugunt, ac proinde viuos deuorant, quos semel iugulasse satiùs esset quàm languentes diutiùs detinere? Annõ

Fœneratores barbaris Americanis immaniores.

feritate & crudelitate Barbaros Americanos superãt? Atque hinc fit vt exclamet Propheta. Quod comedunt, caro eſt populi mei, & cutem eorum ab eis nudant, ac oſſa eorum diffringunt: diuidúntque vt quod eſt in olla, & velut carnem quæ eſt in lebete. Iam verò ſi de carnium humanarum eſu ferino prorſus & tygrino, quot quęſo, hîc apud nos reperti ſũt, cum in Italia, tum in aliis regionibus, ex iis qui Chriſtianum præ ſe ferunt nomen, qui eò immanitatis delapſi ſunt, vt ſæuitiã ſuam explere cupientes, cor iecúrque inimicorũ ſuorum deuorarint? Penes hiſtorias innumeras de rebus iſtis ſcriptas fides eſto, ſingula enim perſequi ſi cupiam tempus me deficiat. At, ne in aliena inquiram, Quæ lingua, quis calamus immania facinora referat quæ in Gallia noſtra ſunt patrata? Tædet me certè, tam horrenda commemorare, Gallus enim ſum. Funeſtiſſimis bellorum ciuilium temporibus, quibus ab hinc annis xx. iuxta eorum calculum qui diligentiùs iſthæc ſunt perſecuti, decies quater centena hominum millia interierunt: inter quos quadraginta reperiuntur nobiliſſimorum virorum millia, qui vniuerſo terrarum orbi deuincendo, vel ſaltem Gręciæ Turcarum Tyrannide tam diu oppreſſæ in libertatem aſſerendæ ſuffeciſſent. Atque vt aliquid afferam è tot in vulgus emiſſis ingentibus voluminibus, quibus prouinciarũ, locorum, vrbium, homicidarum, atque adeo trucidatorum ipſorum nomina eduntur, quę con-

Mich. 3. 8

consultò à me omittuntur, ne ea quæ iam consenuisse videntur recrudescant: Nobilis cuiusdam viri reformatam religionem profitentis viscera auulsa fuere, ac primo per totam vrbem circumducta, deinde in vrbis fossas ad sterquilinium coniecta sunt. Cor autem, & iecur, baculis affixa, instar trophæi verè Diabolici circumgestata fuere. Quin eo vsque perrupit scelesti cuiusdam rabies, vt iecinoris illius particulam cani obiecerit, canis verò homine longè humanior attingere recusauit: tum immanis herus canem non sine blasphemis vocibus hoc sermone insequebatur, Nunquid tu quoque es Lutheranus? Alibi vir quidam insignis & de literis optimè meritus, ventre, vultúque humo pertingente, in publicam vrbis plateam pertractus, primò semiustulatus in mare deijcitur, tum extractus canibus lacerãdus obijcitur. Mechmeti immanitatem superiùs meritò sumus detestati, qui vno Acinacis ictu medios homines dissecabat, duabúsque veluti mortibus mulctabat: At si istum de quo agimus dispiciamus quater eum necatum fuisse comperiemus, nam vultu ventréque terram euerrẽte pertractus, quodammodo mactatus fuit, deinde vstulatus, tertiò submersus, quartò à canibus dilaniatus. Non multò clementiùs cum alio actum est cuius cerebrum lapidibus comminutum fuit, deinde in flammas coniectus est, indéque extractus, muro est appositus vt quibusuis tormentulorum displo-

Cõsule historiam ecclesiasticã Gallicam. Anno 1580 excusam lib. 3. pag. 374.

Canis hominibus ipsis longè humanior.

Lib. 3. pag. 383.

Tomo 2. lib. 7. pag. 356.

dentibus ſcopus eſſet. Puerpera quædam die à partu quarto de lecto deturbata & in infimos gradus deiecta fuit. Infantulum verò cui diligentiſſimè in vlnis poſito cauerat, lanij illi crudeliſſimè ei auellunt muróque allidũt, vocibúſque blaſphemis Lutheranorum progeniem eſſe extirpandam prædicabant. Cor ex cadauere iacente ab militibus ſeu potiùs furiis eductum mordebatur: illi verò mutuo

387. ſibi illud porrigentes ſe præſagiiſſe iam antè dicebãt, Hugonottũ à ſe comeſtum iri. Mulieri honeſtiſſimæ, veſtibus penitus nudatæ, vbera in orbem exciſa fuere, tum patratis in

400. eam nefandis ſceleribus, in proximum flumẽ deiecta eſt duabus eius filiabus tam horrendum facinus ſpectantibus. Itali quidam in

454. religionis odium puerulum viuum in duas diſſecant partes, eiúſque iecur deuorãt. Ado-

517. leſcenti cuidam oculi pugione effoſſi ſunt, tũ vlmo eſt ex pedibus ſuſpenſus tormentulorúmque glandibus eſt confoſſus. Viri qua-

531. tuor veram religionem profitentes carceribus noctu educti in pontem deducti ſunt, vbi primùm veſtibus omnibus exuti ſunt, tum miſerè excarnificati ſunt, ſicarij enim eos minutim concidentes per ludibrium ſeſe inuicem compellant, neſcio an brachium poſſem amputare, tum crebris ictibus alius brachiũ, alius collum, alius caput contundebat, donec ſemiuiuos in ſubiectum flumen coniecerunt, at humus eorum ſanguine infecta horrorem prætereuntibus incutiebat. Carnifices verò ad

ad eluendam crudelitatis ſuæ notam humum multa aqua perfundunt. Sed efficere non poſſunt quin ſanguis ille continuò apud Dominum perſonet, qui cùm ſanguinem humanũ à brutis effuſum repoſcere non cunctetur, quid de hominibus eſt ſtatuendum à quibus adeo iniuſtè effuſus fuerit, quíque hac ratione Dei imaginem violare nõ dubitarint? Quidam Euangelij miniſter multis acceptis vulneribus, ambobus oculis effoſſis, tũ fune pedibus alligato, huc & illuc eſt pertractus ac tandem palo alligatur, in ſtruem lignorum coniectus eſt, atque ita viuus exuſtus.

Gen.9.5.6.

585.

Vt autem appareat nullius conditionis homines à tanta barbarie fuiſſe immunes, Quidam ex ſummi ſenatus præſidibus, ſenex & venerandus, qui quidem iam pridem Religionis reformatę opinionẽ habebat, quam tamen (quæ erat illius timiditas) palam profeſſus nunquam erat, baculis primum immaniter verberatus, ac penè mactatus eſt. At ſicarij cùm ſatis amplos loculos pro libidine non inueniſſent, eũ pecunias ſuas deglutiiſſe prætexentes capite ad pectus vſque in aquã demerſo, ex pedibus ſuſpenſo, adhúcque viuo, ventrem diſſecant, viſceráque in flumen proiiciunt. Cor verò haſtæ affigunt, pérque vrbem circungeſtant, in hæc erumpentes verba. En vobis cor nefarij illius Hugonottorũ Præſidis. Quid plura? Nunquid ex humanis auriculis frictura eſt confecta? Nobilis quidam adoleſcens glandibus ſclopetariis ictus,

595.

596.

608.

nudúſque in dumum ſpinis conſitum coniectus eſt, atque ibi ardentiſſimis ad Deum precibus animã agit. Prouecta ætate vir pugionibus confoſſus & lapidibus obrutus, canibus obiectus eſt. Ex permultis cadaueribus viſcera extracta ſunt, ſicariis exclamantibus annõ quis eſſet qui Hugonotti viſcera emere vellet. Sed, ô rem nefandam & inauditam! annon pueruli aſſati fuere? viríque viui terræ mandati? Quinetiam inuentum eſt cadauer multis confectum vulneribus ſale aſperſis. Quo nimirum ſupplicij verè diabolici genere miſer ille crudeliſſimè fuit excruciatus. Præterea ducenti vigintiquinque homines brachiis adnexo fune colligati fuerunt quaterni, & quini, nudi, oculis ad ſolẽ poſitis, atque hoc modo enſibus, ſecuribus, & pugionibus confoſſi fuere, ſtramine incenſo pudendis eorum ambuſtis. Vir pugione cõfoſſus cum ſtatim animam non ageret crebris ſecuris ictibus confeſtim mactatus fuit. Alius letali vulnere percuſſus in lecto decumbebat, huic malę ad aures vſque diſſectæ ſunt, tum in ipſo cubili iugulatus eſt.

Lib.8.pap. 728. — 717. — Lib.9.775. 777. 778. & 823. — 260. — 785. — 795. — 815.

Sed ne in iſtis hiſtoriis recenſendis quæ libris quos ad marginem adnotauimus memoriæ proditę ſunt, æquo ſim prolixior, preſertim quum tabellis iam pridem excuſis depictæ ſint, quæ hæc præ ſe ferunt nomina, Lanienæ Vaſſiacæ, Lanienę Turonenſes, Lanienæ Cadurcorum, aliæque in Gallia noſtra patratæ: Quid quæſo, dicturi ſumus de cruenta

ta illa Tragœdia quę initium habuit Lutetiæ die 24. Augusti, Anno 1572. qui dies D. Bartholomeo dicitur sacer, atque Gallicis in kalendariis meritissimè rubrica est adnotatus? Cuius quidē culpam in eos non reiicio, quos authores minimè habuit. Quámque Rex noster pacis edicto summo suo dolore actam fuisse iure declarauit. Inter cætera innumera, quæ tum per vniuersum regnum crudelissimè sunt admissa, annon cadauerum humanorū adeps, ex Arari flumine (in quod proiecta fuerant plusquam Americana aut Turcica feritate mutilata,) extractorum Lugduni auctione publica venumdatus fuit? Nonne iecinora, corda, aliæque humanorum corporum partes ab immanissimis sicariis, quósque inferi ipsi abominantur, deuoratæ fuerunt? Nunquid Antissiodori, viri cuiusdam pij nomine Cor-regis, atrociter excarnificati, cor in frusta concisum venale est à carnificibus expositū, ac deinde ad prunas tostum & deuoratum? Innumera etiamnum sunt in viuis hominum millia, qui de istis ante nostra tempora inauditis cumulatissimè testabuntur. Libris quoque (vt iam dictum est,) hac de re scriptis & excusis posteris mandabuntur. Ac ne plura persequi cogar, (nam horret animus, deúmq; precor vt tanto vulneri remedium adhibeat) sæuitia cum sæuitia, immanitásque cum immanitate comparetur: trésque aptentur tabulæ contiguæ, in quarum

Vide Comment. Gallica. & historiā nostri temporis.

Gallica immanitas cum Americana & Turcica cō paratur.

prima Barbari Americani depingantur, clauis suis ligneis captiuos mactantes, fœminæ quoque cadauera, calida perfundentes, tum corpora frustatim concisa; brachia etiam, cura, fœmora, capita *Boucano* imposita, inter coquendum horridè contrahantur & deturpentur, ipsi denique Barbari gestu quàm fieri poterit immanissimo carnes illas vorantes apponantur.

In secunda Turacanus tiara amictus, pyramidem ex humanis capitibus crudeliter obtruncatis construens. Amuratus quoque & Mechmetus Turcarum imperatores adhibeantur: quorum prior, innumeris necatis hominibus eorum sanguine patris manibus litet: Posterior rotario afficiat supplicio complures milites, aliósque in duas partes vno acinacis ictu dissecet, atque ita bis mori cogat. Addatur Vladus, qui subditos palis transfigat, & quidē magno numero: effingantur quoque rotæ & patibula, tanta copia vt syluam efficiant, humanis cadaueribus onusta, infantuli ab matrum vberibus pendeant, vultu quos dolores moriendo persenserint, deformitate indicante: Coruis aliísque inauspicatis auibus circumuolantibus, atque in mediis quorum antè oculos, & viscera deuorarint nidos construentibus: Cæteráque ad rem exaggerandam adiiciantur, quæ ex descriptione superiùs allata pictor excogitare poterit.

In tertia, furentes & rabidi Galli, naturæ

turæ leges & Principum ſuorum edicta violantes, qui veluti Tortores & carnifices immaniſſimi, homines ex pedibus ſuſpendant, facie ad humum inuerſa, ventrem ferro diſſecent, viſcera eximant, per vicos circumducant, & in fœdiſſima quælibet ſterquilinia conijciãt: Qui humana corda & iecinora verubus & longuriis transfixa circumgeſtent, eáque modò cruda, modò in prunis toſta vorent, immò cani deuoranda porrigant, qui horrore percitus aufugiat, taliáque monſtra humanitate ſuperet: Qui ſemiuſta corpora humana, in mare proijciant, rurſúmque extrahant, muróque applicent, ac tormenta diſplodentibus pro ſcopo proponant: Qui adipem humanum educant, venalémque inſtar bubuli ſeui exponant: Qui quorundam capita lapidibus cõminuant, corporáque in flammas conijciant ac poſtea canibus dilanienda proijciant: Qui muliebres mammas circumſecent: Qui puerperas è cubili auellant, puerulóſque muris allidant, nonnullos inſtar nefrendis aſſent: Qui viris quibuſdam oculos pugionibus eruant, quos arbore ex pedibus ſuſpenſos tormentulorum glandibus conficiant: Qui de media nocte nudos homines ad pontem quendam ſicis diſſecent, minutímque concidant, inque ſubiectum flumen dent præcipites: humo cruore adeo infecta, vt tortores ipſos horrore perculſos notam illam eluere oporteat: Qui Eumenidũ furorem longè ſuperantes, auriculas humanas in

ſartagine frigant, omaſorúmque inſtar comedant:, Qui viuos homines ſepeliant: qui minutatim corpora concidant, vulneráque ſale aſpergant, vt grauiori cum dolore coniunctam mortem comminiſcantur: Qui complures ſimul vinctos, nudato corpore, ſoli oculis oppoſitis, gladiis, ſecuribus, pugionibus dilanient: quorum pudenda accenſo ſtramine amburant: Qui corpus ſica confoſſum nec dum exanimatum, ſecuri mactent: Qui viro, vulnere lethali accepto ac in lecto decumbente, vtramque malam ad aures vſque diffindant, eúmque inſtar ouis iugulent.

His, inquam, ita depictis, quæ minimè exaggero, ita enim geſta ſunt, immo maiori quàm quæ verbis exprimi poſſit, crudelitate: Quænam trium harum tabularum immanior & viſu magis horrenda eſt iudicanda? Nunquid hæc poſtrema? hæc vtique. Itaque non abs re quidam, cuius nomen me ignorare ſanctè affirmo, poſt Gallicam illam lanienam quas reliquas omnes omnium temporum immanitates longo interuallo ſuperare videbat, verſiculos Gallicos ſcripſit, quos ita expreſſimus.

Exulta Pharao, Neróque ſæue,
Herodéſque, & Achabe: nam furore
Gallo ſæuitia eſt ſepulta veſtra.

Immo addere poſſumus ſæuitiæ omnia quæ vnquam extiterunt exempla, ſiue apud Scy-

Scythas,aut Tartaros,siue apud alias nationes,ne excepta quidē immani Triumuiratus Romani laniena. Quapropter ne deinceps Barbarorum ἀνθρωποφάγων crudelitatem adeò abhorreamus, quandoquidem non minor, immo longè immanior apud nos passim locum habet. Illi enim feritatem in hostes suos tantum exercent: Nos verò,vt constat ex iis quæ relata sunt,cognatorum,vicinorum, propinquorum sanguine manus nostras commaculamus. Itaque monstrosissima quæque vt videamus in Americam vsque non est excurrendum. Verùm hîc forsitan Catholicus quispiam Romanus obiiciat, quid? tu inuidiam omnem in nostros deriuas, de vobis autem Religiosum nomen profitentibus, ne verbum quidem.An scelerum immunes, & quasi Angeli in armis fuistis? Ego verò respōdeo, quantum obseruando assequi potui, primo quidem ciuili bello ex nostris nō paucos tales extitisse, pręsertim si cum vestrarū partium hominibus conferantur: Secundo autem non parum à pristina pietate degenerasse,ac proinde humana æquo plura perpetrasse: Tertio verò in peius ruentes, præsertim ex quo vobis admixti fuerunt, non negarim complures deploratæ spei homines in furias degenerasse. Quibus æquiores ab eo tempore minimè nos præbuimus, ac iis,aduersus quos sese bellum gerere profitebātur, quibus tamen meliores non essent: Quod apparet vel ex ea, quam edidi,historia de fa-

Religiosi bellorum ciuiliū in peius ruere cœperunt.

me & obsidione Sancerrana, cui ipse interfui, Anno 1573. nec non ex iis quos in ipso exercitu conscripsi commentariis. Eorum itaque peccata minimè dissimulaui, à quorum partibus stabam in optima caussa, quantumuis pessimè acta. Atque vt hoc etiam loco tester quanto cum dolore Galliam à suis alumnis sanguine fœdatam conspexerim, facinus narrabo cuius recordatio animum meũ sine fremitu nunquam subit, adeo mẽti meæ, immanitatis illius imago adhęsit.

Nostri oppidulum quoddam (cuius nomẽ consultò non edo) obsedêre, oppidani rei militaris imperiti, sese ad defensionem parant, auxilium præsto sibi affuturum rati: itaque tormenta crebrò displodunt, ac non modò milites quosdam interficiunt, sed etiam ex ducibus nonnullos vulnerant, item equos præstantissimos. Quæ res nostros non parum exacerbauit. Denique cohortes aliquot ex nostris sub vespertinum crepusculum, Ducum industria deductæ, ac sermone animatæ muris succedunt, scalas admouent, conscendunt, oppido denique quamuis munitissimo, fortitérque ab ciuibus propugnato, adeò vt non semel nostros mœnia iam occupantes propulsarint, vi potiuntur: obuios quosque ferro transfigunt, immo ne vnum quidem virum superstitem fuisse credo, nisi si qui abditissimis latibulis sese commiserant. Ego tum in vrbe vicina ab nostris occupata eram. Po-

stri-

ſtridie cum quibuſdam aliis ad expugnatum illud oppidulum accedo, vt quid ibi contigiſſet viderem. Tantam nimirum ſtragem nactus ſum vt totus cohorruerim: quippe iugulatis pleriſque, locóque decliui, vndiquáque ſanguinis riuuli defluebãt. Ego tam atrox facinus conſpicatus, quod tamen infectum fieri nequibat, Præfectum rogo, liceat cadauera illa terrę mandare, quod lubens conceſſit. Ruſticos duos latentes metu conſternatos magno labore inuenio, eos mortis metu eximo: tres ingentes foſſas ab iis excauari curo: vnam in Sacello, reliquas duas in hortis, pro tẽporis opportunitate commodis, illa enim die eò vnde migraram redeundum mihi erat. Cadauera vndiquaque ſcalis & aſſeribus impoſita ad foſſas illas comportari iubeo. Inter mortuos ſeptem mulieres repertę ſunt tréſque pueruli. Eueſtigio Præfectum adeo, rei atrocitatem oſtendo, iuſta Dei iudicia tãtam crudelitatem vltura nobis imminere expono. Ille diligenti facta inquiſitione, refert ea non conſulto ſed per imprudentiam contigiſſe, dum noctu milites oppidum ingreſſi domos intrant, lucerníſque minimè accenſis obuios quoſque trucidant, vel in ipſis cubilibus vbi permulti latitabant: veriti ne oppidani inſtauratis viribus noui quidpiã molirentur. Ego ad inſtitutum opus reuertor. Mortuorum, qui numero erant centum & quinquaginta plùs minùs, aceruo iuſto. Fœminæ viros ſuos affines ſingulæ perquirunt,

Funeſtum ſpectaculum.

Fœminæ & pueruli ab Religioſis per imprudentiã interfecti.

quarum pleræque lugentes & lachrymantes me quem sedulò de sepeliendis illis curam gerere videbant, rogāt liceat sibi linteis suos inuoluere. Id verò per me omnibus quibus ea res erat cordi licuit. Sed (proh, facinus indignum! atque irati in te Dei certissimum indicium, miserrima Gallia, apud quam iustis suppliciis minimè profecit, tu enim magis ac magis induruisti.) mulier quædam suos inter cadauera requirit, virum primò conspicit, vnúmque ex natis: tum alterum mox animaduertit: suos deinde fratres duos conspicatur. Hæc iustissimo mœrore ac dolore (si quę vnquam mulier) perculsa, puerulum septem annos natum quem manu tenebat his compellat verbis: Ah mi filiole, quàm verè orphanū te homicidæ isti effecerunt! Patrem tuum, duos fratres, duos etiam auūculos tibi hodie abstulerunt. Quanto tum dolore perculsus fuerim quærendum minimè arbitror. Ac ne quid dissimulē, immo quas pepererint miserias bella nostra ciuilia commonstrem (hic enim est scopus meus vt agnito malo, nostro saltem cauti fiamus periculo) miles quidam è nostris legionibus (nostrum non dicam) repertus est adeo humanitatis sensus expers, vt audita homicidarum voce quam mœstissima illa mulier emiserat, viris quinque illa cæde amissis quibuscum tam arcto amoris vinculo erat coniuncta, eam confossurus pugioni manum admouerit. Illum ego compesco, quæróque nunquid me agnoscat: probè ex-

Facinus lugendum.

bè,excipit. (nos enim cuilibet ſatis eramus noti, vtpote qui miniſterio noſtro in ipſo exercitu fungeremur.) Tum doceo miſerrimam illam mulierculam in tãta animi ægritudine ferẽdam eſſe: Se niſi ferreus ſit, mecũ gemitus illius luctibus adiungere debere, ob tam immane facinus,quod omnium noſtrum peccatis acceptum erat ferendum: Simúlque miſeri illius populi reliquias conſternatas metu conſolor, ac periculi,quo nondum liberatas ſe eſſe credebant, metu eximo. Miles verò ille ſeu ebrius, ſeu potiùs inſano aut Diabolico furore percitus, gementi illi mulieri denuo minatur. Ego verò qui amicis verbis erga immaniſſimum illum nihil profeceram,denuntio,ſi eam attingat,fore vt noſtrum alter ſepeliẽdorum augeat numerum. Hoc ego narraui exemplum, vt quanta confuſio noſtros quoque inuaſerit palàm faciam. Noſtrûm omnium Deus miſereatur: Enimuerò ſi Gallos ob inſignem ſuam comitatem & manſuetudinem olim per vniuerſum terrarum orbem adeò celebratos inſpiciamus: eos ab auitis moribus vſque adeo degeneraſſe comperiemus, vt crudelitate vincant non modò cęteras omnes gentes,vt ſatis demõſtratum eſt à nobis,ſed & feras ipſas,Leones,Tigres,vrſos,lupos,ipſúmque adeo *Ianou-are* Americanum. Deum Opt. Max. rurſus oro vt Gallorum tot ſceleribus condonatis, faxit tandem vt ad ſanam mentem redeant.

Miles naturæ affectu vacuus ac Diabolico furore percitus inter Religioſos.

CAP. XVI.

Quid nomine religionis apud Barbaros Americanos veniat: De erroribus in quos ab impostoribus, quos Caraibes *vocant inducuntur: Déque crassissima Dei ignoratione quæ apud eos obtinet.*

QVAMVIS Ciceronis illud dictũ, nullam esse gẽtem neque tam immãsuetam, neque tam feram quæ non, etiamsi ignoret qualem Deũ habere deceat, habendum sciat, communi omnium calculo pro axiomate certissimo habeatur, tamen quomodo erga *Tououpinambaultios* nostros constet, non satis scio. Nam verum Deum ignorãt. Nullos quoque Deos falsos siue cœlestes siue terrestres agnoscunt, nec colunt: ac proinde locum vllum publicũ in quem religionis ergò conueniant non habent. Contrà quàm ab Ethnicis olim, ac etiãnum ab Idololatris nostri temporis vsurpatur. Nominatim verò ab Indis Peruanã prouinciam incolentibus, quæ cum *Tououpinambaultiorum* regione est continens, ab eáque distat passibus 1000000, qui Soli & Lunæ sacrificant. Mundi quoque creationem ignorant, dies nominibus non discriminãt, alium alij non præferunt: hebdomades, menses & annos non obseruant, Tempora Lunis dimetiun-

1. de legib.

Toupin. verum & falsos Deos ignorãt, mũdíque creationẽ.

metiuntur: Scripturę, siue sacra illa sit, siue prophana, non modò penitus sunt ignari, sed etiam Characteribus quibus animi sensa notare possint penitus carentes, Quum primò in eas terras venissem, verba & sententias aliquas vt sermoni eorum assuescerem scribebam, eásque mox coràm ipsis legebam. Illi præstigias id esse rati, inuicem his verbis alij alios alloquebantur: Non mirum! istum qui heri ne vnum quidem verbum idiomatis nostri callebat, nunc vi & ope huius chartæ, quę illum nostra eloqui docet, ita peritè ea sonare vt à nobis intelligãtur? Barbari Hispaniolam Insulam incolentes idem prorsus de Hispanis qui primi ad eos accesserunt, iudicabant: Hæc sunt historiographi verba. Indi animaduertẽtes Hispanos etiam absentes, mutuò inter se colloqui literarum beneficio, credebant vel eos prophetico agi Spiritu, vel literas ipsas loqui. Quo factum est vt Barbari, veriti ne peccata innotescerẽt sua, ita sese in officio cõtinuerint, vt ab eo tẽpore, nec mẽtiri, nec quicquã Hispanis suffurari ausi fuerint.

Quid de scriptura sentiant.

Hìc si quis hoc argumentum dilatare cupiat latissimus ei pateat campus tum ad scripturæ artem laudibus prosequendam, tum ad demonstrandum quanto nos Deus affecerit beneficio, nos, inquam, Europæos, Asiaticos, & Afros, præ Barbaris istis quartã orbis partem incolentibus. Illi enim mentis conceptũ nonnisi expressis vocibus exponere possunt: Nos verò scripturæ adminiculo, aliorum arcana cognoscimus, nostra verò consilia cum

Scripturæ ars excellentissimũ Dei donũ.

eis communicamus, qui vel in remotissimis degũt terris. Ac sanè præter bonas artes quas ex libris addiscimus, (quæque Barbaris sunt ignotæ) scripturæ quoque ars inter excellentissima quibus nos Deus cumulauit dona est recensenda.

Minimè autem moror quod Socrates (vt refert Plutarchus) dicebat: Literas quas vulgus putat repertas iuuãdę memoriæ, vehemẽter illi officere. Olim enim homines si quid audissent dignũ cognitu, nõ libris sed animo inscribebant: hac exercitatione confirmata memoria facilè tenebant quicquid volebant: & quod quisque sciebat habebat in promptu. Post, reperto literarum vsu, dum libris fidũt, non perinde studuerũt animo infigere quod didicerant. Ita factum est, vt neglecto memoriæ cultu, minùs viuida esset rerum cognitio, & pauciora quisque sciret: quandoquidem tantum scimus, quantum memoria tenemus. Quam ego sententiam, præsertim in Philosopho, ac Græciæ sapiente dignam iudico reprehensione. Nam & Cicero, cæteríque docti, post eum, historiam, quæ sine librorum vsu commodè contexi non potest, matrem esse temporum affirmarunt. Illud quidem verum est, Patres qui ante Mosis scriptorum omnium primi, tempora vixerunt, permulta, & quidem optima, quæ non commentariis, sed menti & memoriæ mandabãtur, posteris per manus tradebant. At longè tutiùs illud est factum ex quo obtinuit scriptura.

Ergo, vt ad *Tououpinambaultios* nostros

redeamus, quoties cũ illis colloquebamur, ac mentio de Deo incidebat, dicebamus nos credere in vnum Deum creatorem cœli & terræ, qui vt orbem & quæcunque in eo ſunt, condidit, ita omnia pro arbitrio gubernat. Illi vbi hęc audierant, alij alios intuentes, & in hanc vocem (quæ admirationis nota ipſis familiaris eſt) erumpentes, *Teh!* defixi & ſtupefacti hærebant. Præterea, quoniam, vt ſuo dicemus loco, Tonitru fragore vehementer terrentur, (id *Toupan* vocant) ſi eorum conſulentes ruditati occaſionem inde arriperemus, eos edocendi, diceremúſque Deum illum eſſe de quo verba illis faciebamus, qui, vt ſuam indicaret potentiam, cœlum terrámque eo modo concuteret: illi excipiebant Deum illum à quo adeo terrerentur eſſe nequam. Hæc eſt hominum illorum miſerrima conditio. At, quærat fortaſſe quiſpiam: fierine poteſt, vt brutorum inſtar Americani ſine religione viuant? Ego verò reſpondeo, quod iam antè attigi, perparum ab eo abeſſe, nec credere me gentem vllam in toto terrarum orbe eſſe quæ ab omni religione ſit magis aliena. Attamen vt etiam exponam quantulum lucis inter denſiſſimas tenebras quibus obcæcantur perſpexerim, Affirmo eos non modò immortalitatem animarum credere: ſed pro certo quoque habere, poſt mortem eorum animas qui virtutem coluerint (virtutem autem illi definiunt ſuo more, nẽpe vltionem ſumere de hoſtibus & quam plurimos mandere) pòſt altiſſimos montes euo-

Barbari de Deo vero audientes admirabundi defixi manent.

Toupan tonitru.

Pſal. 29.

Americani animarum credunt immortalitatem.

lantes, patrum & auorum ſuorum animis aggregari, ibíque in amœniſſimis hortis perpetuis deliciis ac tripudiis lætum æuum agere: (Hæc eſt longa illa Socratis peregrinatio, hi Poetarum Elyſij campi) ignauorum contrà manes, qui ſine vlla propugnandæ patriæ cura inglorij vixerunt, abripi ab *Aygnan*, (ſic illi cacodęmonem vocant) & cum eo ſempiternos inter cruciatus viuere.

Ioſeph. de bello Iudai. li. 2. c. 7.

Conſtat etiam Eſſenios Græcorum ſententiæ ſuffragantes, olim credidiſſe bonas animas carnalibus vinculis releuatas vltra Oceanum degere, (cui furori ſi fides eſſet adhibenda, Braſilia denotaretur) vbi eis ſit repoſita perfruitio: Illic quippe eſſe regionē, quæ neque imbribus, neque niuibus, neque æſtu aggrauetur, ſed quam Oceano oriens Zephyrus, & leniter aſpirans amœnet: malis autem animabus affirmant (ſeu potiùs ſomniant) procelloſa loca & hyberna deſtinari plena gemitibus exercendarum ſine fine pœnarum. Cæterum miſerrimi noſtri Barbari, in hac etiam vita miſerè ab Cacodæmone torquentur. (quem alio nomine *Kaagerre* vocant) ipſe enim eos nonnunquam vidi etiam nobiſcum colloquentes protinus inſtar phreneticorum exclamantes! *Hei, hei*, opem ferte nobis, nos enim verberat *Aygnan*, Immò affirmabāt illi cacodæmonem ab ſe conſpici modò beluæ ſpecie, modò auis, modò etiam portentoſa aliqua forma. Quia autem magnopere mirabantur nos ab cacodæmone non infeſtari.

Aygnán cacodæmon Barbaros vexat.



Itaque dicentibus nobis tormẽtis illis à Deo illo nos eximi, de quo frequenter illis verba faciebamus, qui Aygnano longè ſuperior eſſet, ac ne nobis moleſtiam vllam pareret obeſſet, non ſemel contigit, vt periculo vrgẽte, ſe in Deum credituros pollicerentur, malo autem liberati promiſſionis erant immemores. At verò vt conſtet tormenta quibus infeſtantur ludicra non eſſe, ipſe eos nonnunquã vidi, malũ illud recordantes adeo horrore perculſos, vt præ angore ſudantes manúque femur plaudentes, his verbis apud nos conquererentur. *Mair Atouraſſap, Acequeiey, Aygnan Atoupaué.* Hoc eſt mi ſtulte, mi ſocie, Cacodæmonem præ reliquis omnibus malis reformido. Si verò quis noſtrûm contrà his eũ compellabat verbis, *Nacequeiey Aygnan*, hoc eſt, ego verò Cacodæmonẽ non metuo, tum illi ſortem ſuam deplorantes, Ah, quàm nos felices eſſemus, ſi eo, ſicuti vos eſtis ab illo, tuti eſſemus! Tum nos excipiebamus credẽdum igitur eſſe in eum qui *Aygnan* eſt potentior. At illi, vt dictum eſt, quamuis periculo præſente ſeſe id facturos pollicerentur, mox ad ingenium ſuum redibant. Antequam progrediar vlteriùs, ad ea quæ de Barbaris animam immortalem eſſe credẽtibus, addam, id quod ab Occid. Ind. hiſt. ſcriptore eſt relatum, Barbaros Cuſco vrbis accolas non modò animarum immortalitatem, ſed etiã (præter Theologorum axioma Philoſophos omnes cæteróſque ethnicos ac Barbaros corporum

Peruenſes Barbari, corporum credũt reſurrectionem.

rum resurrectionem ignorasse, immò negasse) corporum resurrectionem credere. Quæ res hoc exemplo ab illo confirmatur. Indi, inquit, cum animaduerterent Hispanos sepulchra, vt auro, cæterísque pretiosis potirētur, aperientes ossa proiicere, ac dispergere, rogabant ne ita dispergerentur, ne illud resurrectioni obesset: illi enim (inquit) corporum resurrectionem vt & animæ immortalitatem credunt. Alius quoque author prophanus affirmat gentem Barbaram & ethnicam eò vsque processisse vt resurrectionem crederet. Hæc sunt illius verba. Postea Cæsar Ariouistum & Germanos deuicit, qui corporis erant insolita proceritate, fortitudine non minori, fortiter enim pugnabant, mortémque contemnebant, se resurrecturos opinantes.

Hist. Gen. Ind. lib. 4. c. 124.

Vide Appianum de bello Celtico. cap. 1

Hæc ego ideo commemoro vt intelligant omnes, si Athei, quorum plena hîc sunt omnia, id habent cum *Tououpinambaultijs* commune, quod sibi persuadent, & quidem portentosiùs quàm illi, nullum esse Deum, ab illis saltem discant Cacodæmones esse, qui in hac etiam vita eos excruciant, qui Deum, eiúsque potentiam inficiantur. Si verò obiiciant (quod faciunt nonnulli,) Cacodæmones aliud nihil esse quàm prauos hominum affectus, ac proinde stultè Barbaros ea imaginari quæ non sunt: Respondeo: si ea quæ à nobis verissimè dicta sunt considerentur,

In Atheos

nimirùm Americanos viſibiliter, & realiter à Cacodæmone excruciari, ex eo patere ſatis quàm ineptè crutiatus ille humanis tribuatur affectibus. Etenim quînam fieri poteſt vt quantumuis ſint violenti, homines vſque adeò afficiant? Ea omitto quæ quotidiana hic edocet experientia, immò etiam, niſi illud eſſet coràm porcis margaritas proiicere Dæmoniacos, quorum meminit hiſtoria Euãgelica à Chriſto ſanatos huc afferre poſſim.

Deinde quandoquidem Athei iſti indigni ſunt penitus, quibus ea proponãtur, quæ tã dilertè de animæ immortalitate ſacræ teſtantur literæ, Barbaros denuò illis noſtros opponam, à quibus, licet obcæcatiſſimis, diſcent animâ hominum præditum eſſe, quæ non modò nunquàm intereat, ſed etiam à corpore ſeiuncta, vel æternæ deſtinetur beatitati, vel damnationi ſit obnoxia.

Tertio, ad carnis reſurrectionem quod at tinet, quoniam canes iſti ſibi quoque perſuadent, corpus ſemel extinctum nunquam excitatum iri: Indos Peruenſes illis oppono, qui falſa licet ſint imbuti religione, immò non alio quàm naturæ ducantur inſtinctu, cum nefariis tamen iſtis in iudicio ſunt ſurrecturi. Verumtamen cùm ſint Cacodæmonibus ipſis peiores, (vti iam diximus) qui Apoſtolo teſte Deum vnũ eſſe credunt & horreſcunt, plus æquo illis à me tribuitur,

Iac.2 19.

buitur,

buitur, quando Barbaros Americanos illis pro doctoridus propono. Quapropter perditorum illorum mentionem in posterum non faciam, sed eos iam inde ad Inferos relego vbi portentosorum errorum suorum fructus promeritos percipient.

Ergo vt ad institutum sermonem meum reuertar, nimirum de eo quod religionis nomine apud Barbaros nuncupari potest, si diligenter id quod iā antè attigi perpendatur, eos nimirùm quibus alioqui maximè grata esset ab omnibus perturbationibus immunitas, audito tamen tonitru inuitus contremiscere, potētiæ cuiusdam metu, cui resistere nullo modo possint, inde facile est colligere nō solum Ciceronis sententiā à me initiò allatā apud eos locum habere, verū etiam metū illum potentiæ Dei quem agnoscere nolunt, ἀναπολογήτους illos redditurum esse. Ac sanè ex eo quod Apostolus dicit Deum qui præteritis temporibus siuit omnes Gentes suis ipsarum viis incedere, non tamen passum esse se expertem testimonij, bona tribuendo, dando cœlitus pluuias, ac tempora fructibus edēdis apta: patet satis solam hominum malitiam obstare quò minùs ad Creatoris sui notitiam perueniant. Alibi quoque dicitur Dei inuisibilia ex creatione Mundi perspici.

Act.14.17.

Rom.1.20

Itaque licet Americani nostri ore Deum non confiteantur, quandoquidem apud sei-

psos conuincũtur aliquam esse deuinitatem: Inde colligo eos excusabiles futuros, nec ignorantiæ prætextum merito captaturos esse. Verùm præter ea, quæ à me dicta sunt de animæ immortalitate, quam ipsi credunt, de tonitru, quem perhorrescunt, & de Cocodæmonibus, à quibus excruciantur: (quæ tria in primis sunt notãda) quartum insuper addam caput, ex quo manifestum erit tenebras densissimas quibus obruuntur minimè efficere vt religionis illud semen, (si modò nomen tam augustum rei adeo obscuræ conueniat) in illis non pullulet, aut penitus extinguatur.

Caraibes pseudo-prophetę.

Igitur vt narrationem ipsam ordiar, in primis tenendum est Prophetas, seu sacerdotes quosdam apud eos esse, quos ipsi *Caraibes*, qui vicatim commeantes miseris illis persuadent, se (quod cum Spiritibus commercium habeant) quibuscumque visum fuerit fortitudinem impertiri, qua bello hostes superẽtur; sed etiam sua ope fructus omnes, crassásque illas radices enasci, quas Americanum solum producere diximus. Præterea (quantum à Neustriis interpretibus accepi, qui multos annos in illis terris vixerant) *Tououpinambaultijs* id moris est, vt tertio vel quarto quoque anno frequentissimi conueniant. Cui conuentui ex inopinato vt mox dicam ipse interfui. De quo quæ sequuntur referenda habeo. Ego, cum Gallo quodam nomine Iacobo Ruffo, atque etiam interprete quodam

Neu

Neustrio peregrè profecti, in vico quodam diuertimus: postridie illius diei ad iter nos summo manè accingebamus, cùm vndiquaque confluentes accolas conspicimus. Vici verò illius incolæ aduenientibus sese adiunxerunt, ac mox sexcentenos in area quadam aggregatos videmus. Nos conuentus illius causam sciscitamur: consistimus: sciscitantes turbam illam in tres diuidi partes videmus. Viri omnes in casam quandam se recipiunt, fœminæ in alteram, pueri quoque in tertiam confugiunt. Ego, qui *Caraibes* aliquot viris permixtos videram, insolitum quid ab illis factum iri suspicans ab comitibus meis efflagito, vt mecum rem totam obseruaturi illic consistant: quod ab illis impetraui. *Caraibes* antequam fœminas & pueros dimitterent summa cautione prohibuerunt ne è casis suis egrederentur, sed diligenter ad cantum attēderent, nobis quoque indicūt vt in ea in qua erant mulieres casa delitesceremus. Nos qui ientaculo intenti eramus, atque eorum quæ acturi erant ignari, murmur quoddam submissum è casa, in quam viri secesserant erumpens exaudimus (casa porrò illa à nostra triginta fermè passibus distabat) mulieres quæ numero erant 200. stantes, auresque arrigentes in vnum veluti aceruum sese glomerant. Viris verò vocem paulatim attollentibus adeò vt eorum distinctæ voces à nobis exaudirentur hortantium istam interiectionem identidem repetentium.

Narratio de maxima Barbarorū celebratione.

Barbarorũ modulatio.



Vlulatus gestúsque horrendi fœminarũ Amer.

mox mulieres tremula voce eandem illam interiectionem recinentes audimus, *He, he, he*, &c. Vocem verò tantâ animi contentione sustulerunt, idque toto quadrantis horę spatio, vt nos spectatores in admirationem rapuerit. Ac sanè illæ non modò horrendum vlulabant, sed etiam magno impetu prosiliebant, mammásque suas concutiebant, spumámque ore emittebant, immo nonnullæ (non absimili ab iis modo qui comitiali morbo conflictantur) exanimes procidebāt. Quo fit vt credam Cacodęmonem corpus illarum inuasisse, eásque dæmoniacas repentè factas fuisse. Præterea perspectis iis quæ à Bodino libro cui Dæmonomaniæ nomen fecit de veneficarum exstasi, quam asserit veneficis omnibus quæ cum Cacodæmone expressum fœdus pepigerunt, familiarem esse, quæque nonnunquam spiritu rapiuntur, corpore sensus omnis experte remanēte, quamuis etiam & corpore & animo nonnunquam rapiantur. Adde(inquit ille) quod nusquam conueniunt quin choreas agant, inter quas quantum ex veneficarum quarundam confessione elicere potuit, conclamant omnes, *Har,har(* quod optimè cum *He,he,* Americanarum nostrarum conuenit,) *Dæmon, huc salta, illuc salta*: Aliæ verò respondent, *Sabbath, Sabbath*, hoc est festum, seu quietis diem, ma-

Lib.3. c.3.

Lib.2.ca.3. & li.3. c.1.

nus, ſcopáſque, quas in manibus habent attollentes, vt certiſſimum lętitię edãt ſignum, ſéque ex animo Dæmoni ſeruire ſignificent, atque adeò vt adorationem Deò debitã imitentur. Nam in Lege diuina Iſraelitis præſcriptum erat, vt ad Dominum manus attollerent, ac coram ipſo ſeſe exhilararent. His inquam perſpectis colligo Satanam vtrarumque Dominum eſſe: eáſque eodem duci ſpiritu, nec locorum interuallum obſtare quo minùs pater ille mendaciorum hîc & illic in eos agat, qui ſibi iuſto Dei iudicio traditi ſunt. Pueros conſimiliter conclamantes cùm audiſſem (etiam ſi iam per ſemiannum cum Barbaris egeram, ac penè eorum moribus aſſuefactus eram,) tamen, ne quid diſſimulem, nonnihil tum timui, præſertim quum quis rei illius exitus eſſet futurus ignorarem, tandem quum clamoribus illis finis eſt impoſitus, viris aliquantulum ſilentibus; pueris quoque & fœminis penitus tacentibus, mox viri tam ſuauiter, tantáque cum harmonia cantare cœperunt vt miro eos videndi tenerer deſiderio. Sed cùm è caſa illa exire vellẽ, & à mulieribus detinebar, & ab Interprete admonebar, ſe (qui ſeptem iam annos apud Barbaros exegiſſet) ad ſolennia illa accedere nunquã auſum fuiſſe, denique ſi accederẽ non ſatis prudenter me facturum. Quibus effecit vt puerili metu pauliſper hęreſim. attamen, quoniam ille probabilem nullam rei illius cauſam afferebat, fœminis & inter-

Deut. 12. 6.7.

Americanæ mulieres eodé cum veneficis noſtratib. ducuntur ſpiritu.

prete nonnulli reluctantibus, egressus sum: vetulorum quorundam vici illius incolarum amicitia fretus. Accedens igitur ad eum locum in quo concentum illum audiebam, ego vt commodiùs quid intus fieret perspicerē, casæ tectum manu perforaui. Sunt enim oblongæ ac rotundæ in morem pergularum hortensium nostratium, herbísque à summo ad imum contectæ. Inde comites meos digito innuens aduoco, ac tandem in casam illam ingredimur. Barbaros vt vidimus præsentia nostra non commoueri, (quod futurum suspicabatur Interpres) immo ordines optimè seruare, ac versus suos persequi: in angulum quoddam secessimus, ac otiosè eos contemplati sumus. Atque vt id exequar quod pollicitus sum superiùs, descripturum me esse alterum chorearum genus: Hi sunt eorū inter saltandum gestus. In orbem dispositi erant, sibi mutuò adhærentes: manus tamen sic mutuò non apprehendebant proni, corpore nōnihil inclinato, alteram tātum è tibiis, nimirum dextram, succutientes, manu dextera clunibus imposita, sinistra verò pendula, atque hoc habitu & cantilabāt, & tripudiabāt. Tres istiusmodi orbes vniuersa illa multitudo constituebat in quibus mediis terni erant aut quaterni *Caraibes*, pileis, vestibus atque armiliis plumaceis ornati. Eorum singuli vtraque manu *Maraca* gestabant, hoc est crepitaculum illud è fructu struthiocameli

ouum

Quæ sit casarum Americ. forma.

Barbarorū in orbem saltātium gestus.


Caraibes Maraca cō sectantes.

ouum magnitudine ſuperante, cuius iam antè facta eſt mentio, in eum inquiebant vſum, vt ex illis Spiritus loqueretur : atque vt ea ritè conſecrarent continuò concutiebant. Hos eo habitu commodiſſimè conferre poſſum cum circulatoribus papiſticis, qui ementita diuorum Antonij, & Bernardi fercula, aliáque idololatriæ inſtrumenta circunferentes miſeræ plebeculæ imponunt. Porrò typo, quem ſubiecimus & tripudiatorem, & *Caraibem Maraca* quatientem oculis conſpiciendum præbemus.



Insuper *Caraibes* illi ſaltantes modò progrediebantur, modò regrediebantur, nec continuò vt cæteri in eodem loco fixi manebant. Præterea obſeruaui eos frequenter cãnâ prælonga, cui *Petum* herbam accenſam imponebant, huc & illuc ſeſe conuertiſſe, ac herbæ illius fumum in circunſtantes exſufflaſſe cum his verbis. Accipite omnes Spiritum fortitudinis quo hoſtes veſtros ſuperetis. Id verò ab *Caraibibus* iſtis ſæpius eſt factitatum. Rituum iſtorum celebratio in duas horas producta eſt: viris illis continuò ſaltantibus, & cantillantibus. Concentus verò eorum adeò ſuauis erat, vt inexpertis vix ſit credibile quàm optimè ſymphonia illa quadret, præſertim cùm Barbari Muſicæ artis penitus ſint ignari. Ac ſanè cùm initiò aliquo fuiſſẽ perculſus metu, vt nuper commemoraui, contrà tunc tanta fui lætitia perfuſus, vt non modò extra me raptus fuerim: ſed nunc etiam quoties mihi in mentem venit concentus ille, & exultat animus, & eo aures continuò perſonare videntur, præſertim verò rithmi epodiũ gratum auribus ſonum exhibebat, quod poſt ſingulos verſus ad hunc modũ modulabãtur.

Caraibes Barbaros exſufflãtes



Modulationi illi finem impoſituri pede dextero vehementiùs quàm antea humum quatientes ſinguli quoque ſputum emiſerunt, at-

que omnes vna voce, eáque rauca, hunc crebrò repetitum modulabantur cantum.



He he hua he hua hua hua.

Tum ego qui, quòd eorum linguam nondum planè callerem, non pauca eorum quæ ab illis fuerant dicta non ceperam, Interpretem rogo vt ea mihi explicare velit. Ille mihi ſignificat iſtos primùm quidem auos vita functos, qui fortiſſimi fuerant, luxiſſe, tandẽ verò conſolationem ex eo cepiſſe quòd ſperarent futurum vt illos tandem pòſt montes adirent, ac cum̃ illis tripudiarent & hilaria celebrarent: deinde grauiſſimè *Ouetacatibus* (populi ſunt non multùm ab eis remoti, quibuſcum inimicitias perpetuas gerunt, quos etiam ſuperare nunquam potuerunt,) interminatos eſſe, ac prædixiſſe futurum vt breui caperentur ac deuorarentur, prout ab *Caraibibus* ominatum erat. Inſuper neſcio quid cantionibus ſuis interſeruiſſe de diluuio aquas olim adeò exundaſſe, vt vniuerſam terram operuerint: atque illa inũdatione homines omnes fuiſſe extinctos exceptis demum maioribus ſuis, qui prealtas arbores cõſcenderant. Quod poſtremum proximè ad ſacram accedit hiſtoriam & ab illis aliàs non ſemel audiui. Veriſimile eſt autem illos de Diluuio quod Noachi temporibus contigit aliquid audiuiſſe, ac poſteà (quæ eſt hominum in veritate obſcuranda procliuitas, adde quod vt

Confuſa Barbarorũ opinio de diluuio.

nuper attigi, omni carent ſcripturæ genere, ac proinde difficile eſt illis res vetuſtate obſitas ab mendacio ſartas tectas conſeruare) fabulam illam confixiſſe, Proauos nimirùm ſuos proceris arboribus conſcenſis ſaluti conſuluiſſe.

Sed ad *Caraibes* noſtros redeamus. Illi eo die ab Barbaris lautè excepti fuere, nam & cibis exquiſitiſſimis, & largo potu *Cauoin* liberaliter fuerunt tractati. Ego quoque cum ſociis meis qui inopinato Bacchanalibus illis interfueramus à *Mouſſacat* noſtris, hoc eſt patribusfamiliâs, qui victum hoſpitibus præbent, lautiſſimè fuimus excepti. Præter ea autem quæ à me dicta ſunt, diebus illis (quibus hæc ſolennia tertio quoque anno celebrantur apud *Tououpinambaultios*) exactis aliquando quoque antequam aduenerint, *Caraibes* illi vicatim circumeunt, plumis præſtantiſſimis in ſingulis familiis iubent ornari tria quatuórve illa crepitacula quæ *Maraca* nominant: quibus ita ornatis, longiorem baculi quo transfiguntur partem humi defigunt, tum cibum potúmque eis apponi iubent. Quo fit vt miſeri illi ex impoſtorum illorum perſuaſione credant fructus illos excauatos atque ad illum modum ornatos, cibos abſumere. Quare ſinguli *Mouſſacat* diligenter eis apponunt non modò farinam cum carnibus & piſcibus: verùm etiã *Caouin*. Quinimmò *Maraca* illis in terrã ita defixis totos dies quindecim ſumma cum diligentia

Maraca Apparat⁹.

Craſſa ſuperſtitio.

ministrant. Denique miseri illi post fascinationem illam tantam de *Maraca* illis (quæ continuò manu gestāt) opinionem induunt, vt sanctitatem illis tribuentes, affirment dum ab se concutiuntur spiritum quendam secum è mediis illis colloqui. Adeo autem erāt prę-stigiis illis fascinati, vt si nos illac iter facientes conspectis delicatioribus quibusdā cibis quos *Maraca* suis apposuissent, edendos accipiebamus, (quod sæpe factum est à nobis) Barbari magnum aliquod infortunium inde nobis euenturum rati, non minùs offendebantur, ac solent superstitiosi, ac Baalis sacerdotum successores, si libationes idolis suis oblatas abripi videant: Quibus tamen in Dei contumeliam tum ipsi, tum meretrices cum spuriis suis aluntur. Præterea si ex eo abrepta detegendi eorum errores occasione, significaremus se ab *Caraibibus* decipi non modò in eo quod *Maraca* edere ac bibere docerent, seu præsertim in eo quod falsissimè iactarent sua opera, fructus & radices crassas quibus vescerentur, nasci: quod soli Deo in quē crederemus esset acceptum ferendum: hęc inquam tanti erat apud eos momenti, ac si quis hîc in Papam obloquatur, vel Lutetiæ Genouefæ ferculum pluuiam ciere negarit. Quam ob causam impostores illi *Caraibes* non minore nos prosequebantur odio, atque olim Baalis pseudoprophetę Eliam suas præstigias detegentem. Ac proinde conspectum nostrum fugiebant. Cæterùm licet *Tououpinambaultij* nostri,

Crassissimus error.

1. Reg. 18. 19.

Veritas mendaciū fugat.

nostri, vt à me initio huius Capitis est dictũ, externo ritu nullo, immò ne adgeneliculatione *Caraibes* suos nec *Maraca*, nec rem vllam creatam colant, multò minùs adorant, vel inuocant. Exemplum subiiciam earum quas in illis obseruaui religionis reliquiarum. Cùm fortè aliquando cum aliis Gallis aliquot in quodam pago essem (*Ocarentim* ipsi nominant) & in aperto ac propatulo cœnaremus, confluentes Barbari eius vici incolæ, nostri contemplandi non conuiuandi gratiâ (nam hoc de more habent, vt cum iis quos maximè colunt nusquam conuiuentur) maiores natu præsertim, cum multis beneuolentiæ signis nos tanquam stipatores nostri circunstabãt. è naribus piscis cuiusdam os longitudine trium quatuórve pedum, in serræ formam, præ manibus habentes pueros à nobis arcebant his verbis: Procul este, nebulones: estis enim indigni qui ad viros istos accedatis. Nos verò ne minimo quidem verbo dicentes interfati, attentè & tacitè intuebantur. Donec peracto conuiuio magno natu quidam quum obseruasset nos à precibus cibum auspicatos, precibus cibum auspicatos, preci bus quoque cœnam clausisse, accedens ita infit. Quid sibi vult hic ritus, quo vos modò vsi estis, cùm sublatis pileis omnes præter vnum qui loqueretur silentium tenuistis? ad quem pertinebat ea oratio quam ille habuit? Vestrúmne præsentium ad aliquẽ, an ad ab-

Vetuli Barbari quomodo Gallos excipiant.

Occaſio veri Dei annunciandi Barbaris.

ſentium? ibi ego opportunè oblatam eam occaſionem arripiens, vt apud eos de vero Dei cultu loquerer: cùm præter eius pagi amplitudinem & frequentiam, Barbaros etiam ſolito attentiores animaduerterem: rogare Interpretem noſtrum vt ſuis verbis meum illis ſermonem quoad capere ipſi poſſent explicaret. Tum à quęſtione ſenis exorſus, preces noſtras ad Deum dirigi reſpõdi: eúmque etſi ſub ipſius aſpectum non caderet, non tantùm liquidè audiuiſſe nos ſed etiã quidquid pectore occultum haberemus, id perſpicuè cognoſcere. Inde ad creationem mundi delapſus, in primis laboraui, vt docerem hominẽ nobiliſſimum inter creaturas à Deo eſſe conditum: vt eo magis celebrandæ opificis ſui gloriæ ſtudeat. Ac nos quidẽ quòd ipſum coleremus eius manu infinitis periculis longiſſimæ nauigationis in tam vaſto mari eripi, eiuſdémque ope fretos ad omni *Aignan* metu tum in hac, tum in ventura vita eſſe liberos. Quare ſi *Caraibum* ſuorum impoſturas, & Barbarum deuorandæ humanæ carnis morẽ abiicere vellent, eadẽ prorſus Dei dona conſequuturos, quæ nos habere cernerent. Multa præterea de humani generis labe ac ruina, vt eorũ animos ad Chriſtũ prępararemus ſubiecimus, quoad eius fieri potuit acommodatis ad eorum captum rationibus & exemplis: (prout legimus à Paulo & Barnaba factum, qui Liſtrenſes ab idololatria ad verum

Act. 14.15

verum Dei cultum reuocaturi docebant, vt à vanis rebus, quibus dediti erant ad Deum viuum conuerterentur, qui fecit cœlum & terram & omnia quæ in eis ſunt) quę in pręſens fuſiùs perſequi ſuperſedeo. Illi quum nos ingenti cum admiratione duas amplius horas perattentè auſcultaſſent. tum vnus ex iis authoritate & ætate grauis, in hũc modum diſſeruit: Mira, equidem optima & nobis non antè audita, hic dixiſtis. Ac veſtra quidẽ oratio mihi in memoriã redigit, quę nobis ſæpe auos noſtros narrantes audiuimus: Nempe iam inde à priſcis temporibus, & tã multis ab hinc Lunis quot iam meminiſſe non poſſumus (quippe illi Lunarum numero aut vicibus: non menſibus atque annis temporũ ſpacia definiunt) veniſſe in has terras quendam *Mair*, (id eſt Gallum ſeu qualibet alia è gente aduenam) veſtro more veſtitum & barbatum. Atque eum, vt ipſos ſub Dei veſtri obſequium duceret, eadem oratione apud eos eſſe vſum qua nos hodie affamini. Sed, vt nobis quoque à Patribus per manus traditum eſt eos illius verbis fidem adhibere noluiſſe. Itaque mox ſucceſſiſſe alium, qui Enſem, ſymbolum maledictionis, illis traderet. Inde ſequuta inter nos bella, neque ex eo mutuis cædibus alii in alios ſæuire deſtitimus, Nunc vero poſtquam diuturno vſu his aſſueuimus, ſi nunc repente auitum morem exueremus,

Barbari de vero Deo ſermonẽ audientes obſtupeſcunt.

Notatu digniſſima Barbari narratio.

apud vicinas gentes ludibrio & deriſui eſſemus.

Hîc nos ſumma contentione ac vehementia teſtari tantùm abeſſe, vt finitimorum ludibriis moueri oporteret, vt contrà, ſi ſummũ illum & cœli & terræ opificem ſeriò colerent, de omnibus, qui ob id vltrò moleſti eſſent, victoriam referrent. Poſtremò eam verbis noſtris efficaciam addidit Dominus, vt non multi tantùm Barbarorum, ad eam quam ex nobis didiciſſent legem, deinceps vitam compoſituros, nec cæſorum hoſtium carnes vltrà eſturos ſe promitterent: ſed ſecundum hoc Colloquium, poſitis humi genibus, nobiſcum Deo gratias agerent. Ea oratio quæ ab vno è noſtris clara voce in medio eorum cœtu ad Deum concepta fuerat, mox illis per interpretem expoſita eſt: nos ab illis in penſilia è bombyce cubilia, dormitum deducimur: Sed nondum ſomnus nos corripuerat, quum ecce iſtos cantantes, & conclamantes, audimus. Sumendam de hoſtibus vltionem, & plures quàm antea eſſe mandendos. En inconſtantiã miſeri huius populi, & humanæ naturæ triſte exemplar. Mihi tamen equidẽ perſuadeo, ſi Villagagno nunquam à vera Religione deſciuiſſet, & nos diutiùs in illis terris morati eſſemus, fore vt aliqui tandem Chriſto lucrifierent.

Barbari Dei cultui adhærere pollicẽtur precibúſq; interſunt.

Id mihi ab illo tempore non ſemel in mẽtem venit quod dixerat ille à maioribus ſibi

per

per manus traditum fuisse, *Mair* quendam, hoc est nostratem hominem, (neque enim Gallúsne fuerit an Germanus multum laboro) ad se deuectum, verum sibi Deum annun tiasse: Ac quærere apud me cœpi an non ex Apostolis quendam innuant. Ac sanè, quamuis eos libros meo calculo comprobare nolo, qui præter Dei verbum de Apostolorum peregrinationibus mira narrant, Nicephorus de Diuo Matthæo agens, scribit illum apud Cannibalas Euangelium prædicasse, qui & ἀνθρωποφάγοι sunt, nec multum ab Tououpinambaultiis distant. Sed multo magis mouet me Diui Pauli, quem ex psalmo 19. desumpsit locus, In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terrarum verba eorum, quod à doctis quibusdam interpretibus ad Apostolos refertur. At enim quandoquidem constat Apostolos in remotissimas vsque orbis partes penetrasse, quid incommodi ex eo consequetur, si asseramus vnum aut plures Apostolos in Americam commeasse? Faceret illud quoque ad generalissimam expositionem, quam nonnulli afferri volunt dicto illi Christi, fore vt prædicetur Euãgelium regni in vniuersa terra. Quod tamen præcisè de Apostolornm ætate affirmare nolim. Confirmo tamen (quod à me iam initiò est dictum) me nostra memoria Euangelium apud Antipodas annuntiatum vidisse & audisse. Itaque & obiectio soluetur quæ illi loco fieri solebat, & Barbari in extremo die magis

Lib. 1, cap. 41.

Rom. 10. 18.

Mat. 24. 14

Euangeliũ nostra ætate apud antipodas annuntiatũ.

fient ἀναπολόγητοι: Ad reliquum verò Americanorum ſermonem quod attinet, quo affirmant maioribus ſuis recta docenti & monenti obſequentes ſe præbere recuſantibus, gladium datum fuiſſe, quo etiam nunc ſe mutuò trucidant: non alienum ab eo videtur, id quod eſt in Apocalypſi equo rufo inſidenti datum fuiſſe vt tolleret pacem è terra, vt alij alios mactarent, datúmque fuiſſe ei gladium magnum. Hæc ſunt ipſa Ioannis verba, quæ, quo ad literam (vt loquuntur) ad *Tououpinambaultiorum* noſtrorum ſermonem proximè accedunt: Attamen, ne ſententiam detorquere, néue longius petita afferre videar, locum hunc aliis applicandum relinquam.

Cap.6.4.

Interim alterum ſuccurrit exemplum, ex quo patet Barbaros illos Braſilienſes, ſi modò diligenter docerentur, ſatis dociles eſſe, vt ad veram Dei cognitionem perueniãt. Exemplum illud hoc loco inſeram. Ego cibariorũ parandorum cauſa in continentem tranſductus, cum Barbaris duobus *Tououpinambaultijs* ac tertio *Oueanen* (quę gens eſt *Tououpinambaultijs* fœdere iuncta) qui cum vxore amicos inuiſerat, atque tum domum redibat. Cum his tribus iter per ſyluam faciens, noua arborum herbarúmque ſpecie, ſimul canoro auium concentu, ad prædicandas Dei laudes imitatus totum pſalmum 104. alta voce cecini. Tres illi mei comites adeo cantu (neque enim verba capiebant) ſunt delectati, vt *Oueanen* ille finito pſalmo vultu maximè hilari

Nota ſermonis ſerié & quæſtiones Barbari.

lari

lari his me compellarit verbis. Tu ſanè ſuauiſſimè ceciniſti ac tuus cantus mihi in memoriam reuocauit gentis cuiuſdam, quæ & vicina, eſt nobis & ſocia modulationem: Quo non mediocri affectus ſum lætitia. At (inquit) illius verba capimus, tua verò minimè: Quæſo igitur vt quidnam id ſibi velit quod ceciniſti nobis exponas. Ego, tum quantum potui copioſè (ſolus enim tum Gallus cum illis eram, duo verò me in proximo vico opperiebantur) expoſui me in genere Deum celebraſſe ob rerũ conditarum pulchritudinẽ, ac earũ adminiſtrationem: Speciatim verò id illi à me tributum fuiſſe, quod ſolus homines cæteráque animantia alat, quódque arbores ac plantas, quæ in vniuerſo ſunt terrarum orbe eius vi ac potentia enaſcantur. Cantionem porrò illam iam olim ante decem Lunarum millia (quæ ſola eſt illis temporum diſtinctio) à Dei illius mei Spiritu dictatã fuiſſe, atque ab Propheta ex noſtris ſummo cantatam, & poſteris in eundẽ vſum traditam. At hæc Barbari, (prout ſunt ad ea quæ dicuntur attentiſſimi, & cœptum ſermonem minimè abrumpunt) hunc meum ſermonem, quem in ſemihoram produxeram auidè excipientes ingenti cum admiratione in exclamationem hanc eruperunt. *The*! quàm vos *Mair* (ſic illi Gallos appellant) fœlices eſtis, qui tot arcana ſciatis quæ nobis miſeris occulta ſunt! Inde ex illis quidam vt mihi gratularetur animalculum *Agoti*,

Barbari ſuã agnoſcunt obcæcationem.

quem gerebat,(de quo Cap. 10.) ita me cõpellans dono dedit. En tibi quia ſuauiter acciuiſti.hãc ego digreſſionẽ haud grauatè adiunxi, vt docerem Barbaros Americanos quantumuis in hoſtes ferociſſimos, non adeò eſſe agreſtes vt ea quæ audiunt cum iudiciò non diſcernant. Immò auſim affirmare illos ſermonibus texendis aptiores eſſe quàm ſint ruſtici noſtrates,atque adeo ex illis permulti, qui vel magnificè de ſe ſentiunt.

Vndénam originem traxerint Barbari.

Iam ſupereſt vt quæſtionem expediam, quæ hinc oritur, vndenam Barbari Americani genus duxerint. Ego verò primùm aſſero quidem eos ex vno filiorum Noachi originem traxiſſe, ſed à quo non iſta conſtare: Quod neque ex ſacra hiſtoria, neque ex profana confirmari poſſit. Conſtat quidem Moſem,vbi de Iapheti filiis verba facit, eos Inſularum incolas fuiſſe aſſerere, ſed quia omnes in eo conſentiunt, quod eo loco Moſes Græciam,Galliam,& Italiam deſignet, quas regiones,quod interiectum ſit mare, inſulas appellat,minimè conſentaneum eſt illud ad Americam referre. Neminem quoque credo aſſenſurum ſi dicantur à Semo oriundi à quo Iudæi & ſemen benedictum: licèt ipſi quoque vſque adeo fuerint deprauati vt eos tandem meritiſſimè, reiecerit Deus.Itaque quãdoquidem illi earum rerum penitus ſunt ignari,quæ ad ſalutem æternã ſpectant,(quam in ſolo Chriſto ſumus adepti,) ſintque gens (ſi quæ alia)à Deo maledicta & derelicta:etſi

Gen. 10.5.

ad

ad hanc vitam quod attinet iam demõſtraui atque demõſtrabo etiã deinceps, eos de rebus iſtis caducis non admodũ ſolicitos eſſe, quo fit vt vitam hilarem ac ferme curis vacuam tranſigant, contrà quàm faciunt noſtrates non pauci, terrenis iſtis adeo inhiantes, vt veriùs languere quàm viuere dicantur probabiliùs eſſe videtur eos à Chamo originem trahere. Quam ſententiam hac coniectura, veriſimillima confirmo. Cùm Ioſue iuxta promiſſiones Patriarchis factas mandatúmque ſibi peculiariter datum in terram Chanaam ingrederetur, teſtatur Scriptura, tantum terrorem irruiſſe ſuper illius terræ incolas, vt diffluxerint metu Iſraelitarum: vnde etiam fieri potuit (quod aliorum pace dixerim) vt Americanorum noſtrorum Maiores, Iſraelitarum conſpectum fugientes mari ſe commiſerint, ac tandem in terram Americam appulerint. Quinetiam Gomara, hiſtoriæ Indicæ ſcriptor, vir eruditus, exiſtimat Peruẽſes, (quorum terra Americæ eſt continẽs à Chamo originem ducere, ac maledictionis diuinæ in Chamum hæredes eſſe. Quod mihi in mentem venerat & in commentarios retuleram, annis 16. antequam Gomaræ libros conſpexiſſem. Huic quoque ſententiæ id ſuffragari videtur, quod in Sapientiæ libro ſcriptũ extat, cap. 12. ver. 4.5. Antiquos habitatores terræ ſanctæ, viſcera comediſſe humanarum carnium. Attamen quia multa aduerſus iſthæc afferri poſſunt, prout multos in ob

Americani feliciter hanc tranſigunt vitam.

Ioſ. 2. 9.

Li. 5. c. 217.

iectionibus afferendis laboraſſe ſcio, nihil mihi hac de re ſtatuendnm exiſtimo. Ergo fruatur vnuſquiſq; ſua ſententia,vt vt ſit,ego pro mea parte, certiſſimò ſcio eos homines eſſe,ex Adami corrupto ſemine prognatos, ac tantum abeſt vt eorum in diuinis rebus ἀναισθησία perſpecta, fides mea quæ aliunde, per Dei gratiam firmatur, concuſſa aut labefactata fuerit,multò minùs,vt inde, Atheorum & Epicureorum more, aut nullum eſſe numen,aut ſi quod ſit rerum humanarum curam abieciſſe cōcluſerim: Cùm potiùs agnito in illis maximo diſcrimine quod eſt inter eos qui Spiritu Sancto & Sacrarum literarum lumine ſunt illuſtrati, & alios qui cæcitati ſuæ ac reprobo ſenſui ſunt traditi,magis ac magis fuerim in amplexanda cœleſti veritate confirmatus.

CAP. XVII.

De coniugio,polygamia, & conſanguinitatis gradibus quos Barbari obſeruant: déque liberorum apud eoſdem educatione.

Conſanguinitatis gradus.

IN coniugiis hi tantum obſeruantur conſanguinitatis gradus: Nemo eorum matrem, ſororem, vel filiam in vxorem ducit: reliquorū ratio nulla habetur:patruus neptem ducit,at-

que

que ita deinceps. Tamen, vt infrà dicetur in Colloquio Americano, nemo filiam aut sororem sui *Atourassap* matrimonio sibi iungere potest. Is autē *Atouraßap* dicitur, cuius tanta est cum quodam necessitudo, vt bona inter vtrumque sint communia. Ritibus verò seu ceremoniis nullus est locus. Qui viduam aut virginem cupit, comperta amatæ voluntate parentes, aut si desint, propinquos adit, rogátque num filiam suā sibi nubere velint? Si annuant, eam continuò domum deducit, nullo conscripto dotali instrumento (perscriptoribus enim apud Barbaros nullus est locus) atque pro legitima vxore habet. Si vero repulsam patiatur, absque vlla animi perturbatione, cœpto desistit. Sed notandum est polygamiam apud eos in vsu esse, ac proinde cuilibet viro tot vxores ducere, quot visum fuerit licere. Immo quò plures quis habuerit, eò fortiorem & generosiorem censeri. Inter cæteros quendam vidi qui octo Domi haberet, atque de illis non rarò permulta in sui commendationem prædicaret. Id verò est maximè mirandum quòd in tanta vxorum multitudine, licèt vna præ cæteris à viro diligatur, cæteræ nusquam illud ægrè ferāt, aut Zelotypia ducātur, aut apertè mussitent. Itaque tranquillissimè & maximè concorditer viuunt, sua xylina cubilia texentes, rem familiarem curantes, hortos construentes, radices plantantes. Dispiciant verò omnes, annon (etiamsi polygamia à Deo non esset prohi-

Polygamia.

Cōcordia inter Americ. mulieres admiranda.

bita) inter mulieres nostrates tam bene conuenire posset. Meliùs sanè cum quouis ageretur si ad triremes demãdaretur, quàm vt tãto rixarum inuolucro implicaretur. Huius rei testis est Iacobi Sancti Patriarchæ anxietas, ductis Lea & Rachel quãtũuis sororibus. Qui verò fieri posset vt nostrates mulieres plures vna simul viuerent? vt vna illa quæ à Deo in adiutorium viro data est non rarò instar mali cuiusdam genij domestici eum vexet? Attamen non eo hæc à me dicuntur animo, quasi eas insimulare velim quæ sese in officio continent, hoc est, obsequium cultúmque viris debitum exhibent: quin immò has quæ sibi hac ratione laudem conciliant, tantò magis laudandas, quàm reliquas vituperandas existimo. Atqui, vt ad institutum de Americanorum coniugiis sermonem reuertar, sciẽdum est adulteras mulieres adeo Barbaros abominari, vt sola naturæ lege ducti, hæc obseruent in viri sitam esse potestate adulterã, vel mactare vel saltem summa cum ignominia & opprobrio dimittere. Hoc quidem verum est eos de innuptiarum pudicitia conseruanda non admodum sollicitos esse: immò facilè cuiuis eas prostituere. Ita vt (quod iam à nobis est dictum) permultas in variis pagis ab Neustriis Interpretibus compressas viderim, quibus tamen nulla ob eam rem ignominiæ nota inusta erat. Nuptæ verò diligenter caueant ne hac in parte peccent, ni mactationis aut ignominiosę dimissionis pœnam velint

Gen. 29. & 30.

Adulteriũ abhorrent Am.

velint incurrere.

A me præterea est obseruatum, (quamuis illi regionem calidam incolant, ac contrà quàm de orientalem plagam incolentibus vulgò dici solet,(Iuuenes cum mares tũ fœminas libidini non admodum deditos esse. Atque vtinã nostrates æquè sibi hac in parte temperarent. Verùm ne plura quàm par sit illis tribuam, memini eos nonnunquam inter rixandum, conuitium hoc *Tyuire*, hoc est, ἀρσενοκοῖται, mutuò sibi obiicere solitos, ex quo coniicere est (neq; enim pro comperto habeo, nec asseuerare velim) flagitium illud apud eos locum habere.

Grauidæ mulieres, ab grauioribus oneribus tantùm abstinẽt, reliqua munia consueta exequuntur. Ac sanè mulieres multò, labore viros antecedunt, viri enim(nisi quod aliquãdo matutino tempore, nusquam meridiano, arbores quasdam ad hortos cõstruendos collocant) tempus insumunt in militia, venatione, piscatu, clauis ligneis fabricandis, arcubus, sagittis, aliísque id genus. Ad mulierum partum quod attinet, non auditione accepta, sed visu percepta referemus. Ego aliúsque Gallus in vico quodam diuerteramus, circa mediam noctem clamorem muliebrem ingentem exaudimus, surgimus, eam ab belua *Jan-ouare* interceptam rati, accurrimus, mulierem parturientem offendimus, cui vir obstetricabatur: is puerulo in vlnas recepto dentibus vmbilicum abscidit, nasum verò de-

Grauidæ mulieres Americ. quomodo se gerant.

Viri Amer. vxorib. obstetricantur.

pressit,(illi enim puerorum formam in simitate collocant contrà quàm faciant obstetrices nostrates, quæ infantulorum recens natorum ad elegantiam protrahunt) quod etiam apud cæteros omnes locum habet editus in lucem infantulus statim lauatur, ac coloribus atro & rubro ab patre depingitur: tum, fasciis minimè inuolutus, xylino cubili pensili imponitur. At si masculus fuerit, pater ligneum gladiolum, pusillum arcum, & paruas sagittas iam inde ab natiuitate ei dabit, lectulóque cum puero imponet, ac puerulum osculis, hísque compellabit verbis. Mi fili, vbi adoleueris, ad vltionem de hostibus tuis sumendā fortis esto. Ad nominū impositionem quod attinet, memini eum de quo modò egi ab parente *Orapacen* nominatum fuisse. Quæ dictio arcum & neruum sonat: vox enim est composita ex *Orapat* quod est arcus, & *Cen* neruus. Eadem quoque in aliis seruatur ratio. Nam illi sine delectu rerum sibi cognitarum nomina liberis imponunt, vti nos canibus, aliisque nostratibus brutis: verbi gratia, *Sarigoy*, quadrupes animal: *Arignan*, gallina: *Arabouten brasilia arbor*: *Pindo* herba prægrandis: & sic de aliis.

Quare Barbar. infantulis deprimatur nasus.

Infantuli crepūdia.

Quę sit Americ. nominum imponendorum ratio.

Alimentum est præter lac maternum, farina mansa, & tenerrimum quodq; cibi genus. Puerpera biduo tātùm, aut ad summū triduo discumbit, deinde puerulo mitella xylina imposito vel hortum petit, aut ad cætera expedienda negotia proficiscitur. Quæ tamen non

Infantulorum alimētum.

non ita ſunt accipienda, quaſi noſtratium mulierum cõſuetudini detractum quicquam velim, quæ ob aëris intemperiem viginti minimùm dies reſupinæ in lecto iacent: Quęque adeò ſunt delicatæ vt nulla vrgente neceſſitate, ſimulac liberos ſunt enixæ, procul ab ſe eos ablegent, atque adeò vel inſciis ipſis extingũtur, vel ſaltem iam grandiuſculi ſint, oportet vt luſibus eas oblectent, antequam domum admittantur. At vero ſi delicatulæ quædam querantur iniuriam ſibi à me fieri, qui eas cum Barbaris mulieribus comparem, quarum, inquient, ruſticitas nihil habet cum ſua teneritudine commune: Equidem ad leniendum acerbum iſtud dictum eas ad Bruta ipſa animantia remittam. Quæ quidem vniuerſa ne exceptis minimis auiculis vna veluti voce eas docebunt generi animantium omni à natura eſſe inditum, vt de prolis educatione ſit ſolicitum. Atque vt tandem obiectiones omnes anteuertam, quæro ab iſtius farinæ mulierculis annon ſint delicatiores regina quadam Gallica? quæ cum comperiſſet puerulum ſuum alienæ mulieris lac exuxiſſe, materno accenſa affectu, adeo excanduiſſe fertur, vt non priùs conquieuerit, quàm Infantulus lac alienum euomuiſſet?

Sed ad rem, apud nos hęc obtinuit opinio, puerulos, niſi diligenter faſciis inuoluerẽtur, ac conſtringereutur, diſtortis futuros cruribus: Atqui aſſero iſthæc minimè à Barbaris curari (vt pote qui infantulos recens natos

nudos ac minimè religatos lectis xylinis imponant) quorum tamen liberi omnium mortalium rectissimè incedunt. Fateor equidem aëris temperiem ad id plurimùm valere, ac proinde concedo, puerulos nostrates hyemis tempore diligenter esse inuoluendos ac fasciis in cunis religandos, quòd alioqui frigori ferendo sint impares. At æstate ac temperatis anni tempestatibus, præsertim cum gelu non riget, (cùm bona tamen aliorum venia) censuerim, quantum experientia assequi potui, infantulos vinculis illis esse soluendos atque in libertatem vindicandos, genere quodam cubilis ad id excogitato ex quo decidere minimè possent. Ac sanè in hac sum sententia, nõ parum incommodi afferre calorẽ summum, quo æstatis tempore pueruli apud nos fasciis reuincti quasi percoquuntur.

Infantuli Americ. mundissimi absque linteorũ vsu.

Ne tamen plura quàm par sit satagere me ab nonnullis obiiciatur puerulos nostrates parentibus & nutricibus educãdos relinquo. De Americanis verò, addo matres quę & linteis carent, & foliorum (quorum tamen maxima illis suppetit copia) ad hæc ministeria non vtuntur adminiculo, frustulis ligneis tam diligenter posteriora infantulorum abstergere, vt ab omni sorde continuò sint immunes. Adultiores quoque eandem seruant rationem, quos etiam (in fœdam istam materiam paulisper degrediens) commemorare libet, in casis quidem mingere consueuisse, nec tamen fœtorem vllum inde oriri: licèt ignibus

bus crebris ferè iugiter colluceant, atque arena ſint ſtratæ: at quoties aluum ſunt exoneraturi, procul ab ædibus ſecedere ſolitos. Præterea, cùm Barbari de liberis ſuis ſingulis ſint ſoliciti, quorũ in ſingulis familiis magnus eſt numerus,(non tantus tamen vt occurrat Pater qui ſexcentos filios ſuſceperit, prout Gen. Ind. Scriptor affirmat ſe regem vidiſſe cui tot eſſent liberi,quod meritò quidem inter prodigia eſt recẽſendum,) tum verò maximè mares diligunt quod ſoli bello ſint apti,ac vindictę de hoſtibus ſumendę ſint cupidiſſimi.Iam verò ſi quis quærat quonam eos imbuant à teneris eruditionis genere? Reſpondeo:ex iis quæ à me capitibus 8. 14.& 15.de eorum ingenio, bellis, ac hoſtium deuorandi ratione dicta ſunt facile eſſe colligere,eos,quibus ſcholę ne auditione quidem notæ ſunt,bonas artes minimè edocere. Ac proinde,eos tanquam veros Lamechi, Nimrodi,& Eſaui ſucceſſores,non modo venatores eſſe &bellatores ſed etiam hominum mactatores & deuoratores.

Cap.16.

Gen. 4. 13. & 10. 8.9. & 27.23.

Quibus in rebus occupentur Barbari.

Inſuper de *Tououpinambaultiorum* coniugio dicere quantum feret pudor, pergens, Aſſero(contrà quam ab nonnullis eſt confictum)viros naturalem verecundiam ſeruãtes, nuſquam cum vxoribus coràm congredi.Qua in re, non modo ſunt Cynico illi præferendi qui ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehenſus impudentiſſimè reſpondit, ſe hominem plantare : ſed etiam fœtidiſſimis noſtratibus hircis, qui homi-

Naturalis verecũdia in Americanorũ cõiugiis ſeruatur.

num conſpectum turpia quæque admittentes minimè fugiunt. Pręter ea quę dicta ſunt, notatu eſt inprimis dignum, nos qui in terris illis per annum integrum viximus, fœminam nullam menſtruis laborantem vnquam conſpexiſſe. Ego crediderim fluxum illum ratione nobis ignota eas diuertere. Puellas enim annos duodecim natas vidi, quarum latus ab axilla ad genu vſque animalis cuiuſdam dente acutiſſimo, ab matribus incideretur. Puellæ verò præ ſummo dolore frendentes, magnam cruoris copiam emittebant: Hoc illas remedio menſtrua anteuertere coniicio. Hîc verò ſi à Medicis, atque aliis harum rerum peritis obiiciatur, hæc cum eo quod nuper à me eſt dictum mulieres Barbaras eſſe fœcundiſſimas, non conuenit, quandoquidē menſtruis ceſſantibus mulieres nec concipere, nec parere poſſunt: Reſpondeo, mihi in animo eſſe quæſtionem hanc ſoluere, immo nec plura de his adiicere.

Americ. fœminarū purgatio.

Cap. 8. ſub finem eorum refellimus errorem qui vel ſcripſerūt, vel tacitè crediderūt, fœminarum nuditate uiros ad libidinem pellici. Nonnulla etiam de puerorum Barbarorum educatione adiūximus. Itaque ea lector inde requirat moneo, vt fuſiori ſuppleant tractationi.

CAP.

CAP. XVIII.

Quid leges, quídque politia apud Brasilienses nuncupari possit : Quam humaniter excipiant hospites : Déque lachrymis ac factis sermonibus, quibus hospites in ipso ingressu ab mulieribus excipiuntur.

AD politiam Barbarorum quod attinet, vix credibile est quàm pulchrè inter eos sola naturæ luce ductos conueniat. Nec referri istud potest nisi summo eorum pudore qui Diuinis & humanis sunt instructi legibus. Quod tamen de tribulibus inter se, aut de fœderatis est intelligendum: etenim erga inimicos quomodo se gerant, iam est à nobis demonstratum. Si quæ tamen contentio inter quosdã apud eos exoriatur quod rarissimè accidit, nam toto anni spatio, quo apud eos vixi, bis tantum rixantes videre mihi cõtigit) spectatores litem componere minimè curant: sed eos pro libidine agere, oculos licèt sibi nutuò sint confossuri, sinunt. At si alter alteri vulnus inflixerit, comprehendíque possit, vulnus ei eadem in corporis parte ab vulnerati cognatis infligitur. Imò si fortè vulnus mors consequatur, ab mortui cognatis de medio tollitur homicida: Denique vitam pro vita, oculum pro oculo, dentem

Barbari cõcorditer viuunt.

Homicidarum apud Barbaros pœna.

Leuit. 24. 19, 20.

pro dente rependunt. Sed isthęc, vt dixi rarissimè apud illos contingunt.

Pagi & familię Americ. quo disponantur modo.

Res soli apud eos sunt casæ, & agri longè ampliores quàm qui incolis alendis desiderentur. Ad casas quod attinet, sciendum est primum, singulos pagos sexcentena hominum capita capere: quare complures eadem casa habitare necesse est. Attamen singulis familiis suum occupantibus locum (absque vllo interstitio, nam nihil est quod impediat quominùs ab extremo vno ad alterum ædes illæ pateant quæ in passus 60. vt plurimum producuntur) pater quísque familias vxores & liberos seorsim positos habet. Ad hæc obseruandum est (quod est sanè mirandum) Americanos vnum locum vltra quinque aut sex menses non incolere. Sed exportata materia, atque herba *Pindo* quibus casæ eorum constant, vicos suos frequenter transportant, quibus tamen eadem semper seruantur nomina. Nos ipsi pagos nonnullos à pristino loco mille passibus remotos conspeximus. Ex quibus satis constat, non modo apud Americanos nostros ingentia non ædificari palatia (quemadmodum à quodam scriptum est Indos Peruẽses domos ligneas tã magnificas habere, vt in illis cœnacula sint longitudine passuũ CL. Latitudine verò LXXX.) sed etiã à nullo casam ædificari, quam & perficere, immo vltra vicies struere ac destruere antè obitum non cogatur, si tamen iustam hominis ætatem attigerit. Iam si quæratur ab ipsis cur

Pagorum apud Americ. transportatio.

Hist. Gen. Ind. libr. 2. cap. 3.

curnam tam frequenter ſedes mutent? In promptu eſt reſponſio. Cœli mutationem ad valetudinem multum conferre: præterea ſe ſi ad maiorem conſuetudine recederẽt confeſtim interituros. Ad agros quod attinet *Mouſſacat* quiſque aliquot quidem peculiares habet quos pro arbitrio vbicũque viſum fuerit ad componendos hortos ſeligit. Sed anxiam illam curam de fundis diuidendis, & limitibus figendis, & definiendis agris Auaris & leguleiis noſtratibus relinquunt.

Quos agros peculiariter poſſideat Amer.

De eorum ſupellectile non ſemel à nobis in ſuperioribus eſt dictum. Sed nequid eorum omittamus quæ ad Oeconomiam Barbarorum pertinẽt, hoc loco recenſebo Americanarum mulierum in goſſipio, (cuius apud eas vſus eſt multiplex tam in funiculis, quàm in penſilibus ſuis cubilibus texendis) nendo artificium.

Extractum ex flocculis, pro omni carminatione digitis aliquantulum extendunt, tum humi aceruatim diſponunt, (nam colis vti non norunt) pro fuſo virgulam habent digiti craſſitudine, pedali longitudine, qua orbiculum ligneum transfigunt, goſſipium virgulæ ſummæ alligãt, tum ad femur) vt fuſos ſuos ſolent noſtrates) inſtrumentum illud torquentes, è manu emittunt. Orbiculus ille per domos vel plateas inſtar verticuli deuoluitur. Atque eo modo filum nent non modo craſſum ad cubilia xylina texenda, ſed & ſub-

Goſſipium quo modo nent Americ. mulieres.

tiliſſimũ Huiuſmodi ego in Galliam attuli, quo thoracem è candida tela ornari curaui: cuius tanta erat tenuitas, vt à quibuſuis pro lectiſſimo Serico haberetur.

Inis cubilia xylina.

Cubilia ſua xylina *Inis* nuncupant. Fœminæ, ad quas pertinet iſtud opificium, textrinas habent ab noſtratibus nõnihil abſimiles: neque enim in planum ſunt conſtructæ, neque tot machinamentis conſtant, ſed editæ ad earum ſtaturam: ſuo more ordiuntur, tum ab imo texendi initium faciunt. Quædã ex cubilibus illis ad formam retium, alia dẽſiora inſtar telæ rariſſimæ conficiunt. Quinque aut ſex pedum longitudinem obtinent, latitudinem vlnæ: extremo vtrique fibulæ xylinæ adduntur, quibus funes, annectunt: ac trabibus ad hunc vſum in caſis accommodatis ſuſpendunt. In Caſtris degentes, aut in ſyluis ad venationem aut in litoribus ad piſcatum ea ex arboribus ſuſpendunt. Hæc cubilia (nequid à nobis prętermittatur) vbi ſordes vel ex humano ſudore vel ex fumo, ob ignis perennitatem contraxerunt, hoc abluũtur modo. Mulieres fructum quendam in ſyluis colligunt, forma ab cucurbite plane non abſimili, verum longè ampliorem, adeò vt ægrè ſingula poma alterâ manu geſtentur, hos fructus fruſtatim concidunt, atque in prægrande aliquod fictile vas coniectos aqua madefaciunt. Tum baculo vehementer mouent, atque ſpumam ex illis excitant

Cubilia Barbarorũ quomodo ſternãtur.

Spumaque Saponis vicem supplet apud Americ.

tant, cuius ope (loco ſaponis) cubilia ſua ita mundant, vt niuem vel fullonicos pannos cādore adæquent. Cæterùm expertis iudicandum relinquo, annon ſuauiùs, æſtiuo præſertim tempore, in Cubilibus illis decumbatur, quàm in lectis noſtris vulgaribus: An etiam temere in Hiſtoria noſtra Sancerrana, affirmarim longè commodiorem eſſe eiuſmodi cubilium vſum in excubiis, quàm & recepto more, milites in στιβάδιοις volutentur, nam & veſtes conſpurgantur, & pediculi comparantur, & quod magis eſt, ſi ad certamen ſit conſurgendum corpus quodammodò armis quę continuò militibus adhęrent conquaſſatur: quod in vrbis Sancerranæ obſidione experti ſeriò ſumus. Hoſtis enim per integrum annum ad portas noſtras permanſit.

Reliquam Americanorum Suppellectilem vt in pauca contrahamus, mulieres (quibus res Domeſtica eſt curæ) Canıras ingentes parant; & prægandia fictilia vaſa conficiunt ad *Caouin* ſuum imponendum: Ollas quoque varia forma effingunt, pelues paruulas & mediocres, paropſides atque id genus alia, vaſa quæ extrinſecus quidem minimè ſunt polita, intrinſecus tamen adeò læuigata & alba neſcio qua infectura quæ continuò indureſcit decorata, adeò vt figulorum noſtrorũ induſtriā mulieres illę facilè adæquent. Prætereà fucũ neſcio quẽ Leucopęũ aqua madefaciũt, deinde varias rerum formas in ſuis vaſis af-

Ingentia, mediocria & exigua fictilia vaſa mulieres Amer. fabricāt.

fingunt intrinſecus,atque in iis præſertim, in quibus farinam , aliáque ciborum genera aſſeruanda reponuntur. Eorum itaque vſus eſt gratiſſimus,immò longè præſtant illa vaſa ligneis, quibus non pauci hîc vtuntur.Hoc tamen pictrices illæ laborãt vitio,quòd vbi penicillo quicquid collibuerit effinxerunt,ſi rogẽtur eadem denuò pingere,minimè poſſint: quod exemplum nullum præter phãtaſiæ ſuæ induſtriam propoſitũ habeant.Hinc fit vt picturarum iſtiuſmodi duæ vix vnquam ſimiles reperiantur.

Præterea(vt alibi dixi) Barbari cucurbitas aliáque fructuum genera habent, quæ diuidunt atque concauant,illíq; pro poculis(quæ *Coui* appellant)aliíſque varij vſus vaſis vtuntur.Corbes quoque habent amplas & mediocres, atque adeò caniſtros, iuncis aut herbis ſubflauis, ab ſtramine triticeo non alienis aptiſſimè contextos. Hos *Panacon* nominant, ínque illis farinam, aliáque quæ fuerint viſa imponunt. De armis, veſtibus plumaceis,Inſtrumentóque *Maraca* iam eſt à nobis facta mentio, itaque vt breuitati conſulam, plura non addo. Ecce, iam Caſas Barbarorum extructas,atque ſuppellectile inſtructas habemus, iam ipſi in illis ſunt inuiſendi.

Pocula aliáque vaſa ex fructibus Corbes & caniſtri.

Sed paulò altiùs iſtud eſt repetendum.Etſi *Tououpinambaultij*, hoſpites perquam humaniſſimè excipiunt, tamen Galli, aliíque aduenæ

uenæ, qui eorum linguæ ſunt ignari, initiò non parùm ſunt ob tam inſuetos mores attoniti. Ego quum primùm inter illos verſarer (quod vigeſimo circiter die poſt noſtrũ ad Caſtellum Collignium appulſum contigit) Interpres quidam ad vicos quoſdam in continentem me deduxit, is quem primum vidi indigenarum lingua *Ybouraci*, Gallica verò *Pepin* de naucleri cuiuſdam nomine, qui quõdam ad eum locum nauem onerarat, nuncupatur: quatuor tantùm paſſuum millibus ab Caſtello noſtro diſtat. In ipſo ingreſſu me frequentes circumeunt Barbari, hiſque compellant verbis. *Marapé-dereré, Marapé dereré?* hoc eſt, Quo nomine vocaris? quę quidem voces verè mihi erant Barbaræ, alius verò eorum, galerum meum mihi ablatum capiti ſuo imponit, alius cingulum & enſem meum lateri nudo ſuo ſubligat: alius tunicam induit: méque ſuis clamoribus hebetant: itáque meis induti ſpoliis huc & illuc diſcurſant. Ego tum meorum omnium iacturam feciſſe me arbitrabar, nec ſatis ſciebam quàm tutò apud illos eſſem. Verùm vt ipſe expertus ſum, metus ille ex moribus illorum ignoratione oriebatur, illi enim idem omnibus aduenis; præſertim iis quos nondum conſpexerunt, factitare ſolent. Sed vbi animi gratia aliquantiſper eo habitu obambularunt, ſingula præciſè reſtituunt. Tum fui ab interprete admonitus illos vehementer optare, quod mihi nomen eſſet intel-

Barbari cõmiter hoſpites excipiunt.

Eorum quę authori cũ primũ Barbaros adiit, acciderunt, faceta narratio.

ligere: ſed in eo edendo ab nominibus apud nos vſitatis abſtinendum eſſe, vtpote quæ Barbari nec pronuntiare, Ioannis enim loco *Nian* dicebant, nec memoriæ mandare poſſent: ſed aliquid eſſe proponendum quod illis eſſet notum. Res tam feliciter ſucceſſit, vt, quantum ſignificauit mihi interpres, qui linguæ Braſilicæ erat peritiſſimus, (neque enim ſubtilius inquirendo hæc confinxi, vt impudenter calumniatur Thevetus, ineptiſſimè de ſuo *Quoniambeco* Viror. Illuſt. libro diſſerens) nomen meum Lerij Oſtreum ſignificaret. Itaque reſpondi me, *Lery-ouſſou* vocari. Illi rem probare, atque interiectione ſua admirante *Teh!* crebrò vſurpata, his me compellare. Præclarum ſanè nomen! nec vnquam *Mair* vllum offendimus cui tale eſſet nomen. ac ſanè Circe nuſquam hominem in tale oſtreum transformauit, nec qui tam ſedulo cum Vlyſſe diſſereret, quàm ego ex illo tempore cum Barbaris diſſerui. Obſeruandum eſt autem eos adeo tenaci eſſe præditos memoria vt ſi cuiuſquam nomen ſemel audierint, illud nuſquam obliuioni mandent. Reliquos quos in hoſpitibus excipiendis obſeruant ritus poſteà recenſebo: iam quid mihi tum primùm inter Barbaros verſanti contigerit explicabo. Ego cum interprete eo die vlterius ſum progreſſus, atque in pago *Euramiri* Indigenarum lingua, Gallica verò Goſet de interpretibus cuiuſdam nomine, qui eum aliquādiu incoluerat, diuertimus: occidente

Autoris nomen Americ. lingua.

ſole

ſole appulimus, Barbaros ſaltantes, & *Caouinantes*, ob captiuum, quem eo die mactarant, offendimus. Carnium illius fruſta Boucano impoſita animaduerto. Quanto ibi horrore fuerim perculſus, minimè quærendum arbitror. Attamen id minimum fuit ſi cum ſummo metu quo poſtea fui conſternatus conferatur. Caſam ingredimur, cubilibus pẽſilibus inſidemus more recepto, fœminę eo, qui à nobis dicetur modo, lugent. Paterfamiliâs amicis nos excipit verbis. Interpres qui iſtis erat aſſuefactus, quíque eorum compotationibus apprimè delectabatur: me rerũ omnium ignarũ inſalutatum relinquit, atque ad ſaltantes ac *caouinantes* abiit. Ego verò qui defeſſus eram, poſtquam me farina, & quibuſdam aliis cibis nobis appoſitis refeci, in cubili decubui. Attamẽ & ſtrepitu Barbarorum ſaltantium & *caouinantium*, & captiuũ deuorantiũ, mox fui expergefactus, & (quod maximũ) quodã qui captiui boucanatum pedem manu geſtabat ad me accedente, atque à me (vt poſtea intellexi, tũ enim verba illius minimè capiebã) annõ vellẽ ex eo edere quærente, adeò fui metu conſternatus, vt à ſomnolentia fuerim penitus liberatus. Ac ſanè omnino credebam geſtu illo quem in deteriorem partem rapiebam, ab Barbaro mihi indicari, fore vt mox carnes meæ eo modo vorarentur. Præterea vti mentes ſuſpicionem parit, in mentem mihi extemplo venit Interpretem prodidiſſe me,

atque iu Barbarorum manus tradidiſſe. Quare ſi qua fugiendi potuiſſet mihi via, ego impigrè fugam capeſſiſſem. Sed vndiquaque mę Barbari, quorum mentem non ſatis noueram (nihil enim mali in me moliebantur) circumſtabant. Ego in metu confirmatus futurum ominabar vt mox mactaret, quare totam noctem precibus ad Deum fundendis tranſegi. Cogitent lectores, qui de iis quę à me narrãtur feriò cogitabunt, num mihi longiſſima viſa meritò fuerit. Prima luce Interpres, (qui totam noctem cum Barbaris genio indulſerat,) ad me redit, atque me pallidum ac febri correptum videt: ibi quærit num me malè haberem, annõ placidè quieuiſſem? Ego tum acriter eum increpare, qui me inter barbaros illos ſolum reliquiſſet, quorum ſermonem minimè capiebam. Quid multa? cùm metum deponere non poſſem, obnixè rogo vt ſine mora illinc faceſſeremus. Ille verò bono me animo eſſe iubet: ac minimè malè in nos affectos eſſe Barbaros denuntiat. Rem omnem Barbaris aperit, qui mihi totam noctem, vt aduentum gratularentur, adſciterãt: Illi ſignificant ſe de eo nonnihil ſubolfeciſſe, dolere tamen ſe quòd in tanto eorum metu noctem illam tranſegiſſem. Ac tandem in cachinnos prorumpunt, quod fuit metus illius mei ſolatium. Inde ad quoſdam alios vicos ego & Interpres ille perreximus. Sed iſthæc de primo meo inter Barbaros errore dicta

cta ſint ſatis. Ad cætera reuertar.

Hi ſunt ritus quos expiciendis hoſpitibus Barbari obſeruant. In primis oportet hoſpitem ſtatim vbi in domum *Mouſſacat* illius fuerit ingreſſus, quem ſibi hoſpitem delegerit (quod in ſingulis pagis eſt faciendum, nec ad alium eſt diuertendum, niſi illius in malã gratiam velis incurrere) cubili xylino pẽſili inſideat, as tacitus ibi aliquãtulum remaneat. Mox mulieres adueniunt, cubile cingunt, humíque ſedentes manus oculis imponunt ſuis, atque eo modo fauſtum hoſpites aduentum deflentes, innumera in illius laudem proferunt.

Mulieres Americanæ hoſpitum aduẽtũ deflent.

***



Verbi gratiâ: tu tantum vt ad nos accederes laborem ſuſcepiſti : tu bonus es, fortis es. Si vero hoſpes fuerit Gallus, addunt, merces præclaras permultas nobis attuliſti, quibus hîc caremus. In ſumma, vt dictum eſt, mulieres illæ lachrymis obortis adulatoriis huiuſcemodi ſermonibus hoſpites excipiunt. Hoſpes verò qui in cubili xylino ſedet, ſi gratiã vult cum hoſpite inire, compoſito vultu, niſi ſeriò lachrymari voluerit (prout nonnullos ex noſtris vidi adeò fracto animo, vt fœminarum iſtarum vlulatu lachrymę illis excuterentur) ſaltem quædam reſpondẽdo, & ſuſpiria trahendo fletum ſimulet neceſſe eſt. Peracta hac lepidiſſima à mulieribus ſalutatione, *Mouſſacat* hoc eſt paterfamiliâs, qui etiam, vt in pictura videre licet, in fabricanda ſagitta vehementer occupatus, ne oculos quidem quaſi non animaduertens in hoſpitem per aliquod tempus cõiecerit, (blanditię à noſtris amplexibus admodum alienæ) tandem ad hoſpitem accedens, his eum compellat verbis. *Ere* Ioubé hoc eſt, veniſtine? tum vt vales? quid quæris? &c. quibus quo ſit reſpondendum modo inferiùs in Colloquio Americ. dicetur. Quærit poſtea num eſurias? Si annuas, confeſtim cibos varij generis, putà farinam, quæ illis panis vices præſtat, ferinam, volatilia, piſces, aliáque id genus in fictilibus tibi apponi iubet: verũ, quod mẽſis ſcãniſque vſus non ſit apud eos, humi omnia illa appo-

Hoſpitio apud Americ. geſtus.

Mouſſacat quo modo hoſpitem excipiat.

nũtur. Ad potum quod attinet, si *Caouin* volueris, domíq; fuerit, statim tibi dabitur. Denique postquam mulieres fletibus hospitum aduentum strenuè celebrarunt, ad eos accedunt fructus aut alia munuscula ferentes, atque ita tacitè pectines, specula, vitreos globulos, quibus brachia inuoluunt, exigunt.

Scoticus lapis admiranda ratione igné concipit.

Porrò si in eo vico pernoctare voles, *Moussacat* cubile mundissimum tibi suspendi iubet, quod circum igniculos accendi curabit, atque noctu crebro suscitari folliculis quæ ipsi *Tatapecoua* vocant, ab orbiculis non absimilibus, quibus ignis inuasionem ab vultu arcent apud nos delicatiores fœminæ. Non quòd frigori obnoxia sit illa regio, sed propter noctis humiditatem, maximè verò quia moribus est ab illis receptum. Sed quando in ignis mentionem incidimus, quem illi *Tata*, fumũ verò *Tatatin*, nũcupant, operæpretium puto præclaram illius excitandi rationẽ vt exponam: ea non minorem meretur admirationem quàm Scoticus lapis, qui (vt refert singularitatum regni illius inuestigator) stuppa aut stramine obuolutus ignem per se excitat.

Cur barbari igne delectentur: atque de egregia illius apud eos excitandi ratione.

Ergo Barbari, quòd eo admodum delectentur, igne vbicunq; sint, ægrè carẽt, siue domi siue in syluis venãtes, siue ad littus piscãtes, præsertim noctu, vehemẽter enim metuunt, ne incauti excipiãtur ab *Aygnania*, à quo (vt iam diximus) crebrò cæduntur, & affliguntur. Itaque pro eo quod nos lapide atque chalybe ad

be ad ignem excitandum vtimur, cuius vſus illis eſt incognitus. Illi lignorum genera duo habent, quorum alterum eſt molliſſimum, alterum verò duriſſimum, quibus ad ignem excitandum hoc vtuntur modo: virgam ex pręduri illius ligni pedali longitudine ab altera parte exacuunt ad fuſi modum, huius cuſpidem in fruſto aliquo mollis illius ligni defigunt, tum ſiue humi, ſiue ſtipiti impoſitum, virgam illam manuum volis maxima celeritate voluunt, quaſi ſuppoſitum ligni fruſtum perforaturi. Illa tam celeri támque violenta agitatione non modò fumus excitatur, ſed etiam ignis: itaque admoto goſſipio, vel foliis quibuſdam ſiccis (fomitis noſtratis loco) commodiſſimè ignis concipitur. Cuius rei ego ipſe feci periculum. Nec tamen mihi eſt animus ea confirmare quę Theuetus ſcripſit, Barbaros Americanos ante ignis vſum cibos fumo exſiccare conſueuiſſe, prout enim philoſophicum hoc ἀξίωμα, quod in prouerbium abiit vt veriſſimum habeo, ignem abſque fumo nõ eſſe, ſic eum indoctum phyſicum iudico, qui nobis perſuadere nititur fumum abſque igne exiſtere. Fumũ hîc intelligo cibis percoquẽdis aptũ, cuiuſmodi à Theueto innuitur. Nam ſi hac ſolutione nodo illo ſe expedire vellet, ſe id de exhalationibus intellexiſſe, etiamſi concedatur callidas eſſe, nõ tamen datur eas cibos exſiccare & percoquere poſſe: quinimò & carnibus, & piſcibus potiùs humiditatem ſint aucturæ. Quapro-

Sing. Amer. cap. 33.

pter, quid quæſo eſt lectoribus imponere ſi hoc non eſt? Quando igitur adeò grauiter tũ in Coſmographia, tum alibi de iis conqueritur Theuetus, quos, quia res ab ſe commemoratas pro ſua lidibine non exponant, eo accuſat nomine, quod non ſatis diligenter in ſuis ſcriptis ſint verſati: Lectorem rogo, vt locum iſtum diligẽter obſeruet de nouo iſto calido, ac imaginario fumo, quem ego ad ipſius ventoſum remitto cerebrum,

Aduenæ quid hoſpitibus repēdant.

Iam igitur ad *Tououpinambaultiorum* in hoſpitibus excipiendis curam redeamus. Poſtquam eo quo diximus modo, hoſpites cibum ſumpſerunt, atque decubuerunt, ſi liberales ſint, viris cultros, forfices, atque volſellas, ad barbam euellendam aptas: Fœminis pectines, & ſpcula: pueris hamos dare ſolent. Si verò cibariis hoſpes indigeat, vbi de pretio eſt conuentum, ea aſportare licet. Porro quia illi iumentis omnibus carent, omnes pedibus iter facere neceſſe eſt, ſi aduenæ fuerint defeſſi, atque cultrum cuidam ex Barbaris obtulerint ille confeſtim (nam ad gratificandũ ſunt promptiſſimi) operam ſuam offeret ad defeſſum gerendum. Ego ipſe cùm in terris illis verſarer non ſemel baiulis illis vectus ſui, & quidem bis mille paſſuum itinere. Quos ſi vt pauliſper requieſcerent monebamus, illi nos his verbis irridebant, Quid? Nóſne tã effœminatos aut fracto animo eſſe cenſetis, vt oneri ſuccumbamus? te potiùs totum diem abſque vlla intermiſſione geſtarem. Nos verò in cachin-

Barbari aduenas humeris gerunt.

Gradarij bipedes.

chinnos erumpentes gradarios illos bipedes mirabamur,atque illis animum addentes, dicebamus: Pergamus igitur.

Naturalem charitatem abũdè inter ſe mutuò exercent,nam & piſces,& ferinam,& fructus,aliáque quotidie alij aliis donant, immò vehementer dolerent ſi vicinos iis rebus quas ipſi habent indigere cernerent. Atque etiam eadem liberalitate erga aduenas vtuntur. Cuius rei exemplum vnum afferre ſatis erit.De periculo quodã quod euaſimus , ego Gallíque alij duo,quod ſcilicet, mors nobis imminebat,ingenti lacerto nobis obuiam facto, capite huius libri decimo memini: nos tum à via in mediis ſyluis per biduum aberrauimus , ac famem non mediocrem ſumus perpeſſi,tandem ad vicum quẽdam *Pauo* nomine ad quem iam ante diuerteramus , peruenimus. Ibi nos liberaliſſimè ab Barbaris fuimus excepti. Illi enim auditis incommodis quæ perpeſſi eramus , ac præſertim ſummum in quo verſati eramus periculum, vt ab feris deuoraremur maximè vero , ab *Margaiatibus*,communibus noſtris hoſtibus mactaremur,ad quorum fines per imprudentiam proximè acceſſeramus : Conſpectis quoque ſpinarum incommodis quorum miſerè cutis noſtra erat lacerata, adeo noſtra mala grauiter tulerunt ,vt verè affirmare hoc loco poſſim blanditias fictas quibus noſtrates miſeros cõſolari ſolent, longè ab ſincera gentis illius quam nos Barbaram appellamus hu-

Barbari natura duce charitatem colunt.

manitate abesse. Illi enim limpida aqua pedes nostros (quod antiquorum morem mihi in memoriam reuocauit) abluerũt, singulis nostrûm seorsim in pensili lectulo sedentibus. Tum patresfamiliâs, qui iam cibos nobis apparari prouiderant, recentémque farinã, quæ (vt aliâs dixi) candidi panis medullę bonitate non cedit, corradi iusserant, confestim nobis nonnihil refocillatis præstantissimos quosque cibos, putà ferinam, volatilia, pisces, fructúsque exquisitissimos, quibus continuò abundant, nobis apponi iubent.

Barbarorũ humanitatis insigne exemplũ.

Præterea nocte adueniente *Moussacat* hospes noster, pueros omnes à nobis, vt placidiùs quiesceremus, remouet. Postera autem die summo manè ad nos accedit, quærítque agite *Atourassap*, (hoc est fœderati intimi) placidéne hac nocte quieuistis? Placidissimè, excipimus. Tum ille: adhuc quiescite filioli mei, heri enim vos admodum defatigatos esse animaduerti. In summa verbis exprimere non queo quàm humaniter & blandè à Barbaris illis excepti fuerimus, qui nos nõ minori prosequuti sunt benignitate, ac Melitẽses Barbari Paulum cæterósque naufragos: de quibus Lucas in Actis Apostolicis. Cęterum nos nũquã absque pera mercibus plena peregrè proficiscebamur, quæ nobis pecuniæ instar essent apud Barbaros illos. Itaque illinc abeuntes quæ visa sunt hospitibus donauimus: nimirũ cultros, forfices, volsellas viris: pectines, specula, armillas, & vitreos globu-

Act.28.1.2.

los

los fœminis: pueris verò piscatorios hamos.

Hîc quid mihi aliquando apud eos contigerit narrare libet, vt quanti faciant merces illiusmodi commonstrem. Ego in quẽdam pagũ diuerteram, à *Moussacat* verò meo rogatus sum vt quid in pera mea haberem sibi indicarem, vásque ingens fictile mercibus meis imponendis afferri iubet: vniuersas depromo, ordinéque dispono. Tum ille vehementer admiratus, Barbaros reliquos aduocat, atque infit, Videte quæso, ô boni, qualem virum apud me exceperim, an non liquidissimè apparet illum prædiuitem esse, quandoquidem tantas opes apud se habet? Illę tamẽ merces (vt comiti meo Gallo subridens significaui) quas tanti Barbarus ille faciebat, nimirum cultelli sex vario capulo, totidem pectines, tria specula, aliáque minimi pretij pauca, vix Lutetiæ duobus argenteis capitatis væniissent. Ego tum, quia homines liberales (vt est à nobis dictũ) amant, vt mibi authoritatem & gratiam apud illos cõciliarem, *Moussacat* meo cultrorum meorum præstantissimum coram omnibus donaui, quem non minoris ille fecit, atque apud nos quilibet torquem aureum maximi pretij donatum faceret.

Quanti à Barbaris æstimẽtur cultri, aliæque merces.

Iam si quæratur an tuta nobis esset apud illos habitatio? Respondeo eos prout inimicos tam insano prosequuntur odio, vt captos mactent, voréntque: sic viceuersa tanto, támque arcto amicos (in quorum eramus nume-

Barbari amicis fidissimi.

ro) amore complecti, vt potiùs quiduis subeant ad eos tuendos, quàm vt vllo eos affici incommodo patiantur. Itaque eorum expertus fidem illis iam tum maximè fidebam, ac nunc faciliùs fiderem, quàm plerisque Gallis infidissimis atque à proauorum fide degeneribus. Nominatim degeneres addo: nam bonis quibus per Dei gratiam nondum penitus est destituta Gallia, vllo modo detractum nolim.

Historia de periculo in speciem imminente.

Verumtamen vt nihil quoad eorum mores attinet dissimulem, rem hîc narrabo maximè mihi in speciem periculosam. Accidit vt sex Galli casu in vicum illum *Ocarantin* (de quo sæpe facta est mentio) conueniremus: ibi pernoctare statuimus ternique arcu cõtendimus ea conditione vt victi Indicis gallinis aliisque cibis in cœnã mulctarẽtur. Ego qui cũ sociis inferior in ludo fuerã, gallinas venales conquiro. Puer quidam ex eorum numero, quos suprà Rosea naui aduectos fuisse ad linguam Americanam ediscendam demonstraui, mihi occurrit; dicitque: En tibi præpinguem Indicam anatem: Eam occide, pretiũ postea numerabis. Pareo, eóque faciliùs, quòd non semel in pagis aliis itidem Gallinas occideramus, quas cum bona Barbarorũ gratia cultris quibusdam redemeramus: mortuam manu apprehendo, domúmque in quã ad *caouinandum* frequentes Barbari conuenerant ingredior: cuiusnam sit anas precium numeraturus quæro: prodit vetulus quidam

caperata

caperata fronte, ac suam esse significat. Pro ea sibi numerari quod velit pretium peto. Cultrum, inquit ille. Ego haud mora præbeo: Elegantiorem velle se ait. Denuo Elegantiorem offero. Nec istum placere ait: Quid ergo à me exigis? inquam. Falcem, excipit. Ego qui pretium inauditum exigi à me videbam, quíque apud me falcem tum non habebam, cultro contentus sit moneo: méque aliud nihil daturum esse. Interpres cui mores Barbarorum innotuerant (quamuis hac in parte, vt mox dicam deceptus fuit) vehementer Barbarum iratum esse significat: falcem quouis tandem pretio inuestigandam esse, atque illi pendendam. Falcem ab puero de quo nuper dixi mutuò accipio, ac Barbaro trado. Renuit. Ego nonnihil iratus, tertiò ab eo quæro quid igitur petat? Ille audacissimè, te interficere volo, ait, pro vt anatem meam occidisti. Ea enim fratris cuiusdam mei olim fuerat, atque idcirco præ omnibus meis in pretio habebam. His dictis bardus ille domũ abit, clauáque ingenti lignea sex pedum longitudine instructus ad me redit, denuóque mortem mihi minatur. Ego tum valde fui attonitus, metum tamen meum dissimulabam diligenter. Tum interpres cubili pẽsili quod inter me & aduersarium meum erat interiectũ, quid facto opus esset oportunè monuit. Gladium tuum & arcum ac sagittas ostentãdo, inquit, his illũ cõpella. Quo cũ sibi negotium esse putet? te fortem ac strenuum esse,

nec impunè eum mortem tibi intentaturum: denique quod in animo erat dissimulans, variis sermonibus vltro citróque habitis nullo de dissidio sedando laborante, Barbarus ille meus ebrius, quippe totum diem *Caouinando* transegerat, dormitum abiit. Ego cum interprete ad socios nostros contentionis meę ignaros coenatum me cõfero. Nihilominus tamen totum illud à Barbaro meo ioco factũ fuerat. Norunt enim illi se qui immortales cum Lusitanis inimicitias gerunt, si vel Gallũ vnum occidant, mercibus penitus prohibitos iri. Ac sanè ille paulò pòst experrectus, per Barbarum quendam mihi significat, me suum esse filium, quæque abs se acta fuerant, eo tantùm animo gesta fuisse, vt quàm strenuè in Lusitanos & *Margaiates* bellaturus essem, periculum faceret. Ego verò vt occasionem omnem ei idem vel in me, vel in alium quemuis tentandi tollerem, adde quod istiusmodi lusibus delectari nemo solet: Respondeo me facilè tali parente, qui exserto gladio filiorum periculum faceret, carere, immo etiam postridie eius diei domum quandam in qua erat, ingressus, vt quàm ægrè illud ferrem, seriò cognosceret, eo præsente, astantibus cultellos, aque hamos dono, illum verò indonatum relinquo: Ex hoc igitur exemplo, eóque cuius antè memini, de periculo quod sum imaginatus tum, cumprimùm apud illos versatus sum, satis apparet ea, quæ dixi, constare, nempe amicis eos fidis-

fidiſſimos eſſe. Iſtud quoque obiter eſt notandum quòd Senes qui ſecuribus, falcibus, ac cultris olim caruerunt, quibus tamen ad ligna ſecanda, ad arcus fabricandos, ſagittáſque parandas tam cõmodè iam vtuntur non modò Gallos humaniſſimè excipiunt, ſed & iuniores vt idem in poſterum præſtent crebrò hortantur.

CAP. XIX.

Quam curam morbis ſuis adhibeant Barbari: de eorum ſepultura & exequiis: déque inſano eorum circa mortuos luctu.

TANDEM vt huic de Barbaris Americanis ſermoni finem imponamus: hoc quoque loco aliquid de eorũ in morbis ſuis cura, ac obitu dicendum eſt. Ergo ſi fortè contingat, vt eorum aliquis in morbum incidat, partem dolore affectã vbi indicauit ægroti intimus, quidam ore exſugit, nonnunquam etiam ab impoſtoribus quibuſdã, quos illi *Pagés*, hoc eſt medicos aut chirurgos, appellant. (Sunt autẽ à *Caraibibus*, de quibus antea, diuerſum genus) miniſterium illud præſtatur. Doloremquoque ſe extrahere dicunt, ac vitã producere. Febribus, aliiſque vulgaribus morbis aliquando laborant: at non ita frequenter atque nos ſolemus. Præterea cum inſanabili quodam morbo conflictantur, quem illi

Pagés Barbarorum medici.

Pians Vocant. Is plerumque à libidine prouenit: puerulos tamen eo infectos vidi non absimili ab variolis nostratibus modo. Contagio hæc in pustulas tādem abit digito pollice ampliores, quæ corpus vniuersum, atque adeò faciem ipsam inuadunt. Itaque iis qui hoc morbo affecti fuerint tā insignes suæ impuritatis notæ inuruntur, atque apud nos venerea lue laborantibus. Cuius rei exemplo fuit Neustrius quidam interpres, qui crebris sese scortationibus cum mulieribus ac puellis Barbaris contaminarat. Is meritis dignissimam reportauit mercedem: nam eius corpus vniuersum, atque adeò vultus ipse, tam erat deturpatus, vt elephantiaco morbo laborantem deformitate referret: támque insignes inustæ sunt notæ, vt deleri nusquam potuerint: hinc fit vt morbus ille omnium perniciosissimus ab illis habeatur. Sed ad rē.

Barbari ęgrotos quo modo tractét.

Ægrotanti cibum nusquam præbent, nisi ab eo petatur, inedia licèt sit periturus. Prętereà morbus quantumuis sit grauissimus, valentes non desistunt saltando, cantando, bibendo, more recepto, miserum ægrum strepitu obtundere: nec conqueritur æger, quòd se nihil profecturum esse norit. At si diem suū obeat, cantus ille (si præsertim pater quidam familiâs fuerit) in lachrymas repentè conuertitur, tantíque eduntur gemitus, vt si fortè in pago quodam diuertebamus luctus illius tempore, nobis vel aliò erat commigrandum, vel insomnis nox erat ducenda. In primis autem

tem non sine admiratione mulieres exaudiũtur, quæ sic vociferantur atque exclamant, vt luporum aut canum vlulatus, non humanas voces edi dicas. Has autem effundũt querelas voce tremula. Obiit fortissimus ille, qui nobis tot captiuos deuorandos olim præbebat! Tum cæteræ, ô egregium venatorem, ô præstantissimum piscatorem, ô strenuum Lusitanorum & *Margaiatium* mactatorem! In summa mulieres illæ sese mutuò ad luctum incitantes, brachiáque inuicem amplexantes, vt in subiecta pictura videre est, ab his luctibus ac præconiis non priùs desistunt, quàm cadauer elatum fuerit.



Denique Barbaræ iſtæ mulieres Bearnenſium ritum in viris ſuis mortuis lugẽdis imitantur, quos quantum accepi, his proſequuntur querelis. *La mi amou, la mi amou: Cara rident, œil deſplendou: Cama leugé, bet danſadou: Lo mé balen, lo m'esburbat: mati depes: fort tard cougat.* hoc eſt, mi amice, mi amice, vultu hilari, oculis ſplendẽtibus, cruribus pernicibus, egregie ſaltator, fortis ac ſtrenue, qui ſummo manè ſurgebas, atque ad multam noctem vigil decumbebas. Vaſcones quoque mulieres, quæ ſuperioribus iſthæc addunt, *Yere, yere, O le bet renegadou, ô le bet iougadou qu'here:* hoc eſt heu, heu, quã ſtrenus erat deierator, quàm inſignis luſor! Porrò iis quas diximus querelis Barbarę mulieres crebrò epodiũ hoc adiiciunt. Obijt, obijt is quẽ iam lugemus! Tum viri, heu! mortuus eſt, nec eum amplius videbimus, donec poſt montes cum ipſo pro vt docent nos Caraibes noſtri choreas agamus. Alia inſuper eiuſdem generis multa addunt. Eiulatus verò illi ad ſex horas producuntur, neque enim mortuos ſuos inſepultos diutiùs ſeruare ſolent. Tum excauata foſſa non oblõga, vt ſolemus, ſed in orbem, dolij maioris in ſtar, cadauer erectum ſepelitur. Patres verò familiâs defunctos cubili ſuo xylino obuolutos in mediis ædibus ſepeliunt, plumis, aliiſque quibus dum vita manebat delectabãtur, in ſepulchro reconditis. Permulta in hanc ſententiam antiquorum exempla huc afferri poſſent, à quibus idem olim erat factitatum:

Sepulchra, atq; in Sepeliẽdo ritus Americanorum.

Antiquit. lib.7. c.12.

cuiusmodi est illud quod Iosephus commemorat de pecuniis in Dauidis sepulchro cõditis: Id etiam quod profanæ testantur historiæ de viris illustribus, qui post obitum pretiosissimo quoque mũdo ornati sepulti sunt. Ac ne longiùs ab Americanis nostris recedamus, Indi Peruenses Reges suos ac *Cacicos* sepelientes, magnam auri, argenti, atque gemmarum vim in eorum coniiciunt sepulchra: quę cùm Hispani scrutarentur, ingentes inde diuitias contraxerunt. Quibus rapacissimis hominibus apprimè id conuenit quod Plutarchus de Semiramide commemorat. Semiramis Regina, quæ Babilonem condidisse dicitur, monumento quod sibi pararat inscripsit, Quisquis rex pecuniis eguerit, aperto monumento quantum voluerit capiat. Darius potitus ea ciuitate, titulo credens, saxum ingens, quo claudebatur monumentum, vix amolitus, nihil quidem inuenit pecuniarum, sed ex altero saxi latere hoc inscriptum reperit. Ni vir malus esses, & pecunia inexplebilis, haudquaquam mortuorum loculos moueres. Sed ad *Tououpinambaultios* nostros redeamus. Ex quo Galli ad eos commeare cœperunt, ab pretiosorum in sepulchris repositione abstinuerunt. Sed inauditam ac verè Diabolicam superstitionem retinuerũt. Prima à funere nocte, Barbari, quibus hoc persuasum est, fore vt *Aygnan*, ni alios cibos offenderet paratos, cadauer effoderet, ac deuoraret, vasa nõ pauca farinę piscium, carnium,

Mũdus cũ cadauere sepelitur. Consule Bézoné li. 3. c.2.

Error verè Diabolicus.

alio-

aliorúmque ciborum diligenter paratorum, nec non potionis *Caouin* plena circa ſepulchrum apponunt. Quam libationem tandiu faciunt quoad cadauer penitus conſumptum eſſe credant. A quo errore eò difficiliùs dimouebãtur, quòd interpretes quidam Neuſtrij, ſacrificorum Belis exemplo, non ſemel antè noſtrum aduentum cibos illos clam ſubripuerãt. Quo facto Barbaros in errore adeò confirmarant, vt quamuis cibos illos veſpere appoſitos manè ſupereſſe demonſtraremus, magno tamen labore perpaucos ab errore dimouimus. Hoc autem Barbarorum ſomniũ ab Rabbinorum commento non eſt alienũ: nec ab eo quod Pauſanias cõmemorat. Rabbini enim ſcribunt cadauer hominis tradi in poteſtatem Cacodæmonis cuiuſdam, quem Zazel, aut Azazel nominant: quémque principem deſerti in Leuitici libro dici affirmãt. In cuius erroris confirmationem Scripturæ locos detorquent, quibus dicitur ſerpenti, puluerem comedes omnibus diebus vitę tuę: atque ita ratiocinãtur. Quandoquidem corpus noſtrum è limo terræ deſumptum eſt, qui ſerpentis eſt cibus, ei ſubiiciatur neceſſe eſt, quoad in ſpiritualem naturã transformetur. Pauſanias etiam author eſt interpretes Delphicos tradidiſſe Cacodæmonem quendam, quem Eurinomum appellant, mortuorum carnes deuorare ſolitum, atque oſſa carnibus nudata relinquere. Qui errores ad Americanorum ſomnia proximè accedunt.

Conſule viret. Phiſic. Papal. Dialo. 3. pag. 210.
Leui. 16. 8.
Gen. 3. 14.
Iſa. 65. 24.

Denique quoties Barbari,eo quo diximus modo,vicos ſuos aliò comportãt, ſepulchris mortuorum tegmina quædã ex herba *Pindo* imponunt.Quò fit vt viatores cœmeterij formam quandã agnoſcant. Ad quę loca ſi quãdo in ſyluis errantes virorum defunctorum recordentur,tantos edũnt eiulatus,vt procul exaudiantur. Tandem eas quò quantum ad ſatietatem fuerit, lugeant relinquo. Quando igitur Barbaros ad ſepulchrũ vſque ſum proſequutus,de eorum moribus dicendi hîc finẽ faciã. Lector tamẽ præter ea quæ attigimus, nonnulla poterit obſeruare in eo quod ſubiicimus colloquio:quod ſcriptum fuit eo tempore quo inAmerica viuebam ope cuiuſdam interpretis,qui & linguę Americanę erat peritiſſimus, (quippe ſeptem annos iam in illis terris vixerat)& linguam Græcam à qua non paucas voces mutuantur Barbari, optimè callebat.

CAP.

CAP. XX.

Colloquium in ipſo aditu Braſilienſes oræ inter indigenas Tououpinambaultios Tououpinenkin *Braſilicè ac Latinæ conſcriptum.*

Tououpinambaultius.

Ere-ioubè? Veniſti ne?

Gallus.

Pa-aiout, Sic eſt, veni.

T.

Teh! auge, ny-po, Bene dixiſti.

Mara-pé-déréré? Quomodo vocaris?

G.

Lery-ouſſou, Oſtrea magna.

Cognomẽ autoris lingua Americana.

T.

Eré-iacaſſo pienc? Patriam ergo reliquiſti vt hîc deinceps habitares?

G.

Pa. Ita eſt.

T.

Eori-decretani ouani repiac. Adeſdum igitur, & locum habitationis tuæ circumſpice.

G.

Auge-bé, Bene eſt.

T.

J-endê répiac? aout I-endérépiac aout é ébéraire Teh! Oouéreté Tenoy Lery-ouſſou ymé en.

Ecce igitur, fili mi, venit in has regiones noſtri memor, papæ?

Caramémo atcæ, aliáque vasa.

Erérou dé caramémo? Attulistine capsas? Eo verò nomine comprehendimus quidquid includendis omnis generis vestimentis aptum est.

G.

Pà arout. Etiam, attuli.

T.

Mobouy? Quot?

Quotquot habueris vsque ad numerũ quinque, verbis notare poteris, hoc modo. *Augépé.* 1. *mocouein*, 2. *mossaput*. 3. *oioicoudic*, 4. *ecoinbo*, 5. Si duas tantum habes, quatuor numerare non oportet. Satis enim erit si dixeris tria *mocouein*. Si quatuor habueris sic dices *oioicoudic*. Et sic de reliquis. At verò si quinariũ numerũ excedant, numerum quem voles totidẽ digitis tuis, aut si non sufficiunt, sociorũ qui tibi adstant iudicare poteris: Non enim habent aliam numerandi rationem.

T. *Máé pérérout, de caramémo poupé?* Quid in capsis attulisti? G.

Vestiméta. *A-aub.* Vestimenta.

T.

Mara vaé? Cuius coloris?

G.

Colores. *Sóbouy-été.* Cærulei.

Pirenk. Rubei

Ioup. Lutei.

Son. Nigri.

Sobouy, massou. Viridis.

Pirienk. Variorum colorum,

Pegassou-ané. coloris Columbini.

Tin. Albi. Et de indusiiis intelligitur.

T.

T.

Máé pámo? Quid præterea?

G.

Acang aube-roube, Galeros

T.

Séta-pe? Multos?

G.

Icatoupaué. Innumeros

Galeri.

.T

Ai pogno? Id ne totum eſt?

G.

Erimen. Minimè

T.

Eſſe non bat, Omnia nomina.

G.

Coromo. Expecta paululum.

T.

Neîn. Age igitur.

G.

Tormenta bellica.

Mocap. ſeu, *Mororocap*. Ignea tormenta, Catapultas vtriuſque generis: Nam *Mocap* omne genus tormenti ſignificat: maiora etiam quæ nauibus imponuntur ad repellendos piratarum inſultus. Pronuntiant autem aliquando per B. & In ſcribendo, ſi fieri poſſet, intermiſcendę eſſent M. & B. *Mocap-coui* , Attuli etiam puluerem igneum. *Macap-camorou*. Cornua & alia inſtrumenta ad puluerem includendum.

puluis pyroides.

Inſtrumenta ad puluerem continendum.

T. *Mara vaé* Cuiuſmodi ſunt?

G. *Tapirouſſou ak*, E cornu bouis conflata

T. *Augé-gatou tégué*. Optimè dictum.

Mâepé sepouÿtrē? Quid tibi numerabitur pro-ea re?

G.

Arouri. Ea instrumenta tantùm attuli, quæ [illegible] nolo tam cito vendere.

T.

M[illegible] Interiectio est, qua vtuntur dum quis [illegible]loquitur, quasi respōdere velint, Libenter. [illegible] tamē quiescūt, ne importuni videātur.

Interiectio.

G.

Arrou-ita ygapem. Cultros ferreos attuli.

T.

Naoepiac-icho péné? Nunquid eos videbo?

G.

Bégoé irem. Quando erit otium.

Falces.

T.

Néréroúpe guya-pat? Nunquid falces attulisti?

G.

Arrout. Attuli.

T.

Igatou-pé? Sunt ne pulchræ?

G.

Guiapar été. Eximiæ sunt.

T.

Aua-pomoguen? Quis eas fabricauit?

G.

Pagé-ouassou remymognén. Ille qui tibi notus est, cuiusque nomen tale est, eas fabricauit.

T. *Augé-terah.* Id bene se habet.

T.

Acêpiati-mo-mên. Papæ? Libēter eas viderem.

G. *Karamoussee,* Alio tempore id fiet.

T. *Tâcépiah taugé.* Iam, iam videam.

G.

G. *Eémbereingué.*Expecta adhuc.

T.

Eréroupé itaxé amo? Attulisti ne cultros?

G.

*Arroureta.*Plerosque attuli.

T.

Secouarantin vaé? Sũtne cultri capulo diuiso?

G.

*En-en.*non.*Jvetin.*Albo capulo.

*Taxe miri.*paruos cultros.

*Pinda,*hamos. *Moutemouton,* Subulas, *Arroua.*Specula. *Kuap,* pectines. *Moúrobouyé te,* Armillas cæruleas.*Cepiahyponeum.* Cuiusmodi hîc non extant. Eæque pulcherrimæ sunt inter eas quas hîc vidimus ab eo tẽpore quo adferri cœperunt.

hami, subulæ, specula, pectines, armillæ.

T.

*Easo ia voh de carameno t'acepiah de maé.*Aperi arcam vt tua bona intuear.

G.

*Aimossaénen.*Occupatus sum.

Acépiag-oucairen desue? Alio die aperiam ad te veniens.

T. *Nârour icho p' Irémmaé desue?*Nonne aliquando ad te bona adferam?

G. *Mael pererou potat?*Quidnam vis adferre?

T. *Sceh dé,*Nescio.Quid tu?

*Maé peréi potat?*Quid vis?

T.

*Soô.*feras.*Oura.*aues.*Pira.*pisces.*Ouy.*farinam. *Tetic.*rapas *Cõmenda-ouassou.*magnas fabas.*Cõmẽdamiri.*fabas paruas.*Morgonia ouassou.*aurea

bestiæ, aues, pisces farina, rapæ, fabæ, mala aurea & citrea.

& citrea mala, *Mae tirouén*. Omnes denique aut plerasque res.

T. *Mara-vaé sóo éréiusceh?* Cuius generis animal comedere aues?

G. *Nacépiah quevon-gouaaire.* Nolo ea comedere quæ hîc proueniunt.

T. *Aassènon desuoe.* Ea tibi nominabo

G.

Nein. Age vero.

T.

Tapirous-sou quale animal. *Taperoussou.* Fera quam sic vocant, quam semi asinum aut semi vaccam dicere possis?

genus ceruorum ac Damarũ. *Sé-ouassou.* Genus cerui ac Damæ.

Apre. *Taiasou.* Aper.

Agouti. *Agouti.* Rufum animalculum nefrendis magnitudine.

Pague. *Pague.* Fera est magnitudine nefrendis, nigro & albo colore distincta.

Tapiti. *Tapiti.* Genus leporis.

G. *Esse non ooca ychesue.* Nomina mihi aues.

Magnæ aues trium generum. T. *Iacou.* est auis caponis magnitudine. Eius autem tres sunt species, Nempe *Iacoutin*, *Iacoupem*, & *Iacou-ouassou*: boni gustus omnes inter cæteras aues.

Moûton. Syluester pauo. Sunt autem nigri & Leucopæi, & corpus adeo magnum habent ac nostri, auis rara.

Genus magnarũ perdicum. *Mocacoua.* est genus perdicis quæ corpus magnitudine caponis habet.

Ynambou-ouassou. est etiam perdix fera alterius magnitudinem æquans.

Ynambou. Perdix est non multũ ab iis distans, quas

quas, in Gallia videmus. *Pegassou.* Turtur. *Paicauc*, Aliud genus turturis minoris. G.

Turtures.

Seta-pé pira senaé? Est-ne magnus bonorum piscium numerus? T.

Nan. Tot sunt.

Kurema. Mulus.

Parati. Mulus altero melior.

Aaara-pep. Piscis planus delicatior aliis.

Atrara bouten. Alius lutei coloris, qui minoris est pretij.

Atrara meri. Maximè parui qui in dulci aqua viuunt, boníque gustus sunt.

Ouara. Magnus piscis boni saporis.

Kamouroupouy-ouassou. Magnus piscis. G.

Mamo pe-dérétam? Vbinam degis?

T.

Vici circa ripas Ganabaræ.

Kariauh, ora-ouassou-onêe, Iaueu-ur assic? piracã, opẽ, Eiraia itanẽ, taracouir-apã, Sarapo-u. Sunt nomina propria virorum qui Ganabarã sinũ ingredientibus ad sinistrũ latus apparẽt, nec mihi commodè explicari posse videntur.

Keri-u Ahara-u Kouroumouré, Ita-auh, Ioirarouem. Vici in ripa eiusdem fluuij ad latus dextrum.

Maiores vici in continenti ex vtroque latere hi sunt.

Sacouarr-oussou-tuue, Ocarentin, Sapopem, Nouroucuue, Arasa tuue, V su potúue. Ac multi alij qui ab iis qui cum indigenis commerciũ habuerunt, cognosci poterunt & à patribus familiâs, quos falsò reges vocant, qui in illis vicis habitant.

G.

Môbouy-pé toupica gatou heuou? Quot magi
sunt in his regionibus, hoc est fortes? T.
Séta-gue. Multi sunt.. G.
Essenon auge pequoube ychesue, Nomina mih
aliquem.

T.

Nân. Vocabulum ad reddendum eum att
tum cui vis aliquid dicere.
Eapira-ui ioup. Nomẽ propriũ hominis quo
nomen sic exponas, caput semi caluum, & pi
lo admodum raro.

G.

Mamo pé se tam? Vbi habitat?

T.

karиauh-bè. nomen cõpositũ.

Kariauh-bè, In vico quẽ ita appellant, est a
tẽ nomen fluminis cuiusdã à quo nomẽ vicu
sortitur, quia ad eũ situs est. Significat auten
Karios domũ. Cõponitur autẽ ex voce *Kario*
& *auh* quæ domũ significat extrahendo *os* &
addendo *auh* erit. *Kariauh. Be,* autem est arti
culus ablatiui & significat locum quem peti
aut in quem proficisceris.

G.

Custos medicinæ aut fœmina Cacodæmone obsessa.

Mossen y gérre. Quod significat custodẽ me
dicinarum, aut ad quẽ medicinę pertinẽt. E
vero vocabulo vtuntur quũ mulierẽ venefi
cã designant aut à Cacodęmone agitatã. N
Mossen, est medicina, *gerre* proprietas.

T.

Ourauh oüssou auh arentin. Vici illius maxim
penna.

T

T.

Tou-couar-oussou-tuue gouare. In quo cãnę instar magnarum arundinum leguntur. T.

Ou-acan. Pręcipuus locus eius vici, quod significat caput ipsorum. T.

Soouar-oussou. Folium ab arbore collapsum.

Diuersarũ rerũ nomina.

T.

Morgouia ouassou. Ingens malum citreũ aut aureum, Sic vocatur. T.

Maé du. Est flamma ignis.

T.

Moraca-ouassou. Magnum tintinabulum.

Tintinabulum.

T.

Mae-nocep. Res quę partim emersit è terra, aut ex aliquo loco.

T.

Kariau piarre. Via quę ducit ad carios. Sũt vero ipsi pręcipui inter eos qui fluuiũ Ganabaram incolunt.

T.

Che-rorup-gatou, derour-ari. Maximè gaudeo te venisse.

Nein téréico, pai Nicolas iron. Mane vero cũ domino Nicolao, sic nominabãt Villagagnonẽ.

pai Nicolas Villagagno.

Neré roupé déré miceco? Adduxisti-ne vxorẽ?

G.

Miceco vxor.

Arout-iran-chereco augernie. Adducã quũ expedita erunt negotia mea.

T.

Marape derecouran? Quid tibi est negotij?

G.

Cher auc-onã. Domus ad habitãdũ parãda est.

Domus.

T.

Maravae-auh? Quod genus domus? G.

Seth, Daé-ehereco-rem-eouap-rengné, Nōdum ſcio quid ſim facturus.

T.

Mein tereicouap derecorem. Cogita ergo quid ſit faciendum.

G.

Peretam-repiah-irêê. Poſtquam veſtrā regionem videro & aliquandiu cōmoratus fuero.

T.

Néréico-icho pe deauem a irom? Nōne cū tuis, hoc eſt cum popularibus tuis habitabis?

G.

Maraui-amo-pé? Cur illud petis?

T.

Aipo-que. Non ſine cauſa dico.

Che poutoupa-gue déri. Id me malè habet, quaſi dicas, id ſcire cupio.

G.

Princeps aut ſenex.

Nén pé amotareum-pe ereroübicheh? Nunquid primarium noſtrum ſiue ſenē odio habetis?

T.

Erymen. Minimè verò.

Sérécogatou pouyr e ím été mo. Niſi res eſſet maxima cura digna, dicendum eſſet.

G.

Sé couaé apoau-e eugat engatoureſme, yporere cogatou. Eſt mos boni parētis, vt quod amat diligenter conſeruet.

T.

Bellum.

Nereſco-icho pirē ouariui? Nōne in bellū poſthac

hac es profecturus? G.

Assoirénué. Aliquando proficiscar.

Mara-pé pérouagérré réré? Quod est nomen vestris hostibus?

Touaiat siue *Margaiat*. gens est quæ eadē est cū illis lingua: apud quam Lusitani habitant, *Ouetaca*, Verè sunt Barbari & degunt ad fluuium *Mach-he*, & *parai*.

Nomina hostium Tououpinam.

Ouetaca vbi habitent.

Ouéaném. hi Barbari cæteros antecedūt, in syluis & montibus habitant.

Caraia. hi nobiliores sunt, atq; etiam cibis, tum aliis rebus ad vitam necessariis præ cæteris omnibus abundant.

Caraia. Inter alios excellentes.

Karios. Est populus qui degit vltra *Touaiare*. ad fluuiū Platā cuius lingua eadē est cum Tououpinābaultiis & Tououpinenkin. Differētia idiomatis est inter eos quos supra nominauimus. Ac primùm quidē *Tououpinambaultijs tououpinenkin: Touuaiarre, Tenreminō. & Kario*. Fermè eandem habent linguam.

Affinitas ac differētia lingu. inter Bras.

Karaia. Diuersam à reliquis habent & viuēdi & loquendi rationem.

Ouetaca. Differunt ab vtrisque & viuendi & loquendi ratione.

Oueanem. hi etiā diuersum & victus & sermonis ab aliis modum habent.

T.

Teh-oioah pœireca à paauné, iendéue.

Modus loquendi.

Alius alium quærit, atque id magno nostro bono. Nā vox hęc *iende-ue*, est dualis quo Gręci vtuntur cū de duobus fit sermo: hi tamen resoluitur voce nobis.

Ty ierob ah apóau ari. Exultemus quòd nos homines inuiſunt.

Apóau ac mea gerré, iendeſue. Gens eſt noſtri cõmodi ſtudioſa, quę nobis bona ſua largitur.

Tyréco-gatou iendeſue. Diligenter eam conſeruemus, hoc eſt, eam ita excipiamus vt ipſi ſatisfaciamus.

Iporenc été-am reco iendeſue. Pręclara ſe nobis res offert.

Ty maran-gatou apoau-apé. huic populo nos dedamus.

Ty moumourrou, mé mae gerre iẽdeſue, Ne iniu riã faciamus Gẽti quæ ſua bona nobis affert.

Typoich apoaue iendeſue. Suppeditemus eis cibos ad viuendum.

Typoeraca apoaué. laboremus vt prędã pro ipſis venemur. Vox *yporraca*, pręcipuè de piſcium venatione intelligitur, ſed eã ad alia etiam genera extendunt.

Tyrrout mae-tyronam ani apé, adferamus illis quidquid inuenire poterimus.

Tyre comremoich-meiende-mae recou ſſa-ue. Ne illos malè excipiamus qui nobis adferũt bona ſua.

Pé peroinch auu-mecharaire oueh. Ne mali ſitis pueri mei.

T apéré coih mae. Vt bona conſequamini.

T œrecoih peraire amo. Et veſtri etiã liberi.

Nyrecoih ienderamoyn maé pouaire. Nulla bona habemus ab auis noſtris.

O pap cheramouyn mae-pouaire aitih. Quęcũque mihi auus reliquerat proieci.

Apoau maé ry os, ierobiah. Magni æſtimans ea

bona quæ nobis afferuntur.

Iẽderamouyn-remié piae potategue aou-aire. Quę cùm noſtri videre optaſſẽt nec tamẽ viderũt.

The!oip otarhété ienderamouyn recohiare ete, iendeſue. Id bene eſt, quanta potior noſtra cõ ditio patrum noſtrorum conditione?

Iendé porrau-ouſſou vocare. Id nobis triſtitiam omnem eximit.

Iende-co-ouaſſou-gerre. Id efficit vt magnos hortos habeamus.

En ſaſſi piram, iendere mêmynon apé. Non amplius dolent pueruli noſtri quum tondentur.

Tyre coih apouau, ienderoua-gerre ari. Hos nobiſcum contra hoſtes deducamus.

Toere coih mocap, ó maé-aé. Habeant catapultas, quod genus armorum ſibi vindicant.

Mara-mo ſenténgatou-euin-amo. Cur non eſſent ſtrenui?

Memé-taé morerobiarem. Eſt gens impauida.

Ty ſenenc apouau, marã-iende-iron. Experiamur ipſorum vires dum nobiſcum erunt.

Ménré-taé moreroar roupiare. Illi ſũt qui debellant alios, Id eſt, Luſitanos.

Agne-he oueh. Quaſi diceret, quidquid dixi verum eſt. T.

Nein-tya-mouéta iéndéré caſſariri. Colloquamur de iis qui nos inuiſunt. Quod in bonam partem eſt accipiendum. G.

Nein-the atour-aßauep age igitur mi ſocie: hic verò notãdũ eſt voces *Atour-aſſap* & *Cotouaſſap*, differre. Nã prior ſignificat perfectũ fœdus inter eos ac nos pactũ eſſe, quo fit vt bona

Differẽtia inter *Atouraſſap*, & *Cotouaſſap*.

ſint cõmunia, cuius Filiã aut ſororẽ ducere in vxorẽ non poſſumus: Nõ ita verò de Coutouaſſap: ea.n. appellatione nominis alicuius vtũtur, vt tibię, oculi, auriculę & alia pleraq; eius generis nomina. T.

Colloq. de variis reb.

Mae-reſſe, iẽde moueta? De quibus loquemur? G.

Seeh macrouẽ-reſſe. De multis ac variis reb. T.

Cœlũ, ſol, Luna, ſtellæ, terra, mare, aqua dulcis & ſalſa.

Mara-pieng vvah rere? Quomodo vocatur cœlum? G.

Cœlum, T.

Cyh-rengne-taſſeuouh maetirouem deſue. G.

Augebe, Rectè. T.

Mah, Cœlum *Couaraſſi.* Sol. *Iaſce*, Luna, *Iaſſi tata ouaſſou.* Stella matutina & veſpertina quę Lucifer vocatur. *Iaßi-tata-miri.* Aliæ omnes ſtellę paruæ. *Ybouy*, terra. *Poirauem.* Mare. *Vhete.* aqua dulcis. *Vh-éen.* aqua ſalſa. *Vheen buhk.* aquæ quas nautę vocant Sõmaque. T.

Ita, petra, metallum & domus fund.

Ita. propriè lapis eſt, accipitur etiã pro quolibet metallo & ędificij fundamento vt *ach ita*, domus columna.

Yapurr-ita. faſtigium domus.

Iura-ita. trabes domus.

Omne genus lignorum.

Igaurah ſeu *ybouirah.* omne genus lignorum,

Orapat arcus.

Ourapat. arcus, & quamuis nomẽ ſit cõpoſitũ ex ybouyrah, quod eſt lignũ & apat, vncũ: Tamen pronuntiant *orapat* per ſyncopem.

Arre, aer. *arr aip.* Malus aër.

Amen, pluuia.

Pluuia.

Amen poytou. tempeſtas pluuia ingruente.

Tonitru

Toup-en, tonitru: toupẽ *Verap.* eſt coruſcatio.

Yory-

Tory-hu: Nubes aut brumæ.

Tbneture Montes.

Quum campeſtria loca vbi nulli montes. T.

Taue viri auh. Domus. *Vh-écouap* Fluuius decurrens.

Vh p aou. Inſula.

Kaa, omne genus Syluarum & nemorum.

Kàa-paou. Eſt ſylua in media planitie.

Kaa ouan. Qui in ſyluis educatus eſt.

Kaa gerre. Cacodęmō eſt qui ipſos vehemēter vexat.

Tgat. Linter ex cortice arborum, triginta aut quadraginta homines ad bellū euntes capiēs: accipitur etiā pro naui quā vocāt *yguerreußou*.

Puiſſa-ouaſſou. Eſt rete piſcatorium.

Inguea. Eſt magna Cymba ad piſcandum.

Inguéi. Diminutiuum, Cymba quæ vſui eſt cū fluuij exundant. T.

Nomoquot. mae taſſe nomidéſue. Quęſo ne quid amplius nomines.

Emourbéou deretamicheſue. Iam de tua patria, & habitatione diſſere.

Augêbé derenguè eporem doup. Bene eſt, primū ergo interroga.

Ia eh marape deretam-rere. hoc faciam. Quod eſt patrię ac regioni tuæ nomen? G.

Rothomagum. Vrbs quędam nominis. T.

Tan ouſcou-pe-um? Eſtne magnus vicus? Nullā ponunt differentiam inter vrbē & vicū: quia ipſi nullas habent vrbes.

G.

Pa. Sic eſt.

Nubes.
Montes.
Planities.
Vici & fluuij.
Syluæ.
Inſula.
kaa-gerre Cacodæmon.
Ygat. Cymba.
Rete piſcatorium.
Colloq. de Gallia.

T

Moboy-pe-perouhichah gatou? Quot habetis Dominos G.

Augépé. Vnicum. T.

Mara-pe-ſere? Quod illi eſt nomen? G.

Henricus. 2.

Henry. Tempore henrici ſecundi hæc nauigatio fuit ſuſcepta.

T.

Tére porren c. Præclarum nomen eſt.

Mara-pé-peroubichan eta-ein ? Cur non habetis plures Dominos?

G.

De principe ac ſubditis.

Moroéré-chih-gue. Non plures habemus.

Ore ramouim-aue. A temporibus maiorum neſtrorum. T

Marapienh-pee? Vos verò quid?

G.

Oroicôguè. Nos eo contenti ſumus.

Orée-mae-gerre. Et bene nobiſcum agitur.

T.

Epé noéré, coih-péroupichah-maé? Veſter autẽ princeps bona ne habet?

G.

Oerecouh. Infinita habet.

Oré-maé-gerre a hépé. Quicquid habemus in ipſius arbitrio poſitum eſt.

T.

Oriuy pe ogépé? In bellumne proficiſcitur.

G.

Pa. Ita.

Colloq. de vrb. ac vicis.

T.

Mol ouv-[illegible]aue p[illegible]-[illegible]uc [illegible] ny mae ? Quot vrbes aut vi-

aut vicos habetis?

G.

Setà-gatou. Plures quàm poſſim dicere.

T.

Nireſce nouih-ichopene? Nunquid mihi recenſebis?

G.

Ypo icopouy. Id nimis longum foret.

T.

Yporrenc pe-peretani? Locus veſtræ originis eſt-ne pulcher?

G.

Yporren-gatou. Pulcherrimus.

T.

Eugaya-pe-per-auce. Veſtrę domus ſunt ne ſimiles noſtris?

G.

Oicoe-gatou. Multùm abeſt.

T.

Mera-vaé? Cuiuſmodi ſunt ergo?

G.

Ita-gepe. Sunt prorſus lapideæ.

T.

Tourouſſou-pe. Sunt ne magnæ?

G.

Tourouſſou-gatou. Maximæ.

T.

Vate-gaton-pé. Sunt ne multùm excelſæ?

G.

Mahmo. Multùm. Id verò vocabulum admirantis eſt.

T.

Engaya-pe-pet-ancynim? Interior pars acceditne ad ſimilitudinem noſtrarum?

G.

*Erymen.*Non.

De rebus ad corpus spectantibus.

T. *Esce-non de rete renomdau eta-ichesué.*Recita mihi ea quæ ad tuum corpus pertinent.

G. *Escendoup.*Audi.

G.. *I-eh.*Paratus sum.

*Ché acan.*Caput meum.*De acan.*Caput tuũ, *Ycan*, Caput suum. *Oreacau.* Nostrum caput. *Pé-acan*,Vestrum caput.*An atcan.*Eorum caput.Vt autem hæc pronomina melius intelligantur,personas singularis & pluralis numeri tantùm declarabo.

Primùm.

*Ché.*Est prima persona singularis num.quę in omni sermonis genere,siue primitiuo siue deriuatiuo,possessiuo,aut alio denique inseruit.

*Ché-aué.*Caput meum aut capilli.

*Ché-voua.*Mea facies.

*Che-nembi.*Meæ aures.

*Cheßhua.*Mea frons.

*Ché-ressa.*Mei oculi.

*Ché-tin.*Meus nasus.

*Ché-iourou.*Meum os.

*Che-retoupaué.*Meæ genæ.

*Ché-redmiua.*Meum mentum.

*Ché-redmiua aué.*Mea barba.

*Ché-ape-cou.*Mea lingua.

*Ché-ram.*Mei dentes.

*Ché-aioeué.*Meum collum,aut mea gula.

*Ché-asseoc.*Meum guttur.

*Ché-poca.*Meum pectus.

*Ché-rocapé.*Mea pars anterior.

Ché-

*Ché-atoucoupé.*Mea pars posterior.
*Ché-pouy-asóo.*Mea spina.
*Ché-rousbony*Mei renes.
*Ché-reuiré.*Meæ nates.
*Ché-inuanpony.*Mei humeri.
*Ché inua.*Mea brachia.
*Ché-papouy.*Meus pugnus.
*Ché-po.*Mea manus.
*Ché-poneu.*Mei digiti.
*Ché-puyac.*Stomachus meus aut iecur,
*Ché-reguie.*Venter meus.
*Ché-pourou-asseu.*Vmbilicus meus.
*Ché-cam.*Mammæ meæ.
*Ché-oup.*Coxæ meæ,
*Ché-roduponam.*Genua mea.
*Ché-porace.*Cubiti mei.
*Ché-retemeu.*Tibiæ meę.
*Ché-pouy.*Pedes mei.
*Ché-pussempé.*Vngues pedum meorum.
*Ché ponampe.*Vngues mearum manuum.
*Ché-guy-encg.*Cor meum & pulmo.
*Ché-encg.*Anima mea aut mens.
Ché-enc-gouere. Anima mea postquam è corpore exiit.

Nomina partium corporis pudendarum.
Ché rencouem.
Ché rementien.
Ché-rapoupit.

Quæ quidem breuitatis causa non fusiùs persequar. Notãdum verò est,nomina rerum accommodari non posse nisi pronomina primæ,secundæ,ac tertiæ personæ vtriusque nu-

meri attribuantur. Vt autem meliùs capiantur, hoc ſit exemplum.

Primo.

Che, Ego, *De*, tu, *Ahe*, Ille.

Pluralis.

Oree, Nos. *Peè*, vos. *Au-ae*, illi.

Quòd ad tertiam perſonam *ahe*. eſt maſculinũ. Et pro fœminino & neutro *aè* ſine aſpiratione. Et in plurali *Au-ae*, eſt maſculini ac fœminini generis, & proinde communis.

De rebus ad domũ & culinam pertinentibus.

De rebus ad familiã ſpectantibus.

Emiredu-tata. Accende ignem.

Emo-goep-tata. Extingue ignem.

Erout-che-rata-rem, adfer fomites ad ignem ſuſcitandum.

Emogi pira, piſces coque.

Eſſeſſit, Torre.

Emoui. Elixa.

Fa vecu óuy-amo. Fac farinam.

Emogip-caouin-amo. Compone potum.

Coein vpé. Vade ad fontem.

Erout-v-icheſue. adfer mihi aquam.

Ché-renni augepe. Da mihi potum.

Quere me che-remyou-recoap. Veni vt mihi cibum præbeas.

Taie-poeh. Manus meas lauem.

Tae-iourou-eh. Abluam os meum.

Ché-embouaſſi. Eſurio.

Nam che iourou-eh. Non eſurio.

Che-vſſeh. Sitio.

Ché-reaic. Caleo, Sudo.

Ché-rou. Frigeo.

Ché

Ché racoup. Febricito.

Ché-carouc-aſſi. Triſtis ſum.

Carouc tamen veſperam ſignificat.

Aicoteue. Me res quædam excruciat.

Che poura-ouſſoup. Peſſimè agitur mecum.

Che roemp. Lætus ſum.

Aico memouoch. Ludibrio expoſitus ſum.

Aico-gatou. Res mihi cedunt ex ſententia.

Che-remiac-ouſſou. Meum mancipium.

Chere miboye. Meus ſeruus.

Che-roiac. Qui ſunt minores me & ad mihi miniſtrandum nati.

Che-porracaſſare. Piſcatores mei.

Ché-mae. Bona mea, merces, ſuppellex. Denique quidquid meum eſt.

Ché-rémigmognem. Eſt induſtriæ meæ.

Ché-rere-couarré. Meus cuſtos.

Chéroubichac. Qui eſt maior me, quem nos Regem noſtrum, ducem, principem denique vocamus.

Mouſſacat. Eſt bonus paterfamiliâs qui peregrinos viatores excipit.

Querre-muhau. Potens in bello, & in quadam re perficienda ſtrenuus.

Tenten. Qui videtur in bello, aut in alia re fortis.

Ché-roup. Pater meus.

Ché-requeyt. Meus frater natu maior.

De progenie.

Ché-rebure. Minor natu.

Ché-renadire. Mea ſoror.

Ché-reue. Filius ſororis meæ.

Ché-tipet. Filia ſororis meæ.

Ché-aiche Amita.

Ai. Mater mea. Dicunt etiam *Ché-ſi,* Mater mea: & ſæpe quidam dum loquuntur de ipſa.
Ché ſut. Socia matris meę, quæ patris etiam eſt vxor.
Ché rayt. Mea filia.
Chéremenmynou. Filij filiorum meorum & filiarum. Notandum eſt auunculum nomine, patris vocari & patrem nepotes & neptes ſuos filios ac filias appellare.

Verbũ apud Grãmaticos

Quod Grammatici noſtri verbum nominant apud Braſilienſes dicitur *guengaue,* quod idem eſt ac loquendi modus. Vt autem aliquam eius rei notitiam habeamus, exemplum in medium proferemus.

Primum.

Singul. Indicat. aut demonſtrat.

Aico, Sum. *Ereico.* Es. *Oico,* eſt.

Pluralis.

Oreico, Sumus. *Peico,* eſtis *Auraé oico.* Sunt.

Tertia perſona ſingularis & pluralis ſimiles ſunt, niſi quòd in tertia *an aé* pluralis numeri pronomen eſt addendum quod ſignificat, Illi, vt apparet in præterito imperfecto numeri ſingularis, quod reſoluitur per aduerbium *aquoémé.* Id eſt eo tempore.

Aico-aquoémé, Tunc eram.
Ereico-aquoémé, Tunc eras.
Oico aquoémé. Tunc erat.

Plus imperfectum.

Oroico aquoémé. Tunc eramus.
Peico aquoémé, Tunc eratis.

Aurai

Aurae-oico-aquoémé. Tunc eram.

Pro præterito perfecto.

Singularis.

Accipiemus verbũ, *Oico*, vt ante & hoc aduerbium *Aquoé-méné*, quod eſt temporis præteriti & pluſquam perfecti.

Exemplum.

Aſſauouſſou-gatou-aquoéméné, Eũ perfectè amaui eo tẽpore. *Quo-nénén-gatou tégné*, Nũc vero nullo modo quaſi dicas debebat amicitiã meam colere quando ipſum amabam.

Pro futuro. *Aco-iren*, Ero in poſterũ. Et ita deinceps de ſingulis perſonis tã ſing. quã plu.

In Imperatiuo.

Oico, Sis. *Toico*. ſit.

Plurali.

Toroico, Simus, *Tapeico*. Sitis.

Aurae-toico, Sint. Pro futuro vero addere oportet, *Irén*, vt ante. Et Imperando pro præſenti dicendũ eſt, *Taugé*, quod eſt, Statim.

Pro optatiuo.

Aico-mo-mẽ. Quã libẽter eſſẽ. Et ſic deinceps. Optatiuum reſoluimus per aduerbium *Iron*.

Exemplum.

Taico-de-iron, Tecum ſim & ſic deinceps.

Participium.

Chéré coruré. Ens. Quod participiũ rectè per ſe intelligi non poteſt niſi addatur pronomẽ *de-abe-et-aé*. Pluralis quoque *Orée, pée, an-ae*

Vox indefinita pro infinito accipi poteſt. Sed ea rarò vtuntur.

Coniugatio verbi *Aiout*. Exẽplũ Indicatiui,

aut demonſtratiui in præſenti tempore.

Singularis numerus.

Aiout. Venio, aut veni.

Ere-iout. Venis, aut veniſti.

O-out. Venit, aut venit.

Plural. numerus.

Ore-iout. Venitis, aut veniſtis.

An-ae-o-out. Veniunt, aut venerunt.

In aliis tēporibus accipere debemus aduerbia quę pòſt declarabimus. Nullū enim verbū coniugatur quin per aduerbiū reſoluatur, tū in prętertito, prę̨ſenti imperfecto, pluſquamperfecto, Indefinito & futuro.

Exemplum præteriti nondum perfecti.

Aiout-agouéme. Tunc veniebam.

Exemplum præteriti imperfecti & perfecti.

Aiout-agouéméné. Veni, aut veneram eo tēpore.

Aiout-dimaé-né. Lōgum tempus elapſum eſt à quo veni.

Quæ tempora potiùs indefinita ſunt cenſenda.

Exemplum futuri.

Aiout-Iran-né. Veniam certa die. Poſſumus etiam dicere *Iran.* quamuis non addatur *né.*

Notandum eſt etiam quòd dū addūtur aduerbia, perſonæ repetendę ſunt, vt ſic in præſenti indicatiui & demonſtratiui.

Exemplum Imperatiui ſingularis numeri.

Eori. Veni: habet tãtùm ſecundã perſonam.

Eyot. Nam in hac lingua non poſſumus imperare tertiæ perſonæ, quã nō videmus. Poſſumus

ſumus quidem dicere.
Emo-out. Fac vt veniat.

Pluralis numeri.

Pe-ori. Venite.
Pe-iot. Venite.

Soni.

Eiot & *pe-iot*, Similẽ ſẽſum habẽt, ſed prior, *eiot*, honeſtius eſt inter homines, quoniã vltimus *Pe-iot*, vſurpatur in vocandis beſtiis & auibus quas domi alunt.

Exemplũ optatiui: tamen videtur imperare.

Singula.

Aiout-mo. Libenter veniſſẽ. Et ſic de cęteris perſonis vt in Indicatiuo: habet tẽpus futurum addito aduerbio.

Exemplum coniunctiui.

Ta-iout. Veniam.

Sed ad implendam ſignificationẽ addẽda eſt hæc vox *Nein*. quę eſt aduerbium exhortandi, imperãdi, orãdi, & incitãdi. Verbũ hoc indicatiuo caret: attamẽ ab eo formatur participium.

Tovvme. Veniens.

Exemplum.

Che-rourmé-Aſſoua nitin.
Ché remiéreco pouére.

Vt veniens inuêni quod aliâs perdideram.

Senoyt-pe. Hirudo.

Inuby-a. Cornua lignea quibus barbari ſonitus cient.

FINIS COLLOQVII.

Insuper vt faciliùs iudicium de rebus à nobis in hac historia commemoratis ferre possint tum ij quibuscum eundo, ac redeundo nauigaui, tum ij omnes qui me in America viderunt, (è quibus non paucos superstites esse credo) ipsique adeò nautæ, aliique qui vel tantillum ad Sinum *Ganabara* sub Capricorni Tropico vixerunt: In eorum gratiam colloquio catalogum hunc, qui nomina pagorum 22. ad quos non semel oberraui adiungere visum est.

Pagi 22. quos in America peragrauit Autor.

Ac primùm quidem hæc sunt eorum nomina qui siti sunt ad dexteram, ingredienti sinum illum. *Cariane*.1. *Yaboraci*. 2. Quorum postremum Galli Pepinum nominabant, de nauarchi cuiusdam nomine, qui nauem aliquando ad eum pagum onerarat.

Euramyry.3. A Gallis Goslet nominatur de interpretis cuiusdam nomine, qui aliqandiu ibi habitarat.

Pira-ouassou. 4. *Sapopem*. 5. *Ocarentin*, pagus amoenissimus. 6. *Oura ouassou-oucé*. 7. *Tentimen*. 8 *Cotina*. 9. *Tauo*. 10. *Sarigoy*.11.

Alium præterea Galli petram vocant, ob rupeculam à mola non absimilem, quæ syluam ingredientibus iter ad istum pagum indicabat.12. Alium quoque Galli *Vpec* nominant de Indicarum gallinarum nomine, quas Barbari *Vpec* nuncupant.

Alium præterea sagittarum vicum appellabamus, quòd cum primùm ad eum iter facere-

cęremus, in syluam ingressi, sagittas multas ad procerissimæ cuiusdam arboris putrefactæ cacumen emissas defixeramus, quę in posterum indicis vices nobis præstarent. 14.

Qui ad dexteram.

Keri-u. 15. *Acara-u*. 16. *Morgouia-ouassou*, 17.

Qui in Insulam magnam.

Pindo-oussou. 18. *Corouque*. 19. *Pirauijou* 20. Alius prætereà, cuius nomen mihi excidit situs inter *Pindo-oussou*, & *Pirauijou*, ad quem in quibusdam captiuis emendis operam posui. 21.

Alius quoque inter *Carouque* & *Pindo-oussou*, cuius etiam appellatio non occurrit 22.

Quæ sit tum pagorum, tum ædium forma alibi demonstrauimus.

CAP. XXI.

De nostro ab America discessu: déque naufragijs & alijs non minimis periculis, quæ primùm in reditu nostro euasimus.

VERAM discessus nostri ab America causam si quis intelligere cupit, in memoriam sibi id reuocet necesse est quod suprà Cap. VI. sub finem retulimus. Nos nimirum postquã menses octo in Insula quam occuparat Villagagno, viximus (quos ad Idololatriam vi adigere non poterat) ab eo post suam à veræ religionis defectionem eiectos fuisse. Itaque in continentem secessimus, ad sinistram Ganabaræ sinum ingredientibus, ad eum locum quem nos *la briqueterie* nuncupamus, qui ab Castello Collignio passibus. M. distat. Ibi menses duos in tuguriolis quibusdã à Gallis piscatum euntibus olim extructis degimus. Per illud tẽpus Chappellęus & Boissius quos apud Villagagnonem reliqueramus ad nos veniunt, eàndem ob causam eum deferentes ob quam nos ab illo discessionem feceramus: quòd nimirum ab Euangelio defecisset. Duo verò illi in nostrum sunt adscripti numerum qui naulum sexcentenarum Gallicarum libellarum, vnà cum aliquanta commeatus copia cum nauclero, cuius naui transportati sumus,

Lateritia, locus in America.

Chapellęus & Boissius cur à Villagagnone abscedunt.

mus,pacti eramus.

Verùm antequam vlteriùs progrediar, id eſt à nobis dicendum quod anteà nos dicturos recepimus, nimirum quo ſe geſſerit modo in nobis dimittendis Villagagno. Legati regij nomẽ prę ſe ferebat, munúſque obibat in illis regionibus. Quare Gallorum qui eò veniebant nullus quidquam contra illius nutum adgredi auſus erat. Ille igitur tantiſper dum nauis qua reuecti fuimus in anchoris ſtabat ad Ganabaræ ſinum, quo in loco onerabatur, ex ſcripto nobis abeũdi poteſtatem facit,& literas dat ad nauarchum, quibus illi ſignificat ne cunctaretur nos naui deportare, id quidem illi per ſe licere: nam (inquiebat fraudulẽter) quàm gratus fuit mihi olim eorum aduentus,quo me id aſſequutum eſſe rebar quod optabam, eorum diſceſſione tam delector, quando mecum non conſentiunt. Qua ſpecie inſidias nobis clam ſtruxerat. Arculam enim cerata tela obuolutam (qui mos eſt ab nauigantibus receptus) epiſtolis plenã, quas ad familiares ſcribebat,eidem nauarcho tradit: quibus dicam in nos conſcriptam clã interſerit,qua primo quoque obuio regio Iudici vt in nos manus coniiciat,ignique addicat,edicit,vtpote hęreſeos criminis reos à ſe peractos. Atq; ita merita noſtra in ſe collata Villagagno indigniſſima perfidia veluti obſignauit. Quam tamẽ(vt mox dicetur)in cõtrarium Deus conuertit euentum: maximo enim noſtro ſolatio, Villagagnonis verò

Villagagnonis indigniſſima perfidia.

ignominiæ cessit.

Tandem Prid. Nonas Ianuarij Anno 1558. nauem nostram, Iacobæam nomine, brasilio, pipere Indico, gossipio, cercopithecis, Sagouinis, psittacis, aliisque id genus quæ iampridem pleriq;ue nostrum, sibi compararāt, oneratam conscendimus. Sed antequam è portu soluamus prætermittere nolo, vt magis ac magis pateat Villagagnonem vnum impedimento fuisse quominus Galli regionem illam tenuerint, Faribæum quendam nomine, Rothomagensem, nauis nostræ præfectum nauigationem illam suscepisse religiosi nominis procerum rogatu, vt terram illam exploraret, atque habitationi idoneum locum deligeret. Ac sanè is nobis significauit, nisi Villagagnonis defectio obstitisset, vltra octingenta hominum capita longis belgicis nauibus eò nauigatura mox fuisse. Ego verò facile credo, si Villagagno constanter in proposito perseuerasset è Gallia vltra capitum decem millia eò commigratura fuisse, quæ & Insulam nostram ab Lusitanorum insultibus propugnassent (qua tamen non multò post discessum nostrum sunt potiti) amplissimósque ac fertilissimos agros sub regia autoritate in America incolerent. Quæ terra si id cōtigisset, Antarcticæ Galliæ nomen quod inditum fuerat, meritò retinuisset.

Villagagnonis à vera religione defectio in causa est eur à Gallis America nō sit occupata.

Sed vt ad rem, eodem ipso die, nimirum Prid. Non. Ian. soluimus, ac Deo duce, vasto illi Occidentali Oceano rursum nos com-

mit-

mittimus. Recenſione facta, capitum numerus ad quadraginta quinque eſt inuetus. Nauigium enim quo vehebamur oneraria erat nauis mediocris, cuius Nauarchus, nomine Baudouinus, de quo antè facta eſt mentio, nautas vigintiquinq; habebat, nos verò quindecim eramus. Nauigationem porrò illam nonniſi imminentis periculi cum formidine ſuſcipimus: enimuerò plerique noſtrûm ob infinitos quos inter eundum exantlauerant labores, niſi adeò iniquus nobis fuiſſet Villagagno, vt in Galliam remigrarent nunquam adduci potuiſſent: tum quòd ſincerè Deum illic colere liceret, tum etiam ſoli fertilitate experta: quarum rerum in Gallia tum erat, atque eſt etiamnum longè maior difficultas. Hinc fit vt ego, qui Patriam meam ſemper amaui atque amo, Americę valedicturus, hoc loco fateri cogar, me non rarò Americanorum conſortij teneri deſiderio, apud quos integritatem ac ſynceritatem maiorem ſum expertus quàm apud noſtrates pleroſque Chriſtianum nomen præ ſe ferentes. Iam enim apud nos fides nulla supereſt, réſque adeò noſtra tota Italica facta eſt, ínque diſſimulationibus, atque verbis inanibus poſita.

Qua die ab Americā diſceſſimus.

At quoniam ipſo nauigationis noſtræ initio Breuia erant nobis tranſmittenda, (ſunt autem ſcopuli arenæ permixti) quæ in mare ad LX. paſſ. Mill. porriguntur, quæ etiā quàm longiſſimè poſſunt fugiunt nautę, vento non ſatis ad altum tenendum ſecundo, vt tā grauè

Breuia.

declinaremus periculũ retrò cedere propemodum coacti fuimus. Attamen poſtquam totos ſeptem dies fluctibus agitati oberrauimus, nec multùm promouimus circa mediam noctẽ accidit nobis vt nautis pro more alternatim aquam è ſentina ὑδραύλῳ haurientibus quamuis diu multúmque in illo perſtitiſſent labore eã tamen exhaurire nuſquam potuerunt. Nauclerus noſter rem illam admiratus ad ſentinam deſcendit, quidnam rei illud eſſet ſciſcitaturus. Nauem rimoſam atque adeò aquis oppletam, vt iam paulatim demergi eam perſentiremus, comperit. Quare, minimè quærendum arbitror, vtrum ſingulis noſtrûm expergefactis vbi imminens illud periculum in quo verſabamur innotuit, vehementer perculſi fuerimus nec ne. Ac ſanè, tam certum erat ſubmerſionis mox futurę indiciũ, vt ſalutis ſpe omni abiecta, plerique iam mortem expectarent.

Imminẽs naufragium.

Veruntamen Deo ita prouidente quidam (in quibus eram) vitam ſuam quàm longiſſimè poſſent producere decernunt: ſéque colligunt, ac duobus ὑδραύλοις nauem ad horam vſque meridianam ſuſtentant, hoc eſt, duodecim horarum ſpatio, quo tanta abundantia in nauem influxit quanta totis viribus à nobis potuit exhauriri. Immo cum braſilium quo erat nauis onuſta aqua attigiſſet, ſanguinem bubulum rubore referens è canalibus effluebat. Tantiſper igitur dum tãta cũ diligentia, quantam res ipſa flagitabat, neruos omnes

con-

contendimus, ſecundo flante vento ad reditum in Barbarorum oram, quam (vt pote non multùm à nobis remotam) illius diei hora vndecima conſpeximus, proram eò conuertimus. Interea nautæ qui cum fabro lignario ſub foris erant rimulas quæ aquæ ingreſſum præſtabãt luſtrantes, tã gnauiter officio functi ſunt, vel lardo, plumbo, panniculis atque id genus aliis quæ illis non parcè nobis ſubminiſtrabantur, infeſtiſſimas quaſque obturant: atque ita viribus iam deficientibus pauliſper leuati fuimus. Attamen vbi faber lignarius nauem vndiquaque diligenter recognouit, aſſeruit eam (vtpote vetuſtam & vermibus eroſam) ad tantam nauigationem minimè eſſe parem quanta erat ea cui iam nos accincti eramus: Autórque fuit, vt vnde exceſſeramus eò rediremus, ibíque vel nauem aliam è Gallia venturam opperiremur, vel nouam conderemus: de qua ſententia acerrimè eſt certatum. Nihilominus tamen vicit naucleri ſententia, qui veritus vt ſi litus repeteret, nautis deſtitueretur, malle ſe affirmauit, vitam ſuam ad omnes caſus obiicere (quę erat illius amentia) quàm merciũ atque adeò nauis ipſius iacturam facere. Se quidem Philippo, aliiſque quibus præerat, ſi ad Americam oram redire animus eſſet, ſcaphã ad eos vſus daturum eſſe. Ad quæ properè Philippus ſe quidem Galliam repetere decreuiſſe, atque ſuis omnibus vt idem facerent autorem eſſe reſpondit. Nauclerus verò alter excepit, na-

uigationem periculosissimã esse: ac prætereà presentire se eam diuturniorem futurã quàm vulgò crederetur: ac proinde commeatum tot hominibus alendis nõ suffecturum. Quibus auditis ex vniuerso numero sex conuenimus, qui nauigationis pericula, ac præcipuè famem imminentem reformidantes Americanam oram à qua xx. tantùm passuum millia aberamus, repetere statuimus.

Id consilium vt exequeremur, haud mora, sarcinas nostras in scapham coniicimus, quæ nobis data fuerat, cum farinę exiguà copia, atque aliquãtulo potu. Sed dum mutuo valedicentes bene alij aliis precaremur, quidam ex iis qui cum Philippo remanserant, summo quo me prosequebatur amore motus manum mihi porrexit atq; ita infit, obsecro te vt nobiscum remaneas, fac nos minimè in Galliam esse appulsuros, attamen longè maior affulget spes salutis, siue ad Prouinciam Peruensem, siue ad aliquam insulam appellamus, quàm si ad Villagagnonem reuertamur, apud quem (vt facilè est coniicere) quieti nunquam eritis. His permotus cum longiori orationi locus non daretur, ego relicta in scapha sarcinarum mearum bona parte in nauem rursus confestim conscendo, atque ita periculum summum (vt dicemus) ab amico illo sagaciter præuisum effugi. Quinque reliqui quorum nomina non sine causa hoc recensebo loco, Petrus Bordonius, Ioannes Bordellus, Matthæus Vernellius, Andreas Fontanus,

Gallorum quinque in Americam reditus.

nus, Iacobus Ballæus, ægrè à nobis nec ſine lachrimis abſcedentes Americanam oram repetiêre. Ad quam nonniſi maximo labore tandem appulerunt, atque ad Villagagnonẽ redierunt, qui tres primo nominatos loco ob Euangelii confeſſionẽ morte adfecit, vti fuſiùs à nobis dicetur ſub finem iſtius hiſtoriæ.

Itaque rebus omnibus apparatis, vela damus rurſúmque mari nos committimus, putri ac vetuſta illa naui vecti in qua ceu in ſepulchro mortem potius quàm vitã operiebamur. Ac ſanè preterquam quod maximo cum labore Breuia illa tranſgreſſi ſumus, per totũ Ianuarium menſem continuis procellis ac tẽpeſtatibus agitati fuimus, nauíſq; noſtra maximam aquæ copiã rimulis excipiebat, quam niſi continuo exhauſiſſemus, centies de die (vt ita dicam) periiſſemus. Labor autem ille non fuit vnius diei.

Maximo igitur illo labore vltra quadringenta paſſuũ mill. prouecti, Inſulã quandã incultam cõſpicimus, in modũ turris rotundã, quæ quãtum cõiectura aſſequi poſſum paſſus mille in ambitu habebat. Eam verò cũ ad dexteram preternauigaremus, eã non modo virentibus eo menſe Ianuario abundare animaduertimus, ſed etiã tanta auiũ copia, quarũ non paucæ malo rudentibúſque nauis noſtræ inſidentes prehendi ſe atque contrectari patiebãtur, vt eminus columbariũ forma referret. Aues in ea erant nigri, leucopei, ſubalbi atq; varii id genus coloris, omnes quidẽ inter

Inſula inculta arboribus atque auibus abundans.

volandum amplitudinem non mediocrē præ ſe ferebant, verùm captis quibuſdam vbi plumis eas nudauimus, corpore paſſerem amplitudine non ſuperante eas eſſe comperimus. Vltrà quatuor paſſuū mill. progreſſi ad dexteram rupes acutas emergentes conſpicimus, quę res metum dedit ne plures illiuſmodi ſub aquis laterent ad quos nauis alliſa frangeretur, quod ſi contigiſſet ab ea exhaurienda immunes fuiſſemus. Toto nauigationis illius noſtræ tempore quæ fuit quinque menſium terras nullas exceptis inſulis illis conſpeximus quas Nauiculatores noſtri in ſuis chartis minimè notatas inuenerunt, ac forſitan etiam à nullis antea conſpectæ fuerant.

Sub finem Februarij mēſis ad æquinoctialem circulum acceſſimus, adeò vt tribus tantum gradibus ab eo diſtaremus. Sed quia dies iam quinquaginta erant elapſi, cum nauigationis partem tertiam nondū confeceramus, commeatus verò pars bona erat conſumpta, ambigebamus vtrum ad S. Rochi promontorium deflecturi eſſemns necne, quæ terra Barbaros quoſdam incolas habet, à quibus commeatum nos accipere poſſe nonnulli ſpem faciebant. Vicit tandem eorum ſententia, quibus viſum eſt vt vlterius progrederemur, vtque cercopithecorum & pſittacorum quos nobiſcum vehebamus, pars occideretur, atque ita commeatui parceretur.

S. Rochi promontorium.

Porrò quarto huius hiſtoriæ capite ſummos retulimus labores qui nobis inter eundum

dum fuerunt exantlandi, vbi ad circulum æquinoctialem accessimus. At verò quia ipse expertus sum, non faciliorem à polo antarctico hoc tendentibus esse accessum, quæ mihi de ea re probabiliter videntur dicenda hoc loco adiiciam. In primis igitur illud ponendum est, circulum æquinoctialem cuius situs est ab Euro ad Fauonium, quasi dorsum siue spinam mundi esse, iis qui ab Aquilone ad Austrum nauigationem instituunt, & contra, (nam alioqui sat scio in globo nihil summum nihil infimum esse) dico igitur & accessum ad mundi illam summitatem esse ab vtraque parte difficillimum, & in mari fluctus vtrinque æstuantes, quos tamen in immani illa abysso cernere est difficile. Ventos quoque ab eo loco erumpentes atque in contrariam partem flantes, naues ipsas Æquinoctialis circuli accessu prohibere. Cui meæ sententiæ id suffragatur quòd statim vbi vel gradũ vnum ab vtrauis parte transgressi fuerint nautæ, lætitia summa exultantes, ac de reliqua nauigatione bene ominantes sese inuicem ad commeatum edendum hortantur: adeò vt naues in decliui globi versantes, non ita difficulter agantur, atque ad summitatem illam tendentes agebantur. Adde quod maria omnia inter se quamuis conuexa (quæ tamen admiranda Dei prouidentia ne terras obruant frenantur, licèt in terris fundata sint, atque adeo supra ipsam terram elata, quam in varias Insulas, & quasi particulas diuidunt

Quid causæ sit cur circa Æquinoctialẽ lineam difficilis sit nauigatio.

quas item inter ſe quodammodo concatenatas quibuſdam filamentis & radicibus, vt ita loquar, in imis gurgitibus eſſe exiſtimo) cùm inquam hæc tanta aquarum moles vnà cum terra ipſa ſuſpenſa quæque duobus axibus ſuſtentata (quos axes in quadrangulis vtrique polo oppoſitos eſſe fingo, quorũ quatuor, decuſſes duas faciunt, quæ in orbem & ſemicirculum ſphæram totam ambiunt) perpetuo agitur motu, quòd ex æſtu marino apparet. Cùm igitur motus ille ſub Æquinoctiali circulo initium habeat, certiſſimum eſt hemiſphærio meridionalium aquarũ ad præſcriptos limites recedente eos qui in medio globo verſantur quaſi in æquilibrio nonnihil hac quoque ratione ab curſu cohiberi. Addo inſuper, quod & alibi attigi, aeris intemperiem malaciáſque, quæ ſub æquatore crebrò obtinent, non parum incommodi afferre: imo obſtare quo minus celeri curſu tranſmittatur. Hæc ſunt quæ paucis ac quaſi obiter de hac re mihi dicenda fuere, de qua tamen in vtramque partem controuerti facilè eſſe exiſtimo. Ac ſanè nemo eſt, quantumuis eruditus, qui de his rebus ſtatuere quidquam poſſit, quod non refellatur. Solus enim Deus qui ingentem hunc orbem aqua terráque conſtantem condidit, quémque non ſine inſigni miraculo ſuſpenſum continet, arcana iſthæc omnia nouit. Ac ſanè non eſt difficile argumenta quæ paſſim in ſcholis de hac re agitantur confutare; quæ tamen minimè

ſunt

ſunt contemnenda, eo præſertim nomine quòd ingenia acuunt, dummodo iſthæc omnia non primam (quod faciunt Athei) ſed ſecundas eſſe cauſas meminerimus. Denique nihil certi hac in parte agnoſco niſi id quod ſacrę tradunt literę. Illæ enim Spiritum illius authorem habent à quo veritas omnis manet, ac proinde ſolas illas indubitatas habeo.

Sed curſum noſtrum perſequamur. Cùm tandem ad æquinoctialem circulum paulatim maximis cum laboribus perueniſſemus, Gubernator nauis, eleuationem noſtram aſtrolabio rimatus eſt: atque aſſeruit nos ſub linea illa æquinoctiali eodem ipſo die quo Sol ad eam peruenerat verſari, nimirum 4. Id. Mart. quæ res vt apprimè notāda, quęque ante illud tempus pauciſſimis contigiſſet ab illo eſt obſeruata. Pluribus hęc perſequi non lubet, cuilibet tantùm æſtimādum relinquo quanto æſtus tum perpeſſi fuerimus quibus Sol eſſet pro Zenith. Præterea quamuis, aliis anni temporibus Sol modò ad vnū, modò ad alterum ex tropicis exſpatietur: nullibi tamen ſiue mare ſiue terram ſpectes æſtus infeſtior perſentitur, quam ſub illa zona, ſatis id mirari non poſſum quod à quodam alioqui fide (quantum mihi cernere datum eſt) digniſſimo, eſt memoriæ proditum. Hiſpanos quoſdam per regionem quandam Peruanam iter facientes, non modò miratos eſſe quòd ſub æquatore niuem cōſpexiſſent, immò montes niue obtectos ægrè ſuperaſ-

Sub æquatore ipſa die Æquinoctiali verſati ſumus.

Hiſt. Gen. Ind. lib. 4. cap. 126.

ſent,ſed etiam tantum frigus experti eſſent, vt ſociorum ſuorum nonnulli gelu rigore fuerint exanimati. Iam ſi vulgaris illa phyſicorum afferatur ſententia, niuem in media aëris regione creari,quàm faciat ad rẽ,(quod cũ bona eruditorũ venia dictũ ſit) nõ ſatis video. Sol enim perpendiculariter in illa linea radios ſuos in terrã emittit, ac proinde aërẽ calefacit,qui niuẽ ferre non poteſt nedum vt eam cõgelet concreétque. Nec magis mouet me quod de montium altitudine atque de Lunæ frigiditate vulgò dici ſolet.

Quare inſolidum quid illud eſſe ſtatuo,atque ab Philoſophorum regulis exceptum:ſolutionem verò certiorem afferri minimè puto ea quam Deus ipſe Iobo affert,cui vt oſtẽderet homines quantumuis acutiſſimos præclaris ſuis operibus rapiendis minimè pares eſſe,ait: An meos theſauros peneſtraſti? An grãdinis theſauros oculis perluſtraſti? Quaſi ſummus ille opifex Iobo diceret,Quem horreum mihi putas eſſe, quo iſthæc contineantur?túne iſtarum rerum cauſſas rimari potes? Minimè id quidem, tu imperitior es quàm qui iſthęc poſſis aſſequi.

Iob.38.22.

Sed ad rem. Africus tandem ventus nos ab æſtibus illis ſummis eripuit, in quibus procliuius erat vt torreremur,quã in Papali purgatorio igne:ac mox arcticum polum, cuius conſpectu annum integrum carueramus, intueri cœpimus. Cæterùm ne lectores diutiùs detineam, ea minimè repetam quæ à nobis

ſunt

ſunt commemorata, de permultis obſeruatu dignisſimis, de piſcibus volantibus, aliíſque prodigioſisſimis, non vnius generis, qui à nobis inter eundum ſub torrida illa zona viſi ſunt: verùm eos ad narrationem illam remitto.

Iam igitur eorum à quibus eripuit nos Dominus periculorum narratio eſt repetenda. Iurgium ſubortum erat inter vnum ex præfectis nauis noſtræ,& nauiculatorem noſtrum, quo fiebat vt neuter rectè officio ſuo fungeretur. Contigit vt nauiculatore ad 7. Cal. April. vicem ſuam explente vela omnia expandi atque in altum erigi iuſſerit: turbinem verò imminentem non animaduerterit, qui repentè in vela noſtra tanto impetu irruit. (quæ vt contraherentur iusſiſſe debuerat) vt naui in latus inclinata, adeò vt mali ſummum aquam attigerit, quin & rudentes, auium caueæ, aliæque ſarcinæ paulò negligentiùs collocatæ in mare deciderint, non procul abfuimus ab exitiali ſubmerſione. Attamen rudẽtibus ſumma celeritate abſcisſis, nauis paulatim erecta eſt. Nihilominus tamen nos in ſummum diſcrimen tum deueniſſe meritò affirmare poteramus. Illi tamen quorũ culpa totum illud nobis euenerat, non illo periculo manſueti facti ſunt, atque ad concordiam allecti. Sed contra ſimul atque à periculo exoluti fuerũt, gratiarum actionis loco pugnam intentarunt inter ſe adeò obſtinatam vt periculũ eſſet ne tandẽ ad cædem deuenirent.

Humanũ ingenium niſi à Deo immutetur, indomitum.

Aliquot poſt diebus obtinente malacia, faber lignarius cum nautis qui de nobis leuandis à tanto labore (dies enim ac noctes in naui exhaurienda ὑδραυλοις occupabamur) ſoliciti erant, rimas quas obthurarent diligenter perquirunt. Sed dum quandam ſarciunt, accidit vt aſſer longitudine & latitudine pedis vnius auulſus ſit, aqua verò tanta copia tantóque impetu in nauem irruperit, vt nautas ipſos è veſtigio abegerit, adeò vt illi fabrum lignarium reliquerint ſolum, ad nos verò qui in foris eramus accedentes re ipſa minimè explicata ſummo cum pauore exclamabant, actum eſt de nobis, actum eſt de nobis.

Caſus qui ſubmerſioné nobis propemodum attulit.

Ad hæc Prefectus, cũ nauarcho & Gubernatore, periculo vrgẽte aſſeres nauis quę foris ſunt tegumẽto cõfeſtim in mare deiiciũt, quo faciliùs educeretur ſcapha. Braſilij quoq; maximam vim aliáſque merces quarum precium ad Gallicarum libellarum millia decem accedebat. Illi igitur cõſilium de naue relinquenda inibãt, déque ſalute quęrenda in Scapha: Quam rurſum ne nimio onere opprimeretur metuebant. Quo factum eſt vt nauarchus ſtricta machæra nos omnes ingreſſu illius prohibuerit: minatus, ſe brachium illi abſciſſurum qui primus in illam ingreſſum moliretur. Igitur rabido mari permiſſos nos eſſe autumabamus. Prius tamen illud naufragiũ ex quo ſingulari Dei ope emergeremus, in mentem nobis redibat, hortabatúrque vt totis viribus in eo perſtaremus, ne nauis obrueretur: cum tamẽ alioqui ęquè mortem

atque vitam opperiremur. Tamen tātum effecimus vt nauem incolumem retinuerimus. Atqui non omnibus erat ea animi fortitudo: nautæ enim plerique mortis illius quod imminebat genus reformidātes, adeò obstupuerant, vt rerum omnium curam iam abiecissent. Ac sanè, merito quidem asseuerare possum impios illos atheos qui passim inter pocula eos irridēt qui mari sese cōmittunt, quíque tot pericula subeūt, si apud nos adfuissēt nugas illas & ludibria sua confestim horrēdis terroribus permutaturos fuisse. Mihi porrò dubium non est quin eorum qui isthæc aliáque quę iā commemorauimus pericula sunt lecturi plerique ex nostrate forma exclamēt. Quàm tutum est brassicas in continente plātare! Quàm faciliùs admirāda de Barbaris audiūtur quàm visuntur! Quàm sapienter olim Diogenes eos laudabat qui nauigādi cōsilio inito minimè tamen nauigabāt! Atqui nōdū nostrorum hic fuit exitus malorū: tum enim cum in istud incidimus discrimē ab portu ad quem tendebamus vicies centena passuum millia aberamus. Fuerunt itaque multa alia nobis subeunda pericula: quinimo (vt mox dicetur) tantā perpessi fuimus famem, vt non pauci ex nostris extincti ea fuerint. Sed interim subiicienda est ratio qua istud euasimus periculum. Faber noster lignarius humilis quidem staturæ vir, sed animo forti, nauis sentinam vt cæteri minimè reliquerat, sed cōtra penulā suā nauticā vasto illi hiatui ad-

mouerat, pedibúsq; vt aquę virib. obsisteret quibus tamẽ non semel est à suo loco dimotus, atque in altum elatus, calcabat, tum quãta poterat vocis cõtentione eos aduocabat qui in foris erant consternati atque in summam iam deuenerant desperationem : monebátq; vt sibi vestes, xylina cubilia, aliáque quæ vsui erant subministrarent, quibus quàm maximè possent aquæ impetus tantisper cohiberetur, dum asserẽ appararet, quo hiatus ille perniciosus resarciretur. Quibus diligenter suppeditatis illius opera ab tam præsenti periculo liberati fuimus.

Ab eo tempore ventis adeò aduersis vsi sumus, vt nauis nostra modò ad Eurum, modò ad Fauoniũ depelleretur, cũ tamẽ ad Austrũ tẽderemus. Prȩterea Gubernator noster illius artis nõ admodũ peritus à cursu aberrauit, atq; ita incertũ cursum donec ad Tropicum Cancri peruentum fuerit tenuimus.

Præterea per quindecim dies inter herbas mari innatantes versati sumus, quarum tanta erat densitas, tantáque copia, vt nisi securibus eas secantes, nauigio, quod illis frangendis erat impar, viam fecissemus, futurum autumo fuisse vt ibi substitissemus. Quoniam autem herbarum illa copia mare quodãmodo turbidum efficiebat, nos in paludib. cœnosis versari credebamus: ac proinde Insulas quasdam in propinquo esse iudicabamus. Verùm iacta bolide, cui funis quingentenarum vlnarũ longitudine alligatus est, nec fundum atti-

Herbidũ mare.

attigimus,neque etiam Insulas vllas aut continentem animaduertimus. Ad hæc id commemorare libet quod ab Ind. Hist. de hac re memoriæ est proditam: Christophorus Columbus,inquit,ea quam primùm instituit nauigatione ad Indiam nouam cognoscēdam, Anno nimirum 1492. Commeatus reparandi gratia ad vnam ex Canariis Insulis diuertit, à qua paulò post digressus, cùm dies permultos nauigasset, tandē ad mare adeò herbidū deuenit vt pratum referret. Quæ res non parum eum commouit quamuis nullum subesset periculum. Sed herbarum illarum descriptionem subiungere placet. Colore sunt subflauo,ad fœnum iam exsiccatum accedente, foliis à ruta hortensi non absimilibus: baccas iuniperinas referentibus: prælongis quibusdam filamentis ac fibris colligantur, non absimili ab hædera terrestri modo,atque ita radicibus expertes, mari ipso innatant. Cæterùm non satis tutò tractantur, nonnunquam etiam sordes nescio quas rubras, quarū forma ad galli gallinacei cristam accedit mari innatātes vidi,quarum adeò periculosus erat contactus,vt si à nobis attrectarentur,manus confestim intumesceret, ac rubore infestaretur.

Hist. Gen. Ind. li. 1. c. 16.

Herbarū illarū marinarum descriptio.

Quisquilia rubra mari innatātes.

At quia nuper in sermonem de bolide incidimus,de qua multa ab anilium fabularum commentis non admodum aliena sæpius audiui,nimirum nauigantes ea iacta è terra quę inhęret,quibus in regionib. versentur agno-

ſcere quod falciſſimum eſſe de Occidentali mari aſſero. Itaque quod res eſt ſubiiciã. Bolis ergo inſtrumentum eſt trũculum piramidalem forma referens ac acuta parte perforatũ, quod funibus attexitur, ſebum verò ab altera parte applicantes in profundum demergũt nautę quoties locũ ſtationi idoneum nactos ſe eſſe putant. Cui ſi arena adhęſerit opportunam eſſe ſtationem colligũt: ſin minùs, limum aut rupes ſubeſſe cognoſcunt, cui anchora defigi minimè poteſt, ac proinde aliò eſſe properandum.

Bolis quid ſit, quiſque illius vſus.

Hæc habui dicenda ad erroris illius refutationem. Ij enim omnes qui in alto Oceano nauigarunt immenſam eſſe illius & inſcrutabilem, quantauis maxima funium copia adhibita, profunditatem norunt: Quò fit vt dies noctéſque, quãdiu ſecũdus eſt ventus, curſus ſit tenendus: obtinente verò malacia, cõſiſtere neceſſe ſit. Nauigia enim mari illi accommoda perinde ac naues actuariæ remis non agũtur. Ex quo patet nugas eſſe ea quæ vulgo referũtur: bolide humum erui, qua in quibus terris nautæ verſentur dignoſcant, cùm vaſti illi gurgites (vt ſuprà dixi) ſint penitus imperſcrutabiles: Quòd ſi in mediterraneo mari, aut in ipſa terra vt quidam de Africę deſertis referunt in quibus ſtellarum & pixidis marinę ductu viatores iter conficiũt, locũ habeat, penes authores fides eſto. Ego quæ de Occidentali Oceano dixi vera eſſe confirmo.

Calchõd. de bello Turcico.

Igitur poſtquã herboſum illud mare præter-

tergressi sumus, veriti ne in piratas incideremus, torméta aliquot ferrea aptauimus, aliáque muniméta instruximus. Quæ res nouum nobis creauit periculum. Cum. n. tormentarius noster puluerem igni admouisset, tandiu eum apud ignem reliquit quoad vas cui fuerat impositus cãdesceret, atque adeò ignem conciperet: cuius flamma vniuersum nauigiũ nostrum penetrauit. Adeo vt perparum abfuerit quin ob picem qua vndiquaque oblitũ erat nauigiũ flammis correpti fuerimus quibusdam velis ac rudentibus infestatis, tribus quoq; nautis grauissimè adustis, quorũ vnus post aliquot dies vitam cum morte commutauit. De me quod attinet nisi vultui meo pileum opposuissem, haud dubiè adustione fuissem turpatus, nisi quid grauius mihi accidisset. At illius mei pilei beneficio summis tantùm auriculis capillísque adustis incolumis euasi. Quod quidem ad decimum septimum Cal. Maias nobis contigit. Iam hoc loco aliquantulum est respirandũ nobis per Dei gratiam ab naufragiis, submersione, incendióq; hactenus liberatis.

CAP. XXII.

De extrema fame, tempestatibus, aliisque non paucis periculis, à quibus in Galliam redeũtes diuina ope erepti sumus.

TOT tantisper euitatis periculis è Scylla in Charibdim incidimus. Etenim cibariis nostris iam ante non quidem opiparis pars media repente fuit detracta, cò quòd tum temporis à Gallia decies centena passuum millia aberamus, quam moram non tempestates tãtum, nobis attulerunt. Nam (quod etiam alibi dixi) Gubernator noster à cursu adeò aberrauerat, vt cum assereret nos ad Hispaniæ oram accedere, Insulas Essoreas legeremus, quæ ab Hispaniẽsi ora sexies cẽtena passuum millia distant. Ille igitur error eò inopiæ nos redegit, vt sub Aprilis mensis finem commeatu penitus careremus. Postremum igitur solatium fuit, vt Cellulam gypsatam, in qua commeatus recondi solent, euerreremus: in qua vermes & murium excrementa maiori copia quàm micas reperimus, quisquiliis tamen illis diligẽter collectis, ac sigillatim distributis, pulmentum cõficiebamus, quod nigredine & amaritudine fuliginem superabat. Id genus cibi quàm palato esset gratum

Vermes ac muriũ excrementa vna cũ micis panis colliguntur & eduntur.

gratum minimè eſt quærendum. Per illud tempus quicunque cercopithecos & pſittacos reſeruarant iis(quod iampridem à multis erat factum) veſci non dubitarunt. In ſumma, iam ipſo Maij menſis initio ex nautis noſtris duo fame necati ſunt, atque pro nauigantium more in ipſo profundo ſepulti. Præterea tā dira vrgente fame totos viginti dies procellis ac tempeſtatibus adeò vexati fuimus, vt non modò vela omnia complicare, clauúmque obligare, ſed nauigium amplius regere impotes permittere illud flatibus atque vndis coacti fuerimus. Quæ res effecit, vt per totum illud tempus quantumuis vrgēte fame piſcis à nobis nullus fuerit captus. In ſumma repentè nos in diram famem incidimus extrinſecus vndis, intrinſecus verò aqua petimur. Quare in eorum gratiam qui mare nondum viderunt, quos meritò mediā tantùm mundi partem vidiſſe dixeris, hoc loco, id eſt in memoriam reuocandum quod pſaltes de nauigantibus aſſerit:

Nautæ duo fame necati.

Pſal. 107. 23. 24.

At vos tranantes pictis vada ſalſa carinis,
Maris coloni diuitis,
Magna Dei verè miracula cernitis, alti
Diſperſa campis æquoris.
Nam ſimulac iuſſit, rapidi tota æquora venti
Ad ipſa tollunt ſidera.
Abripitur pariter ratis, & nunc nubila tangit:
Tumente vecta gurgite,
Tartara nunc contrà præceps cōtendit ad ima,
Ipſiſq; mergitur inferis, &c.

Per illud tempus cogente rerum inopia, quàm admirãda cõciperẽt vota Nautę Papisticã superstitionẽ profitentes: Nicolao enim Cereũ simulachrũ iustę humanę magnitudinis sese persoluturos esse vouebãt, si quando daretur vt portũ attingerent. Atqui aliud nihil illud erat quàm Baalem oculis & auribus captum compellare. At nos veram Religionem professi ad verum illum Deum vota omnia dirigebamus cuius benignitatem atque fauorẽ toties experti eramus: cuius etiã ope in media ipsa fame non sine insigni miraculo sustentabamur, à quo etiam vno mare ipsum ac tẽpestates sedare posse noueramus.

1.Reg. 18. 26.

Interim licèt inedia ac proinde macie adeòconfecti essemus vt nauigationis obeundis ministeriis vix ac ne vix quidem idonei essemus, egestas tamen singulos eò compellebat vt quacúmq; fieri posset ratione de famelicò ventre saturando cogitarent. Nonnullis in mentem venit vt frustula parmarum ex tergo *Tapiroussou*, de quo anteà, in aqua decoquerent, ederéntque: at illa inuentio nõ ita successit. Alij igitur eadem frustula excipientes prunis imposita torrent, quod adustum erat cultro eradunt: quod optimè successit, corium enim illud nobis fame iam cõfectis suillam cutem prunis assatam sapore referebat. Hoc facto experimento, quicunque parmas eiusmodi habebant frustatim eas concidebant falcibus, aliísque instrumentis, Frustáque diligenter in sacculis recondita apud

Parmæ ex tergo *Tapiroussou* mãdũtur.

pud ſe continuò geſtabant, immo in tanto apud eos erant illa pretio, atque loculi auro oppleti apud auaros & fœneratores noſtrates eſſe ſolent. Ioſephus de Hieroſolymitanis obſeſſis verba faciens memoriæ prodidit eos nec cingulis nec calceamentis abſtinuiſſe, Coriáque ſcutis detracta mandiſſe. At non defuerunt inter nos qui & Coriaceos thoraces ipſáque adeò calceamenta ederent. Immo pueri, qui nobis famulabantur fame adeò preſſi fuêre, vt à Laternarum cornibus non abſtinuerint, quarũ in nauigiis maxima ſuppetit copia, immo ſebaceis ipſis Candelis ſi quas offenderent non pepercerunt. At nos ſummè debilitatos iugiter in exhauriẽda naue laborare neceſſe erat, alioqui mox ſubmerſi fuiſſemus, inediámque noſtram largo potu compenſaſſemus.

De Bello Ind. lib. 7. capit. 7.

Thoraces coriacei & calceaméta exeduntur.

Laternarũ cornua cãdelęque Sebaceæ cibi vices præſtant.

Porrò ingentem bolidẽ tertio nonas Maias ſub ſolis Occaſum in aëre ardentẽ conſpeximus, cuius tanta erat velis noſtris reuerberatio vt ea igne iam correpta eſſe crederemus: attamen nullo noſtro incommodo ſtatim euolauit. Iam ſi quæratur vnde bolis illa ortum habuerit, Reſpondeo rei illius cauſam indagare difficillimum eſſe, præſertim cùm terras nouas ex quibus ichtyocollæ aduehi ſolent, Inſulámque Canada præterlegeremus, quæ regio eſt frigidiſſima, ex calidis exhalationibus ortam eſſe nemo dixerit. Nos igitur vt genere omni incommodorum affligeremur, Aquilone vento adeò infeſtati

Bolis ignea in aere conſpicitur.

fuimus, vt totos dies quindecim calorem vix vllum perſenſerimus.

Tormentarius noſter ad 4. Cal. Maias, cũ antè tanta fuiſſet fame oppreſſus vt pſittaci viſcera me præſente cruda paulò antè deglubiſſet, diem ſuum obijt, nec terræ, ſed mari ſepulchrali vt & ſuperiores mortui mandatus eſt. Cuius mortem eò æquiore tulimus animo quòd opera ipſius facilè careremus: Etenim ſi Piratæ quidam eo tempore nos aggreſſi fuiſſent, non modò non propulſaremus eos, ſed vltro in deditionẽ venire ſummis votis optabamus (quæ erat noſtra miſeria) dummodò cibus ſuppeditaretur nobis. Sed prout Deo viſum eſt nos per totam nauigationem illam affligere, vnicum conſpeximus nauigium, quod aſſequi minimè potuimus, vela enim apparare maturè per imbecillitatem noſtram non licuit.

Mures captantur atque mãduntur.

Cæterùm conſumptis illis de quibus paulò antè memini parmis, coriis, ipſiſque adeò arcarum tegumentis, breuiter quicquid famem explere poterat, nos vltimam nauigationis noſtræ lineã attigiſſe exiſtimabamus. Sed penuria artium inuentrix, quoſdam ex nobis mures vt venarentur compulit. Illi enim fame oppreſſi (quòd micas cæteráque omnia quæ corrodere ſolebant diligenter collegiſſemus) turmatim per foros curſitabant. Nos verò cùm diligenter, tum ingenioſiſſimè iis captandis variis decipularum generibus adhibitis inuigilabamus, nonnunquam etiam

etiam noctu feliū more eos obseruabamus. Quo factum est vt quantumuis latentes perpauci manus effugerint nostras. Ac sanè murem tum pluris, quàm bouem faceremus in continente, æstimabamus. Vidi enim qui coronata tria, nonnunquam quatuor, in singulos mures numerarent. Immo quendam obseruaui, qui cum Chirurgus noster mures duos simul cepisset, hac voluit cum illo agere conditione, vt si murium suorum alterum commodare vellet, cum primum ad portum appelleremus, galerum, thoracem, femoralia, & tibialia ipsi penderet. Ille tamen (quòd vestes vitæ suæ posthaberet) conditionem respuit. Denique mures frequentes ac minimè exenterati in aqua marina elixabantur, qui tamen maiori nobis erant in pretio, quàm sint in continente veruecini armi.

Præthereà quo magis ac magis pateat nihil quod edule esset à nobis contemni, de quodam narrabo, qui cùm Præfectus noster murem satis grandem apparasset, quatuor exsectis pedibus, quos in foris reliquerat, eos diligentissimè collegit, prunísque assauit, asseruítque se perdicum alas tam sciti saporis minimè vnquā edisse. Ac sanè, quid est quod non tanta inedia oppressi mandissemus, aut potiùs vorassemus, qui ad explendam famem ossa ipsa olim proiecta aliásque id genus sordes summoperè optabamus? Nec dubium est quin si nobis virides herbæ aut fœnū adfuisset, brutorum more ea mandissemus. Atqui

Muriū pedes diligētissimè colliguntur.

non solùm cum malo hoc conflictabamur, totis enim viginti diebus quibus fame illa infestati fuimus, neque vinum neque aquâ dulcis in naui nostra visa est, restabat tãtum exiguus sicerae cadus, quem praefecti nostri adeò parcè distribuebant, vt si vel Monarcha quis tum nobiscum fuisset, caeteris largiorem potum non obtinuisset: singulis autem cyathus quotidie assignabatur. Cum itaque non minus siti quàm fame infestaremur, quotiescũque decidebat pluuia linteis expansis, ferreóque globulo in medio sito vt commodius in vasa subiecta instillaret, aquã excipiebamus. Immo eã quę per foros effluebat, diligẽter colligebamus, nec obstabant sordes quae eã lõgè turbidiorẽ ea quae per vicos in vrbibus praeterfluit, reddũt, quominus à nobis ebiberetur

Sitis fame intolerabilior.

Denique quamuis ea fames quam Anno 1574. in obsidione Sãcerrana perpessi sumus, in earum numerum quę grauissimae habentur recẽseri debeat, vt videre est ex historia quã de ea re nos ipsi edidimus, quamuis diuturnior, non tamen ęquè grauis atque ea de qua nunc agimus fuit. Sancerrae enim neque aquę neq; vini laborauimus inopia, praeterea herbae quędam ac radices, vitiúmque gemmae nobis suppetebant. Ego sanè si ob caussae iustae patrocinium, obsidione alicubi tenerer, tantisperdum Deo creatis rebus benedictionem suam impertiri visum esset, quid pelles, membranae, bubalini thoraces, aliáque eiusmodi succum aliquantulum habentes, quibus

Sancerrana fames.

tamen

tamen quotidiano vsui quamuis minimè familiaribus, in illa obsidione famem tolerauimus, expertus minimè vnquam famis metu in deditionem hostibus venirem, dummodo earum rerum copia suppeteret. At in illa nostra nauigatione longè diuersa erat ratio, eò enim redacti fuimus vt nihil nobis restaret præter brasilium lignum, præ omnibus aliis lignorum generibus siccum, atque humore expers. Nihilominus tamen non defuerunt inter nos qui fame ad extremũ adacti, cibi alîus inopia, lignum illud dentibus atterere conarẽtur. In quibus erat Philippus dux noster, qui cum frustulum ori admouisset altum trahens suspirium me his compellauit verbis. Heu mi Leri, pecuniam in Gallia ad quater mille libellas olim credidi, cuius apocham vtinam conscribere tenerer, & mihi pro ea panis vnus cum cyatho vini mihi pręberetur. Petrus autem Richerius Pastor, qui non ita pridem Rupellę ad Dominum migrauit, in cellula sua prostratus iacebat, adeóque erat viribus omnibus expers vt capud ad Deũ oraturus minimè posset attollere, attamen ita prostratus indesinenter precibus ad eũ fundendis intentus erat.

Brasiliũ lignũ corroditur.

Philippi votum.

Richerij debilitas.

Antequam sermoni huic finem imponam, id obiter obseruare libet, quod in aliis quidem, maximè in me ipso animaduerti, qui binas fames expertus sum, eásque eiusmodi, vt nullum vnquam horridiores euasisse credam. Corporibus inedia debilitatis, & defi-

Inedia rabiem generat.

ciēte natura, ſenſibus alienatis, ſpiritibúſque diſſipatis, non modò feroces, ſed & moroſi & iracundi fiunt homines. Illa porrò iracundia meritò rabiei genus dici poteſt: Quò fit vt appoſitè vernaculo noſtro ſermone is fame dicatur furere, qui fame premitur. Prętcrea quoniam experientia res omnes expreſſiùs edocet, video non ſine cauſa Deum populo ſuo minantem famem niſi ſuis pareat pręceptis, diſertè exprimere futurum vt viri illius qui fuerat mollis, & delicatus, valdè malignus ſit oculus in fratrem ſuum, & in vxorem ſibi chariſſimã, atque in filios ſuos, adeò vt non det vlli ex eis de carne filiorum ſuorum quam comedet. Nam præter ea quæ in Hiſt. Sancer. commemorauimus exempla de parentibus qui ex liberis ſuis vnum comederunt, déque militibus quibuſdam qui poſtquam cadauera eorum qui bello cæſi fuerãt, deguſtaſſent, ſe decreuiſſe ſi malum illud diutiùs perſtitiſſet, viuis manus afferre, affirmare poſſũ nos durante illa Nautica fame vix ac ne vix quidem pacatè alij cum aliis colloqui potuiſſe, licèt Dei timore cohiberemur, immò quin (quod Dominus condonet nobis) malignis oculis alij in alios fuerimus.

Deut. 28. 53. 54.

Prodigioſa multa famis tẽpore in mentem pleriſque venerant.

Sed vt reliquum nauigationis noſtræ curſum deſcribere pergam: Contigit rebus noſtris in peius ruentibus, vt nautæ alij duo 17. Cal. Maias fame necati fuerint. Quo tempore ex noſtris nonnulli fuere qui tam diuturnum errorem noſtrum in aquis ſecum reputantes,

Nautæ fame enecati.

nulla

nulla obiecta terra animo suo fingebant nos in nouo versari diluuio. Cum igitur nautas illos mortuos in mare præcipites dari animaduertimus eundem nobis exitum omnibus impendere credebamus. Ego in tanta rerum inopia qua, vt dixi, cercopitheci ac psittaci quos vehebamus confecti fuere, ad illud vsque tempus psittacum plumis decorum, anseris magnitudine, articulatè voces multas humanas imitantem, studiosissimè cõseruaram: eum Gaspari Collignio offerre sperabã, atque ea spe quinque dies cautissimè occultaram, nullo ei præbito cibo. Hunc tum vrgente fame, tum quòd vererer ne mihi noctu furto surriperetur, post alios omnes occidi. Ille mihi amicísq; aliquot meis per tres quatuórve dies alimento fuit: integer autem à nobis fuit esus, nullam enim particulam præter plumas eiecimus, adeò vt non carnes tãtùm, sed & viscera & pedes ipsos, atque adeò vngues, vncúmque rostrum corroserimus. Auis istius mortem ęgerrimè postea tuli: dolorem auxit, quod quinto ab eius obitu die terram conspeximus. Cum igitur illius generis aues facilè careant potu, vel tribus nucibus totum illud tempus vitam illius sustentare potuissem.

At verò, dicet quispiam, quid nobis cum tuo psittaco? nósne perpetuò in miseriis illis vestris suspensos tenebis? Annon tandem aliquando malorum & quidem omnis generis satis? Nunquid aut vita aut morte finis tan-

dem dabitur? dabitur vtique: Deus enim qui (non ſanè vulgari cibo) corpora noſtra ſuſtentabat, opē nobis tulit opportuniſſimam, effecítque immenſa ſua bonitate vt 8. Cal. Iun. cùm iam ad foros fermè languore confecti iaceremus, Britanniam inferiorem conſpexerimus. Veruntamen quod non ſemel à Gubernatore noſtro decepti fuiſſemus, qui terræ loco nubes nobis ac chimeras indicarat quæ properè euanuerant, ſpeculatore iterum atque iterum pro more exclamante, Terram, Terram, vix tamen verè illud dici credebamus. Atqui ſecūdo flāte vento prora obuerſa mox certò cognouimus continentem in propinquo eſſe. Iam verò vt liquidò appareat quantam in miſeriam quantúmque in diſcrimen adducti fuerimus, quámque opportunè Deus ſit nobis opitulatus, huc referre lubet quod nauclerus noſter edita voce affirmauit ſtatim vt gratiarū actiones ob imminētem liberationē noſtrā egiſſet: Se nimirum omnino decreuiſſe, ſi diem vnū adhuc in illo tam miſero ſtatu permanſiſſemus non quidem ſorte agere (vt ab nonnullis, in tales redactis anguſtias eſt aliquando factum) ſed aliquem ex nobis clàm interficere qui cæteris eſui eſſet. Quæ res minimè me commouit, conſcius enim mihi eram (quamuis omnes macie eſſemus confecti) me ab illo periculo tutum ſatis fuiſſe: niſi fortè cutem & oſſa nuda pro carnibus habere voluiſſet. Quoniam autem nautę noſtri Rupellam appellere

Qua die continētē conpſeximus.

Prodigioſum decretum.

re decreuerãt,vt ibi Braſilium ſuum lignum venderent, cum iam ab Britãnia ſex paſſuum millibus tantùm abeſſemus. Nauclerus cum Philippo & quibuſdam aliis ſcapha vecti ad oppidulum proximum (hodiernum vocant) contendunt,cibaria comparaturi. Inter quos duo ex noſtris quibus pacunias ſpeciatim numeraueram ad cibaria quædam mihi comparanda, vbi ad continentem appulerunt, nauem noſtram famis domicilium eſſe rati, diſertè teſtati ſunt ſe in eam pedem nunquam relaturos: quod ab ipſis eſt factum. Relictis enim in naue ſarcinis ſuis ab illo tempore eos nunquam vidimus. Attamen eorum vnus qui ſolus mecum è quatuordecim illis quorum nomina initio recenſui, hoc anno 1584. quo hiſtoriam hanc corrigo recenſeóque, quãto cum labore priſtinæ reſtituti fuerint valetudini ad me ſcripſit. Nobis quid hac in parte contigerit mox narrabo. Nobis in Anchoris noſtris operientibus ad nos acceſſere piſcatores quidã,à quibus cibaria petimus, illi ſe à nobis irrideri arbitrati, immò ne iniuria aliqua afficerentur veriti, fugam capeſſunt,at nos quos vrgebat fames, eos vt conſiſterent cogimus, ínque eorum lintrem irruimus. Tum illi extrema quæuis ſibi imminere credebant. Nos verò pacatè omnia agere, cúmque cibariorum nihil præter cibarij panis fruſta aliquot comperiſſemus, vnus ex illis inuentus eſt qui expoſita extrema qua premebamur fame adeò ferũ ſe præ-

ſtitit, vt pro panis illius fruſtulo, quod vix obolo væniſſet, ſeſtertios duodecim non dubitauit à me exigere. Noſtri autem mox cum cibariis ad nos redeunt, quàm auidè à nobis fuerint excepta neceſſe non eſt dicere. Tum in propoſito perſeuerãtes, nimirũ vt Rupellæ litus peteremus, iam paſſuum ſex millia nauigaramus, cum ab Nautis qui nos aſſecuti ſunt admoniti fuimus Piratas quoſdam ad oram illam vagari. Quare poſt tot tantáque pericula, quæ Dei ope euaſeramus, ſi vltro in periculum nos coniiceremus, videntes illud nihil aliud eſſe quàm Deum tentare, illo ipſo die 7. Cal. Iunias portum intramus, Blauuetenſem, in Britannia: ad quod per illud tempus naues permultæ è variis regionib. reduces appellebant: quæ & tormenta diſplodebant, aliáque nauigantibus ſolemnia celebrabãt, atque ob partas victorias triumphabant. Inter quas vna erat ex vrbe Samnalea, cuius nautæ Hiſpanicam ex terris Peruanis reducem ceperant. Ea pretioſis quibuſque mercibus erat onerata, cuius pretiũ ad ſexaginta aureorũ nummorũ milla æſtimabatur. Cuius rei fama cũ per vniuerſam Galliã ſparſa fuiſſet, mercatores non pauci Pariſienſes, Lugdunenſes, aliíque eò ad merces illas coemendas commeabant. Quæ res commodiſſimè nobis euenit: accidit enim vt cum è naui egrederemur mercatorum illorum plerique iis auditis quæ perpeſſi eramus, & nos prę infirmitate minùs ad greſſus figendos idoneos ſuſtẽtarint, & opportuniſſimè admonuerint

vt ab nimio eſu diligenter nobis caueremus, paulatímque vires noſtras pauculo cibo repararemus, iure ex veterum gallinarũ decoctione, lacte caprino, aliíſque ad viſcera dilatanda accommodatis. Ac ſanè cum iis omnibus qui tam ſalubri paruerunt conſilio bene eſt actum. Nautæ verò qui repentè ventrem cibo impleuere, non tulerunt impunè: nam è viginti, tot enim incolumes terram attigerunt, plures decem ſibi mortem accerſiuiſſe autumo: nos verò (quindecim eramus numero) qui, vt iam dixi, nauem illam in America conſcenderamus in Galliam remigraturi, ad vnum omnes terra maríque incolumes tum ſeruati ſumus. Hoc quidem verum eſt, nos nonniſi cute & oſſibus tum conſtitiſſe, adeò vt alij alios intuentes cadauera è ſepulchris eruta videre videremur. Adhęc vbi cœlũ terreſtre perſenſimus, tantum ciborum nos cepit faſtidium, vt (nam de me nominatim verius referre poſſum) in diuerſorium tãdem delatus oblatum mihi vinum vbi olfeci, deliquium animi paſſus ſim, ínque arcam quæ in propinquo erat delapſus. Qui verò aderãt futurum vt animã mox agerem exiſtimabãt, habita pręſertim debilitatis meę ratione. Atqui minimo affectus fui caſu illo incommodo. Itaque in lectum decubui, támque ſuauiter dormiui, vt nonniſi ſequenti die & quidẽ multa luce experrectus fuerim: quamuis ante decem menſes in lecto non decubuiſſẽ, quod ideo commemoro, quòd faciat contra eorũ

Famẽ conſequitur ciborũ faſtidium.

opinionem qui putant eos qui ab mollibus cubilibus desueuerũt ea repetẽtes initio dormire minùs posse. Blaueti igitur quatuor diebus transactis Hannebonẽ nos conferimus, quod oppidulum ab Blaueto quatuor passuum millibus distat. In quo totos quindecim dies quieuimus, nósq; ex medicorũ præscripto curauimus. Quantumuis tamen diligẽter nobis caueremús nemo nostrum effugere potuit quin tumore per totum corpus infestaretur, me cum tribus aliis exceptis qui ab vmbilico ad pedes vsque eo morbo laborauimus. Insuper cum διαῤῥοίᾳ & stomachi solutione conflictabamur, adeò vt intra corpus nihil consisteret eorum quæ immittebantur. Tamen medicamenti genus nobis est indicatum, quo postquam vsi sumus confestim ab eo morbo sanati fuimus: est autem eiusmodi. Ius hederæ terrestris est accipiendũ cum oryza probè cocta, in ipsa olla pannis veteribus restincta: quibus igni admotis ouorum vitelli sunt permiscendi. Confectionem illã cochlearibus admodum pultis ori admouebamus. Ac sanè nos omnes morbo illo extinctos futuros fuisse, nisi medicamentum illud adhibitum fuisset, facilè credo. Hæc sunt denique quæ de nauigatione illa nostra habui referenda: Quæ sanè inter minimas non est reponẽda si animaduertas nos gradus septuaginta tres nauigasse ab Aquilone ad Austrum. Verùm ne palmam merentibus præripere videamur, quantula est, si cum ingenti illa

Medicamentũ ad restringẽdã aluum accommodum.

Ioan. Sebast. de Cano. Hispanus, Et Drachus Anglus vniuersum terrarum orbẽ circundederunt. Consule Hist. Gẽ. Ind. c. 98. Itẽ. Popelin, de tribus mũdis.

illa Ioannis Sebaſtiani De Cano Hiſpani, aut (vt quidam volunt) Veneti vel etiam vt aliis placet ab vrbe Guetaria in Cãtabria Prouincia oriundi, qui vniuerſo orbe circundato, quod ni fallor, contigerat ante eum nemini, poſt eum quidem de Dracho Anglo idem referunt, qui in patriam redux pro inſignibus orbem terræ depingi curauit cum hac inſcriptione, *Primus me circumdediſti.*

Cæterùm iis à me lectis quæ Hieronymus Benzo de ſua in Peruenſem terram, aliáſque orbis illius regiones peregrinatione, quæ fuit annorum quatuordecim, ſcripſit: commune hoc mihi cum illo eſſe animaduerti, quòd (vt ipſe hiſtoriæ ſuæ initio refert) annos viginti duos natus eſſet cùm multorum exemplo peragrandi orbis cupidus ac præſertim viſendę eius mundi partis nuper repertæ, cui Indiæ Occidentalis nomen factum eſt, explere animum ſecũ tandem conſtituit. Ego verò eodem ſtudio impulſus, totidémque annos natus, in Braſiliam nauigationem ſuſcepi, pro vt ipſe hiſtoriæ huius initio adnotaui, ſed aliud eſt longè maiori dignum obſeruatione, quòd nimirum Benzo, (licèt ille de nobis nihil nec nos de ipſo vnquam audiuiſſemus) affirmat ſe Idibus Septembris An. 1556. in Hiſpaniam peractis ſuis peregrinationibus, appuliſſe: nos verò (quod etiam ſuper commemoraui) ad 4. Idus eiuſdẽ mẽſis, eodẽq; anno in Braſiliã ꝓfecturi Geneuâ exceſſimus. Iã igitur ſiquis tẽporũ

Statim poſt Benzonis reditum accingit ſe ad iter Americ. Autor.

ſeriem obſeruare velit, eorum qui in Americam nauigarunt: nos ſtatim poſt Benzonis reditum eſſemus collocãdi. Porro cùm Benzonis hiſtoria Latino ſermone primùm, ac poſteà Gallico Vrbani Caluetonis amiciſſimi mei opera extet ex Italico conuerſa, cui titulus eſt *Noua noui orbis hiſtoria*, adde quod author ipſe inter eos qui multa obſeruarunt, atque obſeruata elegantiſſimè ſcriptis mandarunt, poſtremum non obtinet locum: neceſſe penitus eſſe exiſtimo iis qui Americanorum mores probè noſſe cupiũt, atq; adeò quàm immaniter miſeræ illæ gentes ab Hiſpanis, à quibus ſubactæ ſunt, excipiantur, vt hiſtoriam illam diligenter perlegant. Ille autem eò maiori eſt dignus laude, quòd hiſtoriã ſuam concludat pręſtantiſſima gratiarum actione, quam ad Deum dirigit. In quo ſe minimè ingratum in eum fuiſſe, à quo beneficium hoc acceperat, vt res adeò nouas, támque à nobis remotas terras viſeret, per totum quatuordecim annorum ſpatium, cuius etiam ope tot pericula euaſiſſet. Illius tamen clariſſimum nomen obſcurare nititur Theuetus, veritatis, (ſi quis alius noſtra memoria extitit) acerrimus hoſtis, ſuo virorum illuſtrium libro, quem nuper edidit. Ille enim de Franciſco Pizarro Hiſpano à quo Attabalippa Peruenſium rex fuit deuictus, verba faciens, totam Benzonis hiſtoriam ita in dubium reuocat (à cuius tamen facundia longiſſimè abeſt) vt meras fabulas eſſe dicas.

Theuetus Benzoni obtrectat.

Quæ

Quæ res forte à Theueto de industria est suscepta, quòd cum Hispania spiret, ac proinde Galliam patriam suam debito non prosequatur affectu, cuius tamē lepidissimus Benzo fame est studiosissimus aduersus eos qui quod minimo negotio Indos illos subegerint, cæteras omnes gentes tam facilè se deuincere posse iactant.

Sed vt ad nos redeam finem ac requiem laborum consequutos nos esse forsitan quis existimet: attamen nisi ille idem, cuius ope à tot naufragiis, tempestatibus, extremáque fame aliísque incommodis quę nos inter nauigandum assiduè vexarūt, liberati sumus, nos ad litus appulsos seruasset, extrema quæque nobis impendebant. Iam suprà dixi Villagagnonem tradidisse dicam in nos præscriptā, præfecto nauis illius qua reuecti sumus, vnà cum mandatis ad obuios quosque magistratus vt in nos (vtpote hæreseos criminis reos à se peractos) animaduerterent, igníq; addicerent. Contigit autem vt Philippo Duci nostro cum Magistratibus (ab religione quam profitebamur non abhorrentibus) cui arcula illa epistolis dicæ illi adiunctis plena tradita fuerat necessitudo intercederet. Quò factum est vt optimè ab illis excepti fuerimus contrà quàm cupiebat Villagagno, imò etiam fortunis suis non pepercerunt, quin nostris, quibus opus erat eas largirentur: Philippus quoque ab illis pecunias mutuo accepit, atq; ita Deus ille qui astutos in astutia deprehendit, nos ab illo periculo liberauit, effecitq; vt sce-

Prouidentia Dei admiranda.

Jerati Villagagnonis perfidia detecta,id totũ ad illius contumeliã, noſtrũ verò ſolatiũ redũdarit. Tãto igitur accepto beneficio ab illius manu qui nos toties terra mariq; ſeruauit, Nautis noſtris Hannebone excedẽtibus, vt Neuſtriã patriã ſuã repeterent. Nos etiã vt à Britãnis illis recederemus quorũ idioma nõ minus nobis erat Barbarũ atque fuerat Americana lingua, ad Nannetes properamus,non quòd perceleres iter illud confecerimus: tanta enim erat infirmitas noſtra, vt equis, quibus inſidebamus regendis minimè pares eſſemus. Quocirca mercenarii à quibus regerentur ſingulis fuerunt mercede cõducendi.

Naturę reſtauratæ appetitus mirabiles.

Quoniam autem quodammodo reſtaurãda erant corpora noſtra nõ minus portentoſis flagrabamus appetitibus atq; ij ſunt quos de prægnantibus mulieribus referunt:quorũ, niſi ad finem propera rem, exempla admirãda referre poſſem: quin etiam plerique ab vino ita abhorrebãt vt ab eo per menſem integrum abſtinuerint. Tandem vbi ad Nannetum vrbem peruenimus quaſi inuerſi eſſent ſenſus noſtri vniuerſi, aures oculíque noſtri adeò hebetes repente facti ſunt, vt formido inceſſeret ne in ſurdos atque cæcos euaderemus. Huc referri poteſt quod Ionathan Saulis filius dicebat, illuminatos fuiſſe oculos ſuos poſtquam aliquantulum mellis guſtaſſet, quibus verbis non obſcurè ſignificabat oculos anteà fuiſſe inedia hebetatos. Verùm tamen ab primi nominis medicis quibuſdam

Surditas oculorũque hebetatio ex fame orta.

1.Samuel. 14.27.29.

aliiſque

aliisque claris viris, qui ad nos frequentissimè accedebant tanta cũ diligentia curati fuimus, vt nulla tantorum malorum vestigia nobis adhæserint, quinimò de me possum affirmare, exacto ab eo tempore mense me optimum aurium oculorúmque vsum habuisse. Hoc quidem verũ est me ab eo tempore stomachi debilitate semper laborasse: quæ etiam fame illa Sãcerrana, cuius paulò ante memini adeò est cõfirmata, vt minimè dubitẽ ea me nunquam liberatum iri, donec me totũ Deus fœlicissima resurrectiõe instauret. Itaq; apud Nãnetes quo in loco (vt dictũ est) optimè excepti fuimus recuperatis valetudine ac viribus, nostrûm singuli quo visũ fuit abiere.

Antequam finem huic historiæ imponamus id vnum superest, vt dicamus de quinque illis qui Americam repetiêre, tum quum primùm redeuntes, naufragium euasimus. Quæ res quo modo innotuerit, paucis dicã. Viri quidam fide digni quos in America reliqueramus, quíq; nos quatuor exactis mẽsibus sunt insequuti, in Philippum ducẽ nostrũ Lutetiæ inciderunt, illíque narrarũt se, maximo suo dolore, tres ex illis à Villagagnone suffocatos ob Euangelij professionem spectasse: quorũ hæc sunt nomina. Petrus Bourdonus, Iohannes Bordellus, Matthęus Verneulius, quinetiam integram tum confessionis tum mortis eorum historiam descriptam attulisse significarunt, illíque tradiderunt. Quam ego haud multò post ab illo accepi.

Eam vbi legi perſpexíque, fidos illos Chriſti ſeruos à Villagagnone tantiſper morte plexos fuiſſe, dum nos cum tempeſtatibus ac variis periculis conflictabamur: in memoriam mihi reuocaui me vnum (vti ſuo dictum eſt loco) ex ſcapha illa eductum fuiſſe, in quam ingreſſus iam eram in Americam remigraturus: ac proinde, & mihi quidẽ eſſe de quo maximas Deo gratias agerẽ, quòd me nihil minùs cogitantẽ, à tanto liberaſſet periculo, atque etiam mihi in primis onus illud incũbere, vt trium illorum martyrum fidei confeſſio memorię proderetur, atque in eorũ referretur album qui noſtra memoria, ob Euangelij confeſſionem, fortiter mortem oppetierunt. Eodẽ illo anno hiſtoriam illam Ioanni Criſpino nobili typographo, tradidi, quam martyrum Catalogo inſeruit, vnà cum eorum laborum deſcriptione, quos pertulerunt ab eo tempore quo à nobis diſceſſerunt, donec Americam terram attigerint. Eò igitur Lectores remitto: hoc enim loco mentionem eorum feciſſem nullã, niſi ea quam diximus cauſa adactus eò fuiſſem. Hoc vnum addam, Villagagnonem, quòd primus piorũ ſanguinem in orbe illo nuper reperto, fuderit, meritò à quodam Americanum Cainum nominatum fuiſſe. Iam iis eſt ſatisfaciendum à quibus quiſ nam fuerit exitus illius quæri ſolet. Eum nos in Caſtello Collignio (quemadmodum fuſiùs in hiſtoriæ progreſſu dictum eſt) reliquimus, quod tamen non multò poſt deſeruit, cuius etiam

Conſule Martyrum noſtri temporis hiſt. lib. 5.

etiam culpa ab Lusitanis captũ fuit, vnà cum tormentis bellicis liliis Gallicis insignitis non sine immani Gallorum, quos in eo reliquerat, cæde, aliud nihil de illo ab eo tempore audiui (nec sanè multum in inquirendo laboraui) nisi quod post suum in Galliam reditum religiosis quam pessimè potius tum voce, tum scriptis exceptis inueterata malicia magis ac magis confirmatus, obiit tandem Anno 1577. mense Decembri, in prædio quodam Melitensi, ordini attributo, cui nomen Bellouaco: quod ab suo quondam famulo, mihi est renunciatum. Imò à quodam ipsius nepote, quẽ cum illo in America videram, accepi tam malè ante obitum, rebus suis eum prospexisse, vt suorum consanguineorum nullus fortunis ipsius auctus fuerit post obitum, vt neque dum vita manebat, id est ab eo nunquam non neglectos fuisse.

Villagagnonis obitus.

Denique quandoquidem (vt ex hac historia satis apparet) & in genere & speciatim tot periculis, tótque mortis abyssis ereptus sum, an non meritò cum sancta illa Samuelis matre exclamare possum, Iehouam morte afficere, & in vitam restituere, demittere in sepulchrum & educere? possum sanè. Et quidem, ni fallor, optimo iure, si quis alius nostra memoria. Attamen si huius esset loci, addere possem Deum immensa sua bonitate me ab infinitis aliis, in quibus versatus sum, discriminibus eduxisse. Quare, si mare elementum adeò furens, me non absorpsit, si Barbari anthropophagi, quibuscũ fermè an-

1.Sam.2.6.

num vixi, me non deuorarunt, famésque extremæ, quas toleraui, me non necauerunt: an non patria mea Gallia tygride immanior erit, si violentam atque immaturam mihi afferat mortem? Vtcunque tamen sit, ego qui mortem filiorum Dei (in quorum numerum me ascitum certò scio) coram eo pretiosam esse noui, totum me ipsius voluntati permitto. Hæc tandem sunt quæ à me tum in ipso mari, eundo, ac redeundo, tum in terra America, apud Barbaros obseruaui. Me autem nō latet tam amplum argumentum, résque adeò varias à me commemoratas eo stylo, eáque, qua decebat grauitate, minimè fuisse descriptas: imò etiam lubens agnosco me hac tertia editione nonnunquam ea quæ paucis fuerant perstringenda fusiùs quàm par erat persequutum esse, & contrà in extremum aliud peccantem ea quæ longiorem postulabant orationem plus æquo contraxisse. At lectores rogatos velim vt studium meū æqui bonique consulant, quòd orationis non satis comptæ damna resarciat: Cogiténtque quàm dura mihi rerum quę in hac historia commemorantur, fuerit experientia.

Regi autem æterno, immortali, inuisibili, soli sapienti Deo honos sit & gloria in secula seculorum, Amen.

PLVS VIDERE QVAM HABERE.

FINIS.

INDEX

INDEX ALPHABETICVS

RERVM ET VERBORVM in hac historia obseruandorum.

A.

B.

C.

D.

Fumus

Lusitani

Scorassou

IVSTI LIPSI

MONITA ET EXEMPLA POLITICA.

LIBRI DVO,

Qui VIRTVTES ET VITIA Principum ſpectant.



PARISIIS,
Excudebat PETRVS CHEVALIER, in monte Diuj Hilarij.

M. DC. V.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI ALBERTO Archiduci Austriæ, Duci Burgundiæ, principi Belgarum.

TERTIVM hoc ingenij & stili mei monumentum est, Serenissime Princeps, quod inclyto nomini tuo libentes Merito imus consecratum. Et si vllum; quomodo non istud, quod ipso titulo ad Te vocat, et augustum hoc nomen vult inscribi? Sunt enim Monita Politica: ad quem iustius, quàm ad Politiæ & status nostri rectorem ibunt? Sunt Exempla: & cui conuenientius dabuntur, quàm qui stirpem & gentem suam in iis agnoscet? Rudolfi, Philippi, Maximiliani, Caroli, Ferdinandi, Alphonsi, *passim hic memorabuntur, è maioribus tuis: qui scriptionem hanc illustrant & insigniunt, vt cælum stellæ. Quid, quod argumentum & materies eodem ducit? Virtutes & Vitia Principum? illas formamus aut suggerimus, & hæc amolimur: at tu illarum*

grande exemplar es, qui eximias habuiſti & habes: & horum (quantum homini licet) pæne expers, in omni ætate aut neſciuiſti ea, aut ſpreuiſti. Ergo ad Te imus: & quo fine? vt ſplendorem huic ſcriptioni mutuemur, & tutelam. Sicut inſignia veſtra ædibus, Prætorijs, villis appendimus, contra vim aut proteruiam: ſic nomina hæc ſacra contra calumniam, aut liuorem. Neque enim vobis hic aliquid quæritur: non aliter, quam cum Deo ſacra facimus, & donum ponimus, noſtra id ſit, non ipſius cauſſa. A nobis officium omne eſt, & debetur: à vobis beneficium. & hoc ipſo accipimus, quod frontes operum ſola præſcriptione veſtra honeſtatis. Ego eo fine feci: patere Sereniſſime Princeps. & ſicut aurum aut ebur magis æſtimare ſoletis, à ſolerti manu & arte politum: ſic has Exemplorum gemmas, ingenij & eloquij aliqua luce (cum Deo dicam) perfuſas. Ille idem Deus, Sereniſſime & Potentiſſime Princeps, longæuum Te nobis ſeruet, & donet aliquando ſub optimo Principe optimum ſtatum, id eſt, deſideratam diu tranquillitatem & pacem. Louanij XV. *Kal. Feb. anni* ∞. IↃC. V.

LECTORI.

ECCE *duos istos libros, Lector, trientem operis destinati, & addam, affecti. Nam duo alij sequuntur, qui* Ciuilem prudentiam *habent: itemque duo, qui* Militarem. *Est scilicet eadem diuisio, & ordo, qui in Politicis nostris fuit: quorum luci aut assertioni hæc scribuntur. Sed cur non confeci igitur? aut certe cur non distuli? vtrumque ab eadem caussa. fatebor enim ingenue, postremus ille grauior morbus me deiecit, & à stilo arcuit: atque idem impulit vel incohata hæc sic edere, quia post me nihil edi, adamantinum est meum decretum. Ego quidem, vt res erat, ostium tunc spectabam: neque nunc ad interiora valde me recepi. Ceterum* Exempla *quæ hic sunt, aut in alijs erunt, scito ab optimis, nec obuiis semper auctoribus esse: & cur non eos edidi? quia nouitij aut Grammatici commatis illa cura videtur, & aut à vano aut pusillo animo esse. A vano, si lectionem variam iactas: à pusillo, si diffidis credi. Nobis ætas, & priora scripta, fidem vindicant: qui abrogat, inquirat, spondeo inuenturum auctores. Satis est. tu istis fruere, & reliqua exspecta (vtiliora haud dubiè & rariora, vt res & materia est) exspecta, inquam, si Deus, vita, & otium, dabunt. Si non, à te suppone, & dedi exemplum.*

APPROBATIO.

HAS I. Lipsij lucubrationes vt egregie frugiferas fore confido, ita prælo dignissimas cēsco, quod ea quæ Principibus ac politicis viris apprime conueniant, non modo legenda, verum etiam velut in tabula, non sine voluptate, spectanda, exhibeant.

Guilielmus Fabricius Nouiomagus, Apostolicus ac Archiducalis librorum censor.

IVSTI LIPSI

MONITA ET EXEMPLA POLITICA.

LIBER PRIMVS.

In sermonem & rem ingressio, atque obiter Vtilitas Exemplorum.

CAPVT PRIMVM.

AVDITOR. Accedo. annuis? LIPSIVS. Imò accede, & sede. vacuum reperis, & sermonibus haud alienum. Otium est, & lapsus cum equo (non enim ab equo, ne rideas) ferias mihi fecit, & domum seruare, focum assidere, iussit. O rem ingenio meo alienam! nec aliud magis vitam aut vigorem mihi sustinet, quàm exercitatio & motus. At ferendum est, quod non mutes. AVD. Ferendum. & nobis diutinum desiderium: quod haud semel pro-

mere memini, & ad te velut communi legatione deferre. LIPS. Quid ais? AVD. illud de EXEMPLIS, quæ viri & iuuenes flagitant (ita loquendum est: nec enim petunt tantùm.) subiungi POLITICORVM tuis libris. Sunt ibi Sententiæ & velut Decreta, vtilia ac salutaria: quis abnuat? sed vt valida atque efficacia sint, nonne vides vsum, id est exempla deesse? Hæc adde, & pulcherrimè cœptum opus absolue: nec muros tantum & tectum, sed instrumenta atque ornamenta adiunge Sicut herbas qui seuit, opportune eas irrigat atque alit, vt adolescant: sic tu Sententiarum istos velut frutices foue & attolle, vel sole vel pluuia, vt sic dicam, Exemplorum. Vtrumuis enim præstant, illustrant, dum in rem velut præsentem ducunt, & facta ostendunt, quæ facienda suadentur; fouent etiam, dum animum erigunt, & re docent non noua, non ardua proponi. Sed & viam præeunt, in qua vestigia tutò ponamus. sicut qui gubernandi parum peritus est, vbi plures naues, cursum temperat, & sequitur priores. Ita vada & scopulos vitat, & sine magna sua arte, portum cum prioribus petit, & tenet. Vidistine etiam, qui ad speculum se comunt, faciem & cultum rectè disponere? prorsus hic idem? aliena vita & facta speculum sunt, & imago, in qua te videas & ad eam decorè componas. Quod magis fit, vbi varia & multiplex lectio Exempla varia & multa suppeditat; vt eligere sit, & ad rem talem aut talem appositum aliquid semper applicare. Ita

ſicut Zeuxis ille pictor olim, Iunonem effigiaturus, virgines Agrigentinorum pulcherrimas conduxit, & è ſingulis aptauit quod præſtantiſſimum in quaque eſſet: ita, inquam, Princeps, & politici viri, ab exemplis factiſque illuſtribus potentiam (ea Iuno eſt) & prudentiam ſuam forment. Quid ais, mi Doctor? nihil moueo, aut impetro? LIPS. Illud, nondum iſtud. Moues, fateor: & ex facili, quippe iam antè motum. Rationes quas dicis, iamdiu in mente agito: & rem per ſe vtilem atque opportunam agnoſco: ſed vt ſuſcipiam & præſtem, nondum herclè impellis. Nam liberè dicamus, cui bono? Spargimus hæc monita; & velut pharmaca ægris, aut lumen cæcutientibus, offerimus: quem vſum tamen fructumque videmus? Et vis plura etiam addam, id eſt perdam? AVD. Bona verba, vir optime. Quod medicis, hoc tibi faciendum cenſe: cum veteri imperitiæ morbo acriter pugnandum: & à perſeuerantia fructum exſpecta. Sparge, ſparge ſalutaria hæc velut ſemina: & cur non vel ab agricolæ exemplo? Ille ſi hoc alteroque anno ſpes deſtituit, tamen arat, occat, ſerit: & Bonus Euentus ſerius, ſed vberius, ſæpe reſpondet. Audi tuum doctorem. *Quare verbis parcam? gratuita ſunt. Non poſſum ſcire, an ei profuturus ſim, quem admoneo: illud ſcio, alicui me profuturum, ſi multos admonuero. Spargenda eſt manus. non poteſt fieri, vt non aliquando ſuccedat multa tentanti.* LIPS. Hæc quidem auctoritas valde me quatiat: ſed & tua honeſta ſic voluntas. Etiam ratio alia. quod

Sen. Epiſt. XXIX.

ſicut gemmæ, etſi in lutum aut ſordes abiectæ, ſplendorem non amittunt: & dies poſteà reuelat, & attollit: ſic in iſtis, quæ bene & honeſte dicuntur. ſi diem tamen ferent. Ergo huc imus? eamus. tanto alacrius, quo breuius iter laboribus ſcriptiſque noſtris reſtat. Sicut athletæ cùm metam vident & accedunt, etſi feſſi, approperant: ſic nos in ſenectutis hoc limite, alacrius promptiuſque laboremus, quia laborum mox expertes. Conſcientia vtique ſuſtentabit, & vires porriget: quod hæc atque alia, in tuum ô magne Deus honorem, in veſtrum Principes ac ſubditi bonum moliti ſumus, atque vtinam emoliti. Aſpira tu idem ille Deus vt poſſim? fauete vos iſti, & delectantia ſimul atque vtilia (talia erunt) pronis animis admittite. Ordinem ſeruabo, quē POLITICIS præſtruxi: nec EXEMPLA ſolum, ſed & MONITA paſſim inſpergam, & alibi QVÆSTIVNCVLAS. hæc omnia vtrique iam fini à me dicto. At tu audi.

DE RELIGIONE.

Eius vtilitas, ſiue neceſsitas oſtenſa: vel in tota Societate, vel ſeorſim in Rege, & Subditis.

CAP. II.

VT autem qui domum moliuntur, à fundamentis: ſic nos qui Rempublicam, à

fulcro & velut baſi eius, Religione ordiri debemus. Sine ea, non Princeps officium ſuum, non Subditi facient: ſine ea, ſocietas non erit. quia non Fides, non Iuſtitia, non Virtus; ſed fraus, licẽtia proteruitas, &, vno verbo, confuſio hominum ac rerum. Quod frænum erit peccaturis? quis metus ſatis validus? nam externum illum, qui à pœnis aut morte eſt, multi contemnunt: & deſperatio, impetus, aut iracundia, eò ducunt. Eſto igitur vinculum & firmamentum reipublicæ, Religio? ac Princeps, vt dixi, ipſe habeat. quo Ratio eum & Gratitudo vocant. Rex es? à Deo habes: & quo maior altiorque, plura benefico illi Numini debes: & per cultum igitur venerationemque eius agnoſce, Rex es? vt diu & feliciter eſſe poſſis, datori ſupplica: & ſcito tollere poſſe qui tribuit, & euertere qui ſublimauit. Ariſtoteles, ad ſuum Regem: Ἀρχαῖος μὲν οὖν τις λόγος καὶ πάτριός ἐστι πᾶσιν ἀνθρώποις, ὡς ἐκ θεοῦ τὰ πάντα, καὶ διὰ θεοῦ, ἡμῖν συνέστηκεν: *Vetus & à maioribus acceptus hominibus eſt ſermo, quod* OMNIA ADEO ET PER DEVM, *nobis ſint conſtituta.* Qui hoc imbibit, Religionem quomodo non habebit?

De mundo ad Alexandr.

> *Prima mihi debes animi bona,* SANCTVS *habere.*

Ex quo ſequetur, vt virtutes etiam habeas, & maxime Modeſtiam ac Clementiam: quæ Religioni proxime adhærent. Addo, quod tutior ita eris. amor enim ex iſto, & veneratio erga ipſos Principes innaſcitur; nec facile

exteri aut subditi lædent, cui Numen amicum & propitium arbitrantur. Quid, quod ipsi Subditi ita meliores tranquillioresque? Nulla res magis animos & mores componit, quam Religio: & illa vbi in pectus demissa, Virtutum agmen sequitur. in primis mansuetudo quædam animi & tranquillitas, bona imperantibus, & quæ faciles obnoxiosque præceptis reddit. Denique externa Felicitas eo vocat. quod ab omni æuo obseruatum, Deum qui se colunt attollere; & pijs religiosisque Principibus prospera plurimum euenisse: alia alijs Exemplis hæc firmemus: videamusque in veteri & vana Religione etiam eius cultores fuisse, & præmium à Deo externum tulisse. Qui si imaginem & speciem eius honestat ac munerat: quid in vera faciet? Primum igitur *Monitum:*

MONITVM I. *Deus vbique colendus, etiam inter & apud hostes.*

Exempl. I. AGESILAVS Spartæ rex fecit. qui, vt Xenophon ait, venerabatur delubra etiam in hostico sita, ab ijsque vim militum & iniuriam abstinebat: *quod existimaret diuina auxilia, non minus in hostili, quam amico solo, imploranda esse.*

II. ALEXANDER MAGNVS quam illustri exemplo docuit? Tyrum obsederat, Iudææ finitimã, ceperatque. In ardua ea & longa obsidione, auxilia ab Iudæis petierat: repulsus. quia cum Dario vetustius ijs fœdus erat. Iræ igitur

plenus & (animos victoria fecerat) mouit in Iudæos, vlcisci certus, & prædæ ac cædi omnia destinabat. Venitque ita affectus. sed *Jaddus*, tunc Pontifex, diuinitus somnio monitus, cum omni populo candidato, cum cœtu sacerdotum byssino, ipse in hyacinthina stola, tiaram capite & in ea DEI nomen gerens, obuium se dedit, pacis specie atque habitu. Atque ita ferocem Regem religio obiecta mouit vt statim mitis submissusque ad Pontificem vltro accederet, & ipsum salutaret, & MIRABILE illud nomen adoraret. Mirati comites, quidam & indignati: è quibus Parmenio Regem adiit, *Quid ita hominem adoraret, qui ipse passim iam pro Deo esset?* Respondit, *non illum se, sed in ipso Deum adorasse: quem ea specie iamante, in vrbe Dio Macedoniæ, per somnium vidisset, hortantem vt prompte in Asiam pergeret, sua ope & numine eam subiecturus.* Hæc Alexander & vrbi ac genti veniam: quid veniam? præmia atque honores tribuit, & immunes suisque legibus viuere iussit; & quosdam in militiam suam allegit.

III.

ANTIOCHI Syriæ regis in eadem gente factum simile, imo à se, si non ab auctore, illustrius. Obsidebat Hierosolyma, in vna vrbe bellum patraturus: & ecce festum magnum Iudæi Scænopegiæ, siue Tabernaculorum, celebraturi erant. Gens nec in afflictis rebus cultum Dei deseruit: & Legatos ad Antiochū misit, sine alio colore petitum septem dierū inducias, vt operari sacris magni Dei possent.

Magnus ille Deus pectus mouit. nec petita modo rex indulsit: sed ipse ad eius cultum versus, boues auratis cornibus, magnam thuris & odorum vim, deduci ad portas iussit, ac sacerdotibus tradita immolari. Quid magis mirer? an victoriæ interpellatæ patientiam? an sacra non solum permissa, sed instructa? sacra, quæ contra se conatusque suos suscipi sciebat, fortasse & caput suum ijs peti. Sed fructus, vt solet, pietati adfuit. & Iudæi moti inopinata benignitate, finem certaminis, initium amicitiæ fecere, ac se suaque Antiocho permisere.

MON. II. *Sacra nec in periculis deserenda, aut negligenda.*

I. Romani in arce Capitolina obsidebantur à Gallis, clausis vndique vijs, nec aditu nec exitu. Quem tamen Religio inuenit. quæ nihil deterrita, Q. FABII pectus impulit, sacra solennia & familiaria in colle Quirinali, stato die, obire. Is cum adesset, ipse cultu habituque sacro degressus, per medias hostium stationes, itum tutum & reditum habuit: siue attonitis illis inopinata audacia; siue religione etiam motis, ne pietati intercederent, quam nec præsens periculum, nec mors in oculis, impedissent.

II. Quid PAVSANIAS Spartanorum rex, & Greciæ tunc totius dux? Is in pugna nobili ad Platæas cum Persis, in qua de Græciæ salute agebatur: ingruente iam hoste & lacessente suos continuit, donec per sacra & victimas Dij consulti pugnæ annuissent. Fiebat lon-

gius, & hostes interea cunctationem pro metu interpretati, magis instare, premere: multi è Græcis cadere. nec vel sic tamen telum remitti permisit: sed victimis multiplicatis, supinas denique manus ad cælum, & preces, tulit: *Ut si in fatis non foret Græcos vincere; at saltē, ne in nultis sed facinore aliquo memorabili edito, mori indulgerent.* Auditus est, & statim felicia exta: inde procursus, & victoria. Sed quis ille animus? quàm fixus obnixusque in ceremonijs patrijs? qui vel internecione cædi eligebat, quàm Dijs inuitis ferrum stringere.

III.
An. ∞. cc. xxvii.

At vero LVDOVICVS, cui DIVI prænomen virtus & merita pepererunt, Galliæ rex: per ipsa pericula, imo infortunia, religionem assertum & defensum iuit. Vita ille Princeps & moribus optimus; iustitiæ tutor vnicus, histrionum osor, impiorum expulsor, ab anno duodecimo rex, in annum quinquagesimum sextum quo obijt, omnia (vt verbo dicam) cælo, & titulo suo digna, edidit. Sed quod meæ nunc rei facit, arma pro religione bis cepit. primò in Aegyptum traijciens, infeliciter rem gessit, copijs, commeatu, machinis amissis. Nec tamen animo. iterumque magno exercitu in Africam iuit, vxore, liberis, regno relicto: sed nec ibi felix, vna re se putauit, quòd vitam si non in acie, in expeditione tamen posuit: id est, religioni donauit. Mortuus enim in ipsa Africâ: sed in stirpe diu vixit, & viuit. è qua HENRICVS QVARTVS Gal-

liarum nunc rex imperat: quem proaui illos animos, sed felicius sumere, bellis & victorijs clarum, tacitum multorum est votum.

IIII. Quid ante Ludouicum GODEFREDVS Lotharingiæ & Bullionij Dux? quàm acres illi in pectore stimuli, qui adegerunt rem tentare atque aggredi, vix Europæ viribus patrandam? Iudæa & Terra Sancta à profanis & impijs tenebatur: qui loca illa Christo-Deo calcata, aut percruentata, illudebant ac profanabant. Perdolitum est pijssimo Heroi (sic nominandus est, & homine in eo aliquid maius:) militem collegit, opes suas & auitum patrimonium expendit, fratres ipsos duos impendit. Deus autem cœptis quam palam adfuit? ad *sexcenta millia peditum, equitum centena millia* armauit: exercitum, quem rarò Europa nostra vidisset. Scio esse, qui numerum minuant: sed fuisse certum est, etsi non omnes peruenisse. *Venit* igitur in Syriam, & (vt Iulianis olim verbis dicam) *vidit, vicit* Rex Terræ Sanctæ factus, victorijs & vita illustris obijt: quem mirari aliquando subijt non & ipsum relatum in Diuorum numerum, tam claris testatisque meritis.

[margin: .. XCVI.]

V. CAROLVS QVINTVS Imperator, multa vitæ sanctimonia, presertim iam senior, fuit. Preces ipse cōponere, noctu surgere & ad Deum fundere: sed ardorem præsertim & studium in tuenda religione profiteri. Voluisset & propaganda: ac querētis eius vox sepe audita, Quod per bella interna, & cum Christianis Principibus,

cipibus, laurea eriperetur, quam de veris profanisque hostibus posset referre. Sed quod ad tuendam, notum quid in Germanico bello fecerit: quam periculose susceperit, animose gesserit, feliciter consummarit. In eo, dum Saxonem persequitur, ad Albim fluuium: sub ipsum prælij tempus obseruauit imaginem Christi, in cruce adfixi, plumbea glande ab impio milite recenter traiectam. Stetit, & ingemuit: atque alta voce ad Deum clamauit, *Domine, si vis iniuriam hanc vlcisci, potes: ecce autem me vindicem tuum paratum. iuua.* Certe audiuit, & iuuit. fuga & dissipatio hostium ad eius adspectum facta, Dux ipse saucius in manus venit, & bellum vno prælio confectum.

MON. III. *Tuitio sacrorum famam & potentiam donat.*

Cuius clarissimum exemplum est PHILIPPVS MACEDO? qui tenuis adhuc viribus, neque inclytus nomine, gradum ad illa vtraque fecit à sacrorum tutela. Phocenses in Græcia, cum Delphico templo præessent, bello impliciti, thesauros eius Dei veteres & fama celebres tangere ausi, & mutui titulo, quid nisi spoliare? Ea res in odio & exsecratione omnium cum esset, solus ipse non iram, sed vindictam etiam & arma sumpsit. Contra sumunt Phocenses, Onomarcho quodam duce: & iuncti exercitus, & prælio instruuntur. Ibi Philippus, pulcherrimo astu, suos omnes lauru coronari iussit (sacræ Apollini eæ frondes:) atque ita velut Deo duce, & Deo dicatum exercitum, manus

1.

consetere. Factum & alacriter, & feliciter. cum Phocenses ipsis insignibus violati numinis conspectis, in fugam consternati, armis abiectis abeũt, & temeratę religionis pœnas multo sanguine suo pendunt. In gratia & gloria ab hac re Philippus. auxit opes & regnum, quod obscurum & modicum, validissimum Europæ effecit: & filio materiem ad illud Asiæ quærendum reliquit.

II. CONSTANTINVM MAGNVM licet addere: eo iustius, quod veræ pietatis præbuit se assertorem. Quam ea ad id æui iacebat? oppressa cædibus, ignibus, aquis: & caput aut vocem attollere in eius professionem non erat. Ille ante Principatum affectum aliquem, & iam Princeps amorem ostendit: templa Dijs clausit, Christo aperuit, & omni vi atque arte hoc nomen & numen iuit propagatum. An non se vnus imperium turbidis illis temporibus, & seditioni factis, firmiter ad senectutem tenuit, & suis adeo reliquit? Prospera multa bello gessit, veterem Romam tenuit, & nouam struxit. Hæc omnia cui accepto, nisi Religioni atque eius tutelæ, referat?

III. CAROLVS deinde MAGNVS iterum noui auctor imperij, qui id à Romanis vel potius Barbaris (nam ij dominabantur in Italia) ad Francos Germanosque transtulit: is, inquam, palam hunc titulum debet inscripsitque tuitioni sacrorum. Ter in Italiam copias duxit, & victrices reduxit: vt laborantem à seditiosis aut ab hostibus Pontificem maximum, in liberta-

tem assereret, atque etiam dignitatem. Eumdem potentia & finibus auxit, Rauennate Exarchatu, atque alijs in Italia, perpetuo dominij iure concessis. Alione etiam suo fructu? alio. nam iam Imperator victorias inclytas peperit: & ô laudabiles! contra hostes fidei bellis fere susceptis. Mauros in Hispania fregit & comminuit, Saxones, Danos, Auares in triumphum, nec suum, sed Christi duxit. Plerisque enim errores detraxit & lumen veritatis nostræ infudit. Magnum Principem! & vnde, dixi.

III. DCCXXXI.

At Hispaniæ mentio ALFONSVM, siue ADELFONSVM vt prisci fere scribunt, eius regem mihi suggerit, ab ista hac radice florentem. Hispania scissa tunc varie, & Mauricis armis regnisque incessa erat: multa recepit, iunxit: & semper in istis prima ei cura, templa instaurare, vasis vestibusque, ad sacrorum cultum exornare. Adeoque hæc agenti fauor numinis adfuit, vt sæpe, cum animosa audacia an temeritate dicam, castra hostium explorabundus, atque id solus adierit: solus redierit ac sese explicarit, idque cum agnitus interdum ab ijs fuisset. Miraculum hic quis non agnoscat? Isto feruore (sic appellare debeo) CATHOLICI regis agnomen meruit: quod idem antea *Recaredo* datum in concilio Toletano, cum Gothorum gentem abiectis Arij delirijs, in Ecclesiæ castra reduxisset. Ac tertium, idem in *Ferdinando* rege, patrum memoria: à Iulio II. Pontifice renouatum. qui Mauros tota Hispania eiecit: & ab eo posteris successoribusque ad hunc

IIII. ∞. CC. LXXIII.

diem, gloriosum id & solenne mansit.

Tene ego hic RVDOLFE AVSTRIACE prætercam? te, qui fluctuans per dissidia Imperium stabilijsti, & gentem fatalem sceptris regnisque propagasti. Quo merito? inquirere in Deum & diuina consulta nefas, nec facio: sed non est inquisitio, quæ in aperto sunt memorare. Tu in modica adhuc fortuna, nec nisi Comes Habespurgensis, Pietatis multiplex studium prætulisti: & illi sequentem magnitudinem tuam vaticinia & diuinæ voces adscripserunt. Vnum videamus. Venatum forte, vt nobilitas illa & nostra solet, cum paucis in equo exiuerat. Pluuius dies erat, & viæ fractæ & sordentes: ecce occurrit sacerdos, venerabilem & mysticam hostiam, extremum solatium, ægro laturus: & occurrit pedes. Is adspectus pium pectus perculit. nec sine indignatiuncula aliqua equo desilit: & *Me vehi, te qui seruatorem meũ portas, pedibus incedere? indecorum, vel impium sit: conscende, & equum hunc cape.* Iussio, non preces erant: paret ille, & iste capite reuelato humilis sequitur, ad ipsas ædes ægri deducit, ab ijs eodem habitu reducit. Iam domi & apud se Sacerdos erat. qui officio attonitus, & mente à Deo mota, bene abeunti dixit, & simul Imperium ipsi posterisque prædixit. Alij tamen ad Sueuicam vatem hoc referunt: quidam & somnio sequentis noctis edoctum ipsum volunt. Vndeunde prædictio, & res illa certa, & rata ista fuit, ac fidem etiam nunc ab euentis habet. Sed hæc narratio Monitum aliud mihi suggerit.

MON. IIII. *Sacrorum antistites aut administros honorandos, audiendos esse.*

ALEXANDER SEVERVS Imperator tanti eos fecit, vt iudicatas à se caussas, à Pontificibus atque Auguribus retractari, atque aliter quam ipse censuisset terminari, æquo animo pateretur. Bona submissio. non minuit, sed auxit Principale culmen, infra Religionem id posuisse. I.

CONSTANTINVS MAGNVS, cum initio, vt fit, libertatis, feruor & fluctus, & contentio aliqua, inter Ecclesiæ proceres esset: indicto concilio Nicæno, ipse interfuit, & auctoritatem accommodauit. Ecce autem libelli plures, qui mutuas criminationes continerent, ad eum delati fuerunt: quos omnes quasi lecturus cogniturusque accepit. sed in vnum fascem collectos, in ignem statim, nec inspectos quidem, coram omnibus iecit. Duo videlicet eo facto significans, & indignum illis esse, certare æmulatione aut odijs: nec se dignum, qui de ijs iudicaret, quos Deus iudicare vicem suam in terris iussisset. II.

Iam ROBERTVS Galliæ rex quam eosdem honorauit, & misceri ijs honorem suum putauit: Scholas & templa adibat, locum inter eos sumebat: nec orabat solum cum ijs, sed in publico psallebat. Quin & cantica eius sacra, quæ composuit ediditque, Ecclesia etiam nunc vsurpat. Vir demissæ & raræ sanctimoniæ. cui Deus etiam miraculo attestatus est: cum, Auallonem vrbem eo obsidente, muri sponte corrue- III. DCCCC. XCVII.

runt. ipso interea laudes hymnosque cum sacerdotibus in tabernaculo concinente.

IIII. CC. LXXIX.

Sed hoc mirari quam imitari plures volent. sicut & illud, quod de OSMANE, VRCHANE, MVRATE, à quibus Turcicum hoc grãde imperium fundatum cœptumque est, Annales eius gentis his ipsis verbis (digna enim ea prodi) tradunt. *Quoties conuiuas vocabant, vescebantur adhibitis Talismanis* (ita Sacerdotes dicunt:) *quorum præceptis & admonitionibus inter conuiuandum aures præbebant, & alcoranum legi iubebant.* De Principibus, an de Monachis hæc narrantur?

V. C. LXXIIII.

At submissionis exemplum etiam vnum, quod horridæ &, vt quorumdam deliciæ sunt, sordidæ Pietatis videbitur, in HENRICO II. Anglorum rege. Ille suspectus in cæde beati Thomæ Cantuariensis Antistitis, non facto aut manibus eius, sed iussu consensuve patrata: & sæpe admonitus, ac renitens semper aut abnuens, ad extremum ipsa conscientia salutariter adducente, ad ipsum locum sepulchrumque beati viri, Cantuariam venit, atque ibi statim in terram, simul & lachrimas, effusus veniam pacemque petijt. Sancto deinde à pœnitentia impetu, ad cœtum monachorum pergit, & multis precibus impetrauit, vt à singulis eorum ordine virginis vapularet. Quid dicam? stupeo. rex fecit, sponte fecit, sui oblitus dum Deum cogitat, iudicij hominum, dum cœli præmia. O si hic vilem, ibi beatum! immo & hic, dum Deus ipso illo tempore eum attollit

& magnificat, rege Scotorum à ducibus suis victo, capto, & per triumphum adducto. Plura in Religione liceat: sed seorsum iam feci in libello, quem *De vna religione* vulgaui.

DE SVPERSTITIONE.

Aßitam Religioni esse, & in vanitatem, vilitatem, timorem inclinare.

CAP. III.

Religio igitur laudabilis: sed sita velut inter duos scopulos, Superstitionem & Impietatem. quem vtrumque suademus, & opus est, vitare. Subit miserari humanam conditionem, siue, vt Plutarchi verbis efferam, ἀνθρωπίνην ἀσθένειαν, ὅρον οὐκ ἔχουσαν. ἀλλ' ἐκφερομένην, ὅπου μὲν εἰς δεισιδαιμονίαν καὶ τῦφον, ὅπου δὲ εἰς ὀλιγωρίαν τῶν θείων καὶ περιφρόνησιν: *humanam imbecillitatem, quæ finem aut modum non habet. sed alias abripitur in superstitionem & vanitatem, alias in Neglectum rerum diuinarum aut Contemptum.* O vtraque magna pestis! sed illa crebrior, hæc deterior: atque illa Pietatis ipsa imagine se commendat. Sed imagine. neque aliud est, quam *humanarum mentium ludibrium, Superstitio.* Quæ rudes, barbaros, & male factos animos maxime tangit καὶ εὐάλωτον (ait idem Plutarchus) εἰς δεισιδαιμονίαν φύσει τὸ βαρβαρικόν: *Pronum natura ad Superstitionem genus barbaricum.* Ea autem

In Camillo.

Curt lib. 7.

non aliud est, quam cultus Dei, quem, aut cui, non debet, aut aliter, ac debet. Errat in eligendo: vel modum excedit in colendo, & seruiliter, muliebriter, pueriliter se gerit. Proprius autem ei timor, & inquietudo: quæ animos deprimunt, & ad nullam rem seriam aut altam patiuntur aptari. Itaque Principi fugienda maxime: etsi

MON. I. *In tristibus aut aduersis sæpe se insinuat.*

I. In Alexandro.

Quod in ALEXANDRO MAGNO notatum. qui omni quidem vita religiosus, in extrema ea ad hanc declinauit. Nam ita animi & corporis æger iam se gessit, ait Plutarchus, *vt nihil esset tam paruum aut absurdum, si modo insolitum, quod in prodigium aut omen non verteret. Itaque sacrificantium, lustrantium, diuinantium regia erat plena.* & plenus ipse malis curisque, mortem dum fugit, accersit.

II.

Annon in LVDOVICO XI. rege Galliæ simile? qui ætate & valetudine iam inclinante, medicis blanditur, & auri montes promittit aut donat: deinde & sanctos viros euocat, & è siluis educit, quibus vitam suam non emendandam, sed propagandam commendat. Tanto interea metu, vt in arce munita, & fenestris ipsis atque omni aditu clathris ferreis obstructo, sese includeret: id est, quid nisi in spontaneum carcerem daret? O miser, hoc assidue times, quod semel faciendum est? hoc times, quod in tua manu est, ne timeas? Pietatem assume, Superstitionem omitte: mors tua vita

erit, & quidem beata atque æterna.

M o n. I I. *In friuolis aut paruis se ostendit.*

Cuius rei cottidiana, pæne dicam, exempla sunt. Illustre in magno A v g v s t o. qui *Auspicia & omina*, ait Suetonius, *pro certissimis obseruabat: sed nec somnia sua, aut aliena de se, negligebat, ne peregrinarum quidem religionum contemptor, cùm Cereris Atticæ mysteriis initiari voluerit.* Quid ei quietum, in talibus occupato?

Q v æ s t i v n c v l a.

An in populo non vtilis Superstitio, & Principi permittenda?

A Principe igitur ipso remouemus: imò ausim dicere, nimiam Pietatem. Munus enim eius intueor. quòd à diuinis ad humana etiã vocat: in quo ipso est Dei quidam cultus & honos. Nicephorus Gregoras scite hoc mihi dixisse videtur: Τῷ μόνῃ προσέχοντι τὸν νοῦν τῇ κατὰ θεὸν θεωρίᾳ, ὄρεσι καὶ σπηλαίοις ἐνδιατρίβειν προσήκει. ὅστις δὲ μετὰ τῆς ἀρετῆς καὶ πολιτικὸν ἤσκησεν ἦθος, καὶ πεῖραν ἔσχε πραγμάτων παντοίων· οὗτος λαὸν ὁδηγεῖν ἐς τὰ βέλτιστα καὶ σωτήρια κράτιστος: *Qui in vna Dei contemplatione mentem defixam habet, ei montes & speluncas habitare conuenit. At qui, vna cum virtute, etiam mores ciuiles exercuit & iunxit, quique notitiam parauit rerum variarum, ille vero populum regere, & ducere ad optima optimus est.*

Lib. III.

Sed hoc cùm ita sit: quid igitur? inquiunt. an non populum saltem in superstitione habere, Principi vtile, & optandum est? Sunt qui asserant, & præsertim è priscis. Nã mitigari ita animos, & faciliores reddi ad parendum. Liuius

Numam, qui Romam superstitionibus repleuit, spectasse hoc vult: *& omnium primum, rem ad multitudinem imperitam, & illis temporibus rudem, efficacissimam, Deorum metum iniecisse.* Et vero facit ad ingenium multitudinis. quæ alioquin *Impotens, sæua, mutabilis, vbi vanâ religione capta est, melius vatibus suis* (siue & *sacerdotibus*) *quàm ducibus regibusque paret.* Quin & Polybius Romanos laudat, & prudenter fecisse autumat, *quòd partem eam, quæ Religionem & Deos spectat, in republicâ suâ sic conformarint & penè tragicè extulerint, vt nihil sic addere. Quod mihi quidem videntur*, inquit, PLEBIS CAVSSA *fecisse. nam si è Sapientibus viris Rempublicam fas constituere: nihil opus sit tali istâ inductione vti: at cùm multitudo vana sit, & varia præter leges appetat, iracunda ac violenta, vtile fuit interno hoc terrore, & superstitionis velut tragœdia cohiberi.* Hæc isti: at nobis nō persuadeāt, in bona republica vitiorum caput & fontē approbare. Mites animi fiunt, inquiunt. Imo viles, & istæ persuasiunculæ, vt cū poëta dicā,

————faciunt animos humiles formidine diuum.
Depressosque premunt ad terram.

Nemo magnanimus, & alta meditans Princeps, tales subditos suos velit. Obedientiores etiam sunt? Abnuo, imo ad motus aut rebellionem proniores. Quoties olim, & nuper visum, prauæ aut nouæ Religionis titulo, populum concitatum? vnus aliquis concionator, sanctimoniæ fama, vt telo, armatus, & eloquentia aliqua ornatus, quid nō patrat? Omitto vetera, aut extera: ante annos circiter centum HIERO-

Lib. I.

Curtius lib. IIII.

NYMVS SAVANAROLA Florentinus, religiosi habitu (in Diui Dominici cœtu erat) tum vitæ vera an ficta sanctimonia, adhæc facundia, populum in se conuerterat. Pulsi Medicæi vrbe erant, & popularis status introductus: quem ille, vt ambitioni suæ opportunum, omni ope tuebatur. Plebs ab eo pendula, & verba consultaque eius, oracula habere: ipsi optimates virum colere, & per eum se suosque ad remp. (nam hæc in eius manu) promouere. Regnabat enim non in concionibus tantum & sacris ædibus, sed in curia, sed in comitiis: & raro publice, imo priuatim maius aliquid, sine eius arbitrio gestum. Dicam? non animis modo, sed & arcis, sed & armis ciuium, imperabat. Hoc regnum totos annos quattuor exercuit. sed cum inuidia interfectorum aliquot ciuium laboraret, alia etiam obiicerentur, quorum purgandorum, & diuinitatis famæ augendæ, cùm pyram ardentem ingressurum se vltro spopondisset, mox retractans, vanitatis manifestus, & ex eo contemptior, apparuit. Denique in Pontificem summum linguæ suæ tela vibrans, primo bonorum, mox & mediorum fauore destitutus, pœnas ad vltimum ambitiosæ pietatis publico igne luit. Scio variare super eo iudicia, & benignius quosdam loqui: esto sed exemplum tamen potentiæ in populo, per titulum Religionis, insigne & Principibus metuendum præbuit. Talia aliqua in libello *De vna religione* dicta. Iam ratio firmissima & intima, Christiano Principi nefas superstitionem fouere. Et illi

exterorum qui fecerunt, quàm turpiter & fœde instituerunt? Exempla libet dare, & ridere: ac primum.

I. ÆGYPTIORVM. quos omnes gentes credo equidem vana & stulta superstitione anteiuisse. Neque enim ad homines, aut ad mortuos modò Deorum cultum, *Isim, Serapim, Anubim*, sed ad bestias, easque vilissimas transtulerunt, *Canes, Ichneumones, Feles, Accipitres, Ibides, Lupos, Crocodilos*, tales plures. O amentiam! his cibos dare per obsequium pietatis soliti, his agros & vectigalia è publico assignare, horum in signis imagines præferre, his denique defunctis cum planctu funus, & sumptu monumenta facere. Ex his siquis sciens aliquod interfecisset, interficiebatur, siquis vel insciens *Felem*, aut *Ibidem*, idem. Nugari videar. sed vera suo malo sensit Romanus ciuis, æuo Diodori Siculi, id est Tullij Ciceronis. nam ipse id scribit, & testem ac spectatorem rei se adscribit. Ptolomæus inquit, quẽ Romani in regnũ postea restituerũt, cùm primò Socius & amicus à Senatu P. Q. Romano dictus esset, magna lætitia publica, & concursus fuit. Erant & Romani in turba: atque inter eos miles casu (non enim sponte) felem occidit. Clamor, ira, tumultus. non inscitia miseri, non Romani nominis reuerentia, non imperium Regis, qui purpuratorum præcipuos miserat ad sedandum & deprecandum: nihil, inquam, horum iuuit, quin ille statim millenis manibus discerperetur, sic vt nec funeri aut rogo aliquid superesset. Vides quàm mitis

ſuperſtitio? rabies & furor eſt, cùm pectora inuaſit.

II. Sed & aliter etiam ſæuitia, an veſania eſt, in exemplo, quod eidem ſcriptori debemus. ÆGYPTUM aliquando fames inuaſit, ſic vt alimenta deeſſent. Quid factum? verſi ſunt ad humanas carnes, & pepercerunt dictis beſtiis: pepercerunt? imò & aluerunt neque ambiguum quin & humana carne. Cæcitatem! ergo homo Deo proximus, infra fœda animalia ponitur: & ille horum gratiâ interit, id eſt quid niſi iis immolatur?

III. Tolerabilius AFRI, qui non beſtiis, ſed Saturno tamen homines viuos ſacrificabant, & præſertim pueros, ætatem florentem, innoxiam, & ideo crudo illi Deo gratiorem. Res ita fuit. Stabat Carthagine ſtatua Saturni ænea, manibus leuiter ſublatis, iterumque pandis in terram demiſſis. In eas ſolenniter vir aut puer impoſitus, ſtatim præceps deuoluebatur in ſubiectum barathrum, igne & eius alimentis plenum. Id viuicomburium Deo dabatur, ſtato quidem die quotannis: ſed aliquando & extra ordinem, & multiplicatis victimis, ſi clades aut triſtius aliquid ciuitati eueniſſet. Vt in eâ, quam ab Agathocle acceperant, placuit decreto ducentos (horreſco referens) optimatum filios Saturno ſic immolari; &, quis credat? totidem alij ſponte ſe obtulerunt, ipſa clades an florem hunc ciuium abſtulerat, quem ſuperſtitio impendit? Indignor, an miſeror? & lacrimas conditioni humanæ impendo, cui *vni ſuperſtitionem*

datam Plinius conqueritur: an non iure, cùm in hos vsus?

IIII. Ie. XX.

Sed ad ridenda magis, quàm deflenda eamus: & stultitiam, quàm sæuitiam accusemus. MAHVMETES ille, heu nimis nostris cladibus notus, cum cupidine agitaretur nouarum opum & imperij, nouam Religionem, id est superstitionem commentus est: ita me Deus, indecoram, futilem, nec colore vllo veri tinctã? etsi ex Iudæorum Christianorumque libris, velut per Satyram, miscuit & confecit. O nugas, ô deliria! & lubet quædam recensere. Primum est, Deum vnũ solidumque (ὁλόσφυρον Græci exprimunt) eumdemque incorporeum esse: Christum non Deum, sed magnum vatem & prophetam, se tamen maiorem, & proxime à Deo missum. Præmia qui ipsum audient, Paradisum, qui post aliquot annorum millia reserabitur: ibi quattuor flumina, lacte, vino, melle, aqua fluere: ibi palatia & ædificia gemmata atque aurata esse: carnes auium suauissimarum, fructus omne genus, quos sparsi iacentesque sub vmbra arborum edent: sed caput felicitatis, viros fæminasque maiores solito, magnis genitalibus, assidua libidine & eius vsu, sine tædio aut fatigatione. Credet hæc aliquis dicta, & accepta? amplius. Ille vero Veneris his illecebris totam legem suam impleuit: & viro permittit vxores iustas quattuor habere, pellices tot quot lubet. Etiam, scribit his ipsis verbis: *Mulieres habitaculum viri esse, ideo aßidue debere eas colere, sed & ingredi qua vellent.* O

turpitudinē! non prouocat ſolum ad crebram, ſed ad promiſcuam libidinem: & ſupera, infera, aduerſa, auerſa, eodem iure habet. Atque adeo ipſe belle & in exemplum gloriatur, *Vndecim ſe mulieres habuiſſe in contubernio, & omnes vna hora ſingillatim iniuiſſe, & patraſſe.* Hæc & plura in eius *Corano*: ſed & Phyſica quoque miranda. Nam facit Solem & Lunam in equis vehi: illum autem in aquam calidam veſpere mergi, & bene lotum aſcendere atque oriri. Stellas in aëre è catenis aureis pendere: terram in bouini cornu cuſpide ſtabilitam, & agitante ſe boue ac ſuccutiente fieri terræmotum. Hominem autem ex hirudine aut ſanguiſuga naſci. & quid addam? pudet, piget, miſeret generis humani, cuius magna aut maxima pars his non vanitatibus, ſed ſtuporibus eſt oppreſſa. Nam Aſia fere tota, plurimum Africæ, multum Europæ, iura ſceptri & ſacri Turcici accepit. Quin & multi extra Turcarum iura, vt magnus Tatarorum Chamus, vt Perſa, vt alij in India & extremo Oriente, deliria hæc delirant.

V. Quid etiam omitto? iidem TVRCÆ, ad Ægyptiorum morem, feles, canes, piſces, aues, ſi non adorant, colunt tamen & paſcunt: & his ſe velut largitionibus demereri diuinam Numen cenſent. Itaque videre Byzantij ſtatis horis eſt, cibos apponi dictis animalibus: nec viles quoſdam, aut menſarum analecta, ſed orizam coctam, carnes aſſas recens, & hoc fine ex opſopolio emptas. quas & perticis

longis imponere solent, & sic fugacibus aut vitabundis eorum dare. Quid, quòd aues etiam captas redimunt, & aëri ac libertati deinde, per pietatem, restituunt? Iam in re inanima, id est charta, quas nugas edunt? Nefas eam abiici, aut calcari: sicubi vel fragmen vident, tollunt religiose, & parieti adfigunt, aut imponunt. Refert Augerius Busbequius, in legatione sua ad Soleimannum, cùm ductores tutorésque viæ Genitzaros haberet, grauiter aliquando apud se questos, quod famulitio eius charta ad obscænos vsus esset. Caussa autem quàm iusta? quia *Coranus* ille in ea scriptus.

VI. Sed lubet leui oculo alia terrarum etiam, & in iis superstitionem, lustrare: quæ discolor, sed vbique decolor, & candori ac veritati aliena comparet. Sunt in Orientis magno tractu, qui MALABARES appellantur, & à Calecutio, ad mare versus, & introrsum etiam colunt. Iis varij Dij, & simulacra eorum fœdo habitu, colore etiam fere in nigrum. Templa *Pagodes* vocant: sacerdotes, *Brahmanes*. Iis tanta reuerentia, vt & belli tempore mediis armis interueniant, solâ religione & nomine suo tuti. Insigne eorum, tria fila, quæ ab humero dextro in sinistrum latus ligant. Nomen vetus est Indorum sapientum: & quædam ex iis habent. Sunt enim Astrologiæ periti, sed & Magiæ, ac prædictionibus plebi varie spem aut metum præbent. Finis earum, quæsticulus, vt in hoc genere solet, quem & ex sacrificiis aucupantur, cùm Diis suis cibos, sed & nummos, offerri iubent: atque ipsi

iis vescuntur, aut vtuntur. Sacra eorum & conuentus fere cruenti. tela enim inter se spargunt, & qui iis occumbunt, migrare ad beatorum sedes recta censentur. Animas immortales prædicant, sed Pythagoræ somnio, in corpora alia transire.

VII.

Sunt & SINITÆ, siue SINENSES, vlteriore tractu: ij quoque in Deorum cultu, quos domesticatim plures habent. quosdam & tricipiti figura: an auditiuncula aliqua & adumbratione nostræ Trinitatis, quando & D. Thomam, & Christiana olim sacra, in iis locis fuisse, constans traditio est? Sed deunculos istos adeo magni haud faciunt, vt si aliquid præter spem aut vota euenit, ab ipsis pœnas exigant, atque adeo flagris cæsos in publicum sæpe abiiciant & exponant. Mox tamen pænitentia recipiunt, iterumque (ô bellum ludum!) adorant, placant, supplicant, verbis, thure, mero. Solem tamen inter omnes præcipuo cultu & æstimatione habent: atque huic extra ædes progressi, sub dio, de patera * vinum, Græco & Romano more, libant. Sacerdotes, pro deorum numero, ipsi quoque frequentes. Sunt *Bonzij*, sunt & *Bonziæ* fœminæ, & super vtrosque *Tundi*: denique vnus supremus omnium, *Zasso*. Hi Bonzij conuentus suos & contubernia habent: vt Religiosi apud nos cœnobia: in regno quidem Iaponiæ ita crebra, vt vna aliqua prouincia supra DCCC. recenseat: in quorum singulis haud minus sit triginta Bonziorum. Nomino Iaponiam. nam & ij ritus eosdem cum Si-

* *Vinum eius loci, è palmis.*

nitis & sacra habent, hauseruntque vtrique à communi doctore *Xaca*. Eorum dogma, animas interire, eademque omnia à morte, quæ ante natalem: exitiabile Virtuti.

VIII. Iam in nouo orbe & illa AMERICA quid dicam? spissæ & Cimmeriæ tenebræ: nisi quod Hispani leuiter (sed adhuc leuiter) dispulerunt, & lucem nostram intulerunt. In PERVVII regni finibus receptum, Solem colere: quod Ingæ reges pro firmamento aut insigni dominationis instituerunt, cùm essent dij antea diuersi. Illorum solenne, templa vbique Soli erigere, ampla, magnifica, auro laqueata, aut & strata. In iis castæ aliquot Virgines, quarum pudicitia deuota: nec fas polluere, nisi vt luerent morte. Excusatur, si qua iurauit à sole compressam se, & ex eo vterum ferre. Pæne is ritus fuit, qui Vestalium Romæ: sed numerus prægrandior. & in vno aliquo templo ducentæ, aut plures. Alij etiam ministri & æditui, alibi ad millia triginta: idque tantum in templi vnius cultum & vsum. Sed earum munus, lanam & filum carpere, vestes texere, diis ornandis: siue & ad sacrorum ritum, quo solent vestes & hæc texta vna cum ossibus pecudum cremare, & mixtum cinerem, in altum spectantes, Soli iactare. Has virgines *Mamaconas* vocabant: ipsa templa, aut & idola *Guacas*. Sunt & alij sacerdotes, vestitu niueo insignes: qui Deos adeunt, salutant, sermocinantur. sed id cum hac cautione, vt terram despectent, & oculos versus eos non attollant. Imo quidam aut obligant sibi

lumina, aut eruunt semel & euellunt: quod sanctius reuerentiusque habetur. Sacrificia sunt pecudes eius loci, sed homines crebro etiam, & infantes. Horum sanguine simulacra oblinunt: deinde exta inspiciunt, & è notis augurantur.

IX

In VICINIS ei regno LOCIS deorum alia portenta. Quidam tigres, leones, fera eiusmodi animalia colunt: alij feles, aut aues. Quidam (in prouincia, quæ *Manta* dicitur) Smaragdum insignem gemmam adorant, & pro vero numine habent. Mos omnibus, herbas certas pro thure adolere & incendere, itemque captiuos sacrificare, aut si desunt, è suis. Oracula petunt, & capiunt: tam certa plerumque fide, vt Hispani tradant, nihil vel in eorum bellis, aut in suis ciuilibus euenisse, quod non prædictionibus fuerit vulgatum. Immortalitatem animi credunt, sed, vt videtur, cum ipso corpore, & quasi migrent: certe sepulchra laxiora, & magis apparata faciunt, quam vllas viuentium domos. Sed & cùm moriuntur, comites accipiũt, quasi ad ministerium aut solatium: atque imprimis carissimas vxorum. Eæ certant inter se & æmulantur, quæ cum mortuo viua (ita fit) defodiatur. Quod si insignior aliquis satrapa aut regulus obiit, turba est eorum earumque, quæ commoriuntur. Argumentum, quod ad res lætas & geniales ire se putent, hoc est, quod potum & cibum affatim apponant, sed & quotannis, velut parentalibus, per foramen superne, de industria sic factum, infundant. Choreas illic, & in aliis festis

diebus honori Deorum ducunt, bini & bini iuncti in seriem, duobus præsultoribus, qui dant modos, Tenent autem sic saltantes manu vas potorium (assidue enim bibunt) & altera interim penem, vt infusa emittant.

X. Vltimi sunto MEXICANI, quos diuidit angustior ille isthmus. Vastum regnum, & olim innumerus populus, & dij pro modo. Nam omniũ ferme rerum affectuũque eos habebant, vt Aquæ, Piscium, Fruměti, Fructuũ, Amorum, Bellorum, & quidquid dici fingique tale potest. Aiunt ad duo millia Deorum culta sollenniter in vrbe *Themistitan*, quæ regni metropolis, fuisse. Templa iis magnifica, laxa, quadrata fere forma. Sacrificia cruenta, ex animato, & ex homine: atque adeo hominum ad quinquaginta, aut supra, millia vno anno immolabant. Dignum relatu est quod Ferdinando Cortesio (immortalis gloriæ, ob quæsitum subactumque hunc tractum) Cortesio, inquam, euenit. Populi quidam ibi, nouitate facinorum eius attoniti, legatos mittunt, qui sic affantur. *Tria genera munerum ad te ferimus. Primo quinque homines. & si Deus quidem crudus es, & sanguine placandus, cape istos, & vescere. plures etiam dabimus. Sin bonus mitisque es Deus, en tibi herbas & plumas, ad supplicandum. Si porro homo es, cape has aues & fructus, quos damus in tuum & tuorum vsum.* O! Deus, qui cœpisti has tenebras minuere, totas pelle, & ipsum te verum nouumque Deum cum nouo imperio ostende.

XI. Plerasque superstitiones, quæ in partibus

orbis ſunt, dixi: vnam quæ in toto eſt, omiſi, IVDAEORVM. Ij enim ſparſi per Europam, Africam, Aſiam, quaqua verſus colunt: pertinax natio, & qui vmbram pro luce, pro veritate imaginem tenuerunt, & tenent. Quàm multa etiam priſcis illis ſuis, ſacriſque libris, vana, ſuperflua, inepta addiderunt? ad Thalmudem appello. Sed iſti, quod mirum, & ter mirum eſt, toties attriti vel exciſi potius, viuunt & vigent, & corpus illud gentis ſeruant, atque adeo propagant. Legat, qui volet, ab Hieroſolymis captis, quoties à Principibus Romanis Græciſque pulſi vel cæſi, quoties à Chriſtianis etiam regibus ſint: mirabitur & vix credet, vel paucos ſupereſſe in ſemen. At illi, vt dixi, frequentes ſunt & florent. frequentes? Bellonium audi, fidum obſeruatorem. *In omni imperio Turcico*, inquit, *vix opidum aut pagus eſt, in quo non plurimi Iudæi agant: atque ij fere variarum linguarum periti, quod magno vſui eſt exteris aut peregrinis.* Nec in illo tantum imperio, ſed in Oriente, in Septemtrione, apud Chriſtianos etiam agunt: & quamquam ſic diſtracti, vnionem & puritatem gentis ſeruant, à coniugiis alienigenarum decreto auerſi. Quid Deus in iſtis ſtruat aut moliatur, neſcio: nulla quidem gens ab orbe condito, aut frequentiam, aut ſinceritatem ſuam ſeruauit, opinor, præter iſtam.

DE IMPIETATE.

Eius matrem superbiam, aut ferociam, sæpe & vitiorum cumulum, esse.

CAP. IIII.

DEFLEXIO altera *Impietas*, siue *Irreligio*, si ἀσέβειαν Græcorum sic licet vertere. Grande, & vt sic dicam, malorum malum: cùm homo à ratione, imo à natura abit, contemptor Numinis aut negator quod illa asseruit, & hæc inseuit. Eo veniri solet, siue à superba quadam & rudi Ferocia, siue à vitiorum magnitudine & cumulo, quæ animum manciparunt. Deo enim tum se subtrahit, & ne illum timeat, spernit: itemque præmia omnia futura aut pœnas. Infelices hi tales! etiam in externis rebus successibusque: quia desertores sui Deus deserit, nec cadunt solum turpiter sæpe, sed ruunt. Quam fœdi etiam sunt? super omnes superstitiosos: quia vt illi conniuent ad supremum Numen, aut male vident, sic isti cæcutiunt, & nihil vident. Quis autem neget cæcitatem deteriorem lippitudine esse? Eam ego in paucis exemplis proponam: paucis, & idipsum timide, nec aliter quam in templis malos Genios solemus, ad fugiendum & abhorrendum.

1. Omitto veteres, apud quos veniam aliquam habuerit, in caligine errorum: apud Christianos qui potest? Et sunt tamen, qui non vita solum

eam præferunt: sed impudenter lingua exprimunt. vt ille FREDERICVS II. Imperator, cui sæpe in ore: *Tres fuisse insignes impostores, qui genus humanum seduxerunt, Moysem, Christum, Mahumetem.* O! impure, ô impie! te hoc dicere, quod gentilium quidam olim, *Christum magum fuisse, & ex Ægyptiorum adytis angelorum potentium nomina habuisse?* Arnob. Lib. I.

11 Mitior ALPHONSI X. Hispaniæ regis, sed non melior vox aut sensus. qui solitus Prouidentiam identidem culpare, & dicere: *Si principio mundi ipse Deo adfuisset, multa melius ordinatiusque condenda fuisse.* Misselle, sapientia supra Deum es: lingua quo abis, mens quo abisti? Sed notabile, vtrumque istum, & Fredericum & Alfonsum, illum imperio, hunc regno priuatos, in publico odio & infamia obiisse. Plura non addo, nec vel calamum aut chartam relatione ipsa maculo.

Fatum considerandum, credendumque esse.

CAP. V.

AT tu qui Deum & Religionem colis, etiã Fatum: id est Prouidentiã, decretumque diuinum. *Quid enim aliud est Fatum* (dicet pro me Minutius Felix) *quam id quod de vnoquoque nostrum fatus est Deus?* De vnoquoque nostrum, sed & de rebus omnibus quę sunt, fuerũt, erunt. Is enim qui omnia fecit, dirigit eadem, mouet, seruat: καθάπερ ἡνίοχος ἀγαθὸς (verba Trismegisti) τὸ τοῦ κόσμου ἅρμα ἀσφαλισάμενος καὶ ἀναδήσας εἰς ἑαυτὸν, μή πως ἀτάκτως φέροιτο. Cap. xv.

Tanquam Auriga peritus, currum hunc mundi firmans in se atque alligans, ne incomposite feratur. Prorsus ita est. per caussas medias, varie nexas, prima illa caussa omnia temperat, suauiter, prudenter, vtiliter: nec aliter est censendum. Hoc monitum variam vtilitatem Principi dabit. à Deo se & regnum, à Deo bona malaque externa esse: ideo nec in illis elate, nec in istis abiecte nimis agendum. Constantia vbique esto, & volens quædam obedientia decretis diuinis. *Nam longe præstat* (ait Gregoras Nicephorus) *quietum ferri à ferente Fato, quam obnitendo velut materiam & alimentum ei præbere. Hoc enim tale est, ac siquis ignem metuens ædes iam circumdantem, non exstinguat eum, sed sarmentorum fasces aggerat, & oleum affundat: aut si quis furente Borea & tempestate, exigua fragilique cymba, contra fluctus & per eos eluctari conetur.* Altera etiam vtilitas, inquirere leuiter & modeste in Fata, & videre quo vis illa supera, nostra hæc trahat: proque ea inclinatione, se & consilia adaptare. Magnus est fructus, & prudenti viro vix publica Fata conuersionesque obscuræ, ex signis quæ præeunt vel adhærent. Ruere aut vertere hunc statū vult? consilia praua, & homines tales erunt, qui ad gubernacula admouebuntur. Delatio, adulatio, vanitas locum habebunt: probitas, veritas, prudentia exsulabunt. Sed &, vt in cithara, concentus turbabitur: & obscura primum, mox palam discordia erit. Vult attollere? omnia alia. locus consiliis, locus honosque virtutibus, etiam

Lib. VIII.

artibus: denique ſiquid ægri in Republica, ſanatur, ſiquid ſani, fouetur: vt qui libram tenet, in hanc aut illam lancem pondus adijci iubet, & inclinat: ſic Deus. & fortunam temperat, ſed manibus aut conſiliis fere noſtris. Atque hæc ita palam, vt vel hebes mens videat, ſi non præuideat: & dominium arbitrumque terreſtrium rerum, ex euentis, illum è cœlo agnoſcat. O quam mira, quam inopinata ſæpe ab illa potentia? Nam & hoc gaudet atque amat, præter opinionem (non enim rationem) quædam facere, & vel ſic oſtẽdere vim illam omnia gubernantem & mouentem. Hæc vniuerſe: ſed in Exemplis etiam deſtinctius videamus, & monita pro ijs aptemus. Primum eſto,

MON. I. *Regna & Reges à Deo dari.*

I.

Quid clarius? quæ vis, gratia, aut commendatio AGATHOCLI regnum in Sicilia dederunt? Pater ei figulus, pueritiam in luti ſordibus, adoleſcentiam in impudicitiæ, iuuentam in libidinis egit. Ab omni parte infamis, odio ciuium & inopia, ad latrocinium compellitur. En gradus, quibus ad ſceptrum veniatur! ſed mox miles, & dux è milite: id quoque cum infamia, quod defuncti *Damaſconis*, cui ſucceſſerat, vxorem ſtupro antea cognitam, ſibi ceperat, & cum ea ingentes opes. His fretus, occupare imperium patriæ bis conatus, bis repellitur: denique in exſilium agitur. Quid fit? iungit ſe Siculis, Syracuſiorum hoſtibus, palam bello patriam petit, & obſidet: nihil efficit, cum Pœni in auxilium euocati ſtrenue propugnarent.

Vi desperata, ad fraudes se vertit, *Hamilcarem* Pœnorum ducem ad pacẽ inuitat (ea species & honestus titulus fuit:) reuera ad pactionẽ, vt cederet, & traderet sibi Syracusas. Ita factum, regnat, cædes populi & Principũ facit: & miro iterum fato, ipsis cõciliatoribus sceptri Pœnis bellum infert, & in Africam transfert. Præter spem varie victor, & præter spẽ quoque mox victus, deserto exercitu, liberis, amicis, pæne solus in Siciliam effugit. Seruat tamen regnũ etsi in varia sorte: immoritur ei, sed ita vt pelli vxorem liberosq; videret. & ab nepote id eripi, non diu fruituro. In his talibus vbi ratio alia, quam summa illa Ratio est, Fatum nobis dicta!

II. Hæc in vno illo rege. quid in quatuor (septem in vniuersum fuere) ROMANORVM? Primus *Romulus*, & tertius *Tullus Hostilius*, vterque ex pastore ad sceptrum peruenit: quintus *Tarquinius Priscus*, è peregrino & exsule: sexus *Seruius* quod ipsum nomen præfert, è vernula & seruo. Quid hæc aliud sunt, quam

Sidus, & occulti miranda potentia fati?

III. Nam de C. MARIO minus mirum in populari electione, si ad summa peruenit ipse popularis. Sed ex ima tamen plebe ac municipali, miles mox factus in caliga, tum Cẽturio, tum Tribunus: & in vrbe etiam petere honores ausus, sæpe repulsus, spretus, irrupit tandem in Curiam magis, quam peruenit. Ex illo tamen Mario tam humili, tam fastidito, ille Marius emersit qui Africam vicit, regem Iugurtham

formidatum Romanis in triumphum duxit: & parum est: ille Marius, qui

——— *Cimbros, et summa pericula rerum*
Excepit:

& trepidam non Italiam modo, sed vrbem defendit. Ille, qui post sextum Consulatum (rarum decus) carcerem & exsilium subiuit: plenus tamen certusque spei, quod olim iuueni in agro apricanti, Aquila septem pullos in sinum iecisset, toties iterandi scilicet summi imperij signum. Nec fefellit euentus. Redijt, hostes vicit, vrbem & Consulatum septimo iniuit, & in eo exspirauit. Quidlibet sperandi & timendi, cum Fata volunt, clarum exemplum.

IIII.

Nec minus in MASANISSA (*Marius* enim me in Africam reuocat.) qui mortuo parte Gala, patruo succedente, & mox illo quoque mortuo, per fraudem exutus regno & priuatus, arma sumpsit, ac denique victoriæ & illius compos fuit. Sed non diu ea gauisus, & hoc fruitus, à *Syphace* rege bellum excepit: qui iusto prælio eum fudit. In montem Balbum confugerat, sed illinc quoque *Bocchar* Præfectus regius eum pepulit, ad tantam paucitatem redactum, vt vix quattuor equitibus comitatus effugerit. Ventum erat ad flumen, nec vadari poterat: quid facis Masanissa, & tuum Fatum? metu vrgente in id se conijcit, & duobus comitum gurgite abreptis, ipse cum duobus alijs inter virgulta vlteriora delituit. Fama tamen sparsa submersi. populares (vt quisque in eum affectus) erexit, aut terruit: cum ille vulnus (nam &

id acceperat) in spelunca auia curans, latrocinio duorum equitum per dies aliquot vixit. Mox vbi equi patiens fuit, audacia ingenti pergit ire ad regnum recuperandum: quibus præsidijs? haud plus quadraginta equitibus, qui in via se addiderant: auctisque paullatim ad VI. millia peditum, IIII. equitum, copijs, paternum totum regnum recepit. Sed nondum finis fatalis dispositionis. iterum pellitur, victus à *Vermina Syphacis* filio, quem rex in eum miserat. Ibi omnibus opibus, sed non spe amissa, cum LXX. equitibus effugit ad Garamantum terram: hæsitque vagans aut latitans, donec C. Lælius à Scipione missus cum classe appulisset Iunxit se, & magnum nomen, etsi exiguas vires attulit: peritia tamen militiæ & locorum, aliquod ad victoriam momentum. Quæ mox secuta. victi Carthaginienses & Syphax. iste perijt, & regnum eius Scipio totum Masanissæ donat, finibus etiam auctis. Quid deinde? nec sic fideliter Fortuna ei ridet. in ipso aditu iactatur, sed Veneris insidijs, non vi Martis. Erat *Sophonisba*, Syphacis antea vxor, mulier insigni facie, facundia, & astu. Hæc regiam ingredienti occurrit, deiecta, mæsta, sed quod deceret: & statim Numidam in amorem sui rapit. Iubet igitur bono animo esse, dextram & mox corpus iungit: sed petenti antea iurat, *Nemini se traditurum eam Romano.* In his erat, cum Lælius superuenit, & Sophonisbam dedi postulat: fluctuante Masanissa, in vehementissimi amoris æstibus, illam desereret, an amicitiam Romanam. Sed ratio

& vtilitas affectum vicit: illa vita abit, iste ad Romanos redit, & adhæret. per eos regnum stabilit, auget, quod ad posteros etiam transmisit.

V. Inserit se his exemplis & fœmina. Erat *Leontij* cuiusdam Atheniensis philosophi filia, ATHENAIS nomine, multo ingenij corporisque lepore, aut Venere. Pater occulto aliquo de fortuna eius præsagio, omnes opes moriturus duobus filijs reliquerat: huic solos centum aureos, cum elogio, *Suffecturam ei fortunam suam.* Igitur cum fratribus litigat, vt iniuria affecta. sed infirmior sexus aliam etiam accipit, & pulsa ab ijs Constantinopolim venit, vt viam futuræ magnitudini aperiret. Insinuat se, & commendat caussam *Pulcheriæ* Imperatoris sorori: cui statim ita placuit, vt percontata, ecquid virgo esset? in aulam acceperit, sed baptismo, rudem ad id Christianæ religionis, prius ablutam. Nomen eius in EVDOCIAM mutat: ac sic denique amat, vt fratri *Theodosio*, apud quem omnia poterat, coniugem desponderet. Hem, ascensus! sed ecce & deiectio. nam diu felix eo coniugio, amata & amans, in suspicionem probri incidit, & contubernio excidit, hac caussa. Imperator insigne, & prægrande pomum dono acceperat: quod porro vxori suæ blandiens transmisit. Accepit illa, & idem mox *Paullino*, facundo & erudito viro, ideoque eruditæ fœminæ caro, nihil sequius cogitans dedit. Quod ille, ignarus vnde esset, iterum Imperatori, vt regium aliquod munus offert. Mirari ille, &

primum ambigere: mox agnoscere, & suspicari: atq. ita propere ad vxorem veniens, callide pomum ab ea repetit, antea donatum. Hæc totius facti ignara, temere & iuueniliter asserit, sese edisse: iterumque rogata dicit, atque adeo iurat. Imperator serio tum offensus, & mendacij arguens, pomum profert: nec satis. de amore occulto & improbo suspicatus, Paullinum occidit, illam abdicat, & relegat. O vterque amans, vestri misereor! etsi hæc quidem casum fortiter tulit: & iuit Hierosolyma, & pie casteque viuens ibi moritur, sed præmortuo marito.

Multa hæc in historia veteri: nostri æui vnum addam.

VI.

PHILIPPVS II. Hispaniarum rex, quid nisi fato in illud Lusitaniæ etiam venit? Quod ita fundatum firmumque in copia successorum videbatur, vt locus non esset aut rima vel improbæ externæ spei. Ecce * *Emanuel* XIIII. Lusitaniæ rex tres vxores duxerat, & ex omnibus liberos tulerat. primam, *Isabellam*, maximam natu filiarum *Ferdinandi & Isabellæ* Hispaniæ regum. Proles ex ea nata *Michael*: qui si vixisset, certus heres omnium istorum regnorum erat, quæ nunc magnus Hispaniarum rex tenet. Obijt puer, & ipsa mater eius à partione. Ergo alteram tunc filiam *Mariam*, quæ tertia erat eisdem Ferdinando & Isabellæ, nuptijs iungit: nam *Joanna* secunda, tradita *Philippo* Austriaco fuit, è quo coniugio Hispaniæ isti reges. Emanuel igitur ex ista numerosam sane prolem gignit, sex masculos, duas filias: denique

* Regnare cœpit an ∞. CCCC. XCV.

è tertijs etiam nuptijs, quas cum *Leonora* Philippi Austrij filia coiuit, duos liberos, filium filiamque. Obserua, te obsecro. an non hæc fundata domus, in tot fulcris, vt sic dicam, regni? Iam ad liberos istorum veni, quanta series? *vigintiduo* erant, qui Philippum regem anteibant, & successione legitime arcebant: & tamen quo Fata vocabant, venit & successit. Præmortui omnes illi sunt, quid? nisi vt vnum facerent Hispaniæ totius caput. Magnus fauor Numinis, nec semel in hac gente (Austriam dico) se ostendit: quæ per hereditates & aduenticia incrementa fere creuit.

II. *Regna à Deo & Reges tolli.*

Vis illustre exemplum? CYRVS erit. qui per annos triginta, in magna gloria rex Persarum, finitimis, deinde longinquis, subactis, longius manus etiam ad Scythas porrexit. Venit cum magno & victore exercitu, ô dedecus! à fæmina vincendus. *Thamyris* ea erat, quæ genti præerat, & filium ad fines regni repulsurum vim externam miserat: sed victus est, & insidijs à Cyro circumuentus. Ergo ipsa molem regni vltimam exciuit, & dat se animose obuiam, atque ijsdem fraudibus circumuentum & clausum, ipsum copiasque cecidit. Ducenta Persarum millia erant: ingens clades: adde ludibrium. caput mortuo resecat, & in vtrem sanguine plenum merso exprobrat: *Satia te sanguine, quo expleri nequisti.* Regnum longa mole fundatum, vbi es? rex tot annos felix & victor, vbi es? quo Fata & ordo rerũ miserunt, à summis ad ima decidisti.

I.

II. Iam POLICRATES, rex Samiorum, non fortunati, sed fortunæ nomen videbatur. Nihil ei in vita aduersum: ante vota, supra vota, omnia aderant: id est, priusquam vellet, & plusquam vellet. Cœlum, terra, mare fauebant, aut seruiebant: & res in exemplo raro dixit: Anulum in mare abiecit, quasi Nemesi placandæ: quid fit? in pisce mox inuentum recepit. At vltima diffident. & *Oroetes* Darij regis satrapa victum, captum, morte, nec ea communi (non dicam regia) affecit: sed in cruce alta suspensum, mirabile & miserabile orbi spectaculum, subiecit. O vere Deum, qui inopinate mutat!

III. Et in VALERIANO etiam Imperatore Romanorum, id est orbis pæne terræ, quam simile ludibrium! Ille post quindecim regni annos in ignobilem seruitutem, & audietium aures grauaturam, vi Fati incidit. Bellum, magnis viribus, *Sapori* Persarum regi fecit: sed eo fine, vt victus & viuus in manus hostium veniret Imperator. Barbaro fastu victoria vsi sunt. siquidem Sapor, vt catenatum mancipium circumduxit: & quoties equum conscenderet, non manu eius, sed inclinati dorso, adiutus innixusque est. Quis hominum sic subito deijcere & calcare Principem rerum potuit, præter diuinum supremumque decretum?

IIII. Assidet, quod BAIASITES PRIMVS, quem *Gilderun Chan* à fulmine Turcæ dicunt, magnus animo, & rebus Imperator fuit. Atque is varie, & per decem amplius annos victor, magno illo prælio cum *Temire Chano*, quem *Temir-lan-*

cum

tum à claudicatione item vocant, conflixit. Vtrimque ingentes copiæ. robora virorum & militiæ vsus à Turcis: Fatum aliunde stetit. Nam & auxiliares copiæ Tatarorum in ipsa pugna deseruerunt Baiasitem, transitione ad hostem facta: idem milites, è regione Germiani & Mentesij. Solus se non deseruit, cum immoto Prætoriano agmine, Baiasites: & murus illic belli. Sed vis ac multitudo perrupit, ipse captus, & filius eius *Mustaphas* cæsus, & quidem felicius. Nam pater ad victorem Temirem perductus, honeste primum exceptus est: cum & obuiam pedes extra tentorium iuisset illi, in equo aduentanti. Cum descendisset; vterque pro more gentis, humi in tapete consedit. atque ibi Temir (operæ pretium visum, fide Annalium Turcicorum verba dare) *O * Chan*, inquit, *magnas vterque Deo gratias debemus: ego, quod claudus ille ab ipsis Indiæ finibus ad mœnia Sinastæ imperium extenderim; tu, quod à Sinasta, ad ipsos Pannoniæ fines. Orbem terræ inter nos partiti pæne sumus. Debemus igitur gratias, atque ego reddidi, & reddam: tu vero parum fortasse memori grataque mente fuisti, & ideo hæc calamitas interuenit. Sed age mi Chan, si ego in tua sic sim potestate, quid ageres? dic libere & veraciter.* Ibi aiunt Baiasitem, qui feroci & elato animo erat, subiecisse: *Equidem te, si numen victoriam adnuisset, in ferream caueam inclusum circumduxissem, spectaculo & ostentui cunctis.* Temir eo audito, sententia hac in ipsum est vsus & sic inclusit. Miser triennium fere ita vixit: & cum desperata liberatione audisset in Tataros se ab-

* Dominum notat.

ducendum, caput validis iteratisque ictibus caueæ ferreæ incussit, & indignantem animam sic emisit. multi & pulchri ludi in hoc mundi theatro: sed tragœdiam belliorem raro, aut nec legimus.

V. Nisi lubet & ad Sacros apices venire, & videre quomodo nec iis vis ista parcat. CAROLVS CARAFFA à Paulo IIII. Pontifice designatus Cardinalis fuit: eius frater IOANNES Montorij Comes, & Dux Paliani factus. Omnia isti apud Pontificem, quæ vellent, poterãt: & plus quam æquum decorumque erat, volebant. Mansit aura secunda, quamdiu sidus illud luxit: post eius occasum, *Pius Quartus* in Pontificatum assumptus, idque opera & gratia (notabile est) *Caraffarum* maxime. Sed iste inter primas fere publicas actiones habuit, Caraffas euertere: fecitque initium VII. Idus Iunij, ipso die, quo *Carolus* pillei honore donatus fuerat, in carcerem eo coniecto. Additus Dux Paliani, frater; Comes Allifanus, aliique propinqui eorum aut clientes. Nouem menses in arce Sancti Angeli habiti, non nisi crimina & mortes audierunt: & hanc denique sententia Pontificia subierunt. Cardinalis nocte, carnificis manu strangulatus; Dux capite truncatus, vna cum Allifano Comite: & cadauera in publicum spectaculum exposita. Quis sensus, & occulta vox, tibi Roma tunc fuit? cum multi Pontificis seueritatem, & ingratitudinem, accusarent, sapientiores, incerta rerum humanarum, sub illustribus exemplis, agnoscerent? & vilium reorum pœna atque

ɷ. IↃ. LX.

ignominia perijsse, qui dignitate & opibus culmina paullo anté fuerant rei Romanæ.

M o n. III. *Et caussas quasdam medias, sed inopinatas, his interuenire.*

Adstruit & asserit se vbique Prouidentia: sed apertius, cum caussæ quædam mediæ subitæ, aut insolitæ interueniunt, & licet dicere, Quis exspectasset? In Di o n is rebus hoc elucet, cum Syracusas liberatum iret à tyrannide Dionysij, graui & famosa. Erat tum forte in Italia Dionysius, & res alias agebat: id quod Dioni (fato sic disponente) commode & feliciter euenit. Nam cum ipse in Siciliam, exiguis copiis, animo quam prudentia maiore, appulisset: *Timocrates*, primus amicorum Dionysij, & qui vicem eius regebat, statim hominem certum cum litteris ad Dionysium ablegat, qui Dionis aduentum, & res in Sicilia motas nunciaret. Summa erat, omnia relinqueret, rediret, nisi à suis vellet relinqui. Homo feliciter fretum traiicit, *Cauloniam* terra tendit, vbi Dionysius tunc secure agebat. In via forte notus occurit, qui recens victimam immolauerat, & partem eius amice communicat & donat. Accipit, in vidulum lateralem imponit, vbi & Timocratis epistola erat. Pergit interea strenue, & noctem itineri cum adsumpsisset, iam fessus, neglectim abiicit se in humum, & componit leuiter dormiturus. Haud procul à silua erat è qua ecce lupus egreditur, & odore carnis stimulatus accedit, & vidulum à latere abripit cum ipsa carne. Paullopost homo ex-

pergiſcitur, vidulum deſiderat, & circa quærit: fruſtra. itaque metuens offenſæ aut pœnę non ſuſtinet ad Dionyſium ire, & alio diuertit. Hoc caſu, tardius quam opus erat, & aliis litteris, Dionyſius cognoſcit quid ageretur, Subuenire vult, non poteſt: à ſceptro ad ferulam redigitur. à quo? Deo, Deo, qui inopinatum illud interiecit.

II. Quid in M. BRVTO, & campis Philippicis? manu Prouidentiam tango, Legiones vtrimquę, & inſtructæ copiæ: egregij duces; concurritur: vincit cornu dextero Brutus, & oppoſitum *Octauianum* pellit, atque adeo caſtra eius capit: & quam pæne ipſum? Plena & certa victoria videbatur: ſed quam Caſſius mala ſorte peruertit. Nam ipſe ab *Antonio* pulſus in ſuo cornu, ſed fuga & damno leuiore: & facilis inſtauratio, ſi de Bruto ſciuiſſet, aut ſperaſſet. At campus, qui puluere ſtabat, impedijt proſpectum & triſte, ſed falſum, ei augurium in animo, victum etiam Brutum eſſe. Tamen adhuc dubius, ſubſtitit in colle quodam, & L. Titinnium, ex fidis amicis, mittit ad explorandum. Ille in Bruti milites ſtatim incidit, victores &, vt fit, palantes. De Caſſio, *Quam ſalue?* quærunt, audiunt, & læti Titinnium circumfundunt, & vna ad Caſſium, animaturi eum tendunt. Qui cum videt, & recta ad ſe venire, hoſtes arbitratus, & amicum ſuum captum: *Quid vltra moramur?* inquit: *Spes, vita, dedecus abeant*: & ſimul ceruices ſuas liberto præbuit incidēdas. Vix factum, Titinnius ſuperuenit: & caſum miſe-

ratus, sibi iratus, (quasi mora in caussa fuisset) idem genus fati sponte sumpsit. Hæc res & Brutum perdidit: qui in Cassij anima suum animum amisit.

III. Multa possim: vnum ex historia vetere, & de inclyto illo ANNIBALE inter omnis æui duces. Iure hoc elogium vindicat: nec fuit aut erit, qui militari astu aut peritia virum æquabit, non dicam superabit. Is in Italia dominabatur, post Cannas victor: & quid nisi Roma restabat? Frænum fati cohibuit, ne statim iret: idem consilia eius alia consulta licet & firma, euertit. Fœdus cum *Philippo* tunc Macedonum rege percusserat, & vt is in societatem belli, aut potius victoriæ veniret: legibus ijs, vt Italia quidē Annibalis & Carthaginiensiū esset: Græcia, Philippi Punicis mox armis subiuganda. In hanc rem firmandam, Xenophanes legatus à Philippo mittitur. nauigat, legit oram Italiæ, iuxta Tarentum in classem Romanam incidit, capitur: & *Quis, quo, quare* rogatur. Ille Græculus, callido mendacio se expedit: & ait à Philippo rege ad Senatum Romanum mitti, vt fœdus in Annibalem & Pœnos iungat. Romani, & eorum Dux Valerius Læuinus, lętari, ouare: & cælitus tam opportunum auxilium, à potenti rege, in rebus arctis, missum opinari. Itaque honore honestant. prosequuntur, & in tutum Italiæ litus exponunt; Expositus ille recta ad Annibalem tendit, & mandata dat, accipit: denique de tota re peragit & definit. Nihil supererat, nisi

vt ipse ad Philippum, Philippus in Italiam veniret; & funus res Romanæ essent. Deo aliter visum, vigilat: & in reditu eadem nauis in Romanam classem incidit, sed cui Q. Fuluius præesset. Ille prioris doli & hominum ignarus, quęrit solita: & Xenophanes semel mentiendi felix, eodem applicat, *A Senatu venire, ad regem suum ire.* Hæc vultu ac voce constans: iamque persuaserat. cum ecce vident inter comites, quosdam Punico habitu. & *Qui isti*? clamat Fuluius: *à Græcia non sunt.* Turbantur, fatentur, in vincucula dantur, Romam mittuntur: omnia consilia & pacta detecta, Roma seruata. Seruare enim eam fuit, vel in tempus cœpta impedire, & donec misera respirasset. I nunc, & quis Epicurus hic Prouidentiam neget?

IIII. Iterum idem in EODEM. Rebus iam, sua culpa & mora, dubijs, & Romanis animo ac viribus auctis: vt suas pariter firmaret fratrem suum *Asdrubalem* ex Hispania euocauerat, cum nouis copijs, & valido exercitu. Iam Alpes transierat, iam aduentabat: quis non actum de re Romana censuisset, quæ ægre vel vni Annibali resistebat? Iunge istum, veteranum ducem, tot subsidia: ad exsequias tuas Roma imus. Vide rem leuem, sed a Deo, quæ turbat. Nesciebat etiam Annibal fratrem in Italiã venisse, & in extrema Apulia considebat: cui obuiam ire, ratio alioqui & consilium erat. Miserat autem Asdrubal, præmiis inductos, quattuor Gallos equites, duos Numidas, qui omnia Annibali significarent: sed ij cum totam fere Italiam tutò

emensi ad Tarentum venissent, ibi à vagis Romanis pabulatoribus excipiuntur, Annibali iam vicini. Deducuntur ad Consulem *Claudium Neronem*, castra opposita Annibali illic habentem: fatentur, litteras tradunt, per interpretem explicantur. Ibi cognitum, Asdrubalem in Vmbriam venire in animo habere, ac fratri ibi occurso iungi. Consul statim, magno animo facinus ausus vt in magno periculo) validissimam partem copiarum clam è castris subducit: lectos omnes, sex millia peditum, mille equites: & dies noctesque non intermisso itinere, occultus ad *Liuium Salinatorẽ* (is alter Cõsul oppositus Asdrubali erat) venit ita statim duplicatis viribus cum Asdrubale pugnatum: cuius victi & cæsi caput Nero secum eadem celeritate in castra refert: ac postero die ante stationes hostium proiecit. duobus etiam captiuis dimissis, qui rem omnem ordine nunciarent. Tum denique perculsus, imo desperatus Annibal, vocem hanc è pectore emisit: *Agnosco fortunam Carthaginis*. Bene, bene. Tu nitere, & omnia fac: vincens non vinces prudentia infra fortunam erit, & Nemesis Carthaginem tuam premet.

MON. IIII. *Regna à Deo & Reges temperari.*

I. Breue Monitum, magni sed sensus & vsus: videre quomodo Deus disponat & cohibeat, hos ne crescant, hos ne cadant: & velut in æquilibrio res suspendat. Hoc Nicephori Gregoræ verbis dicendum est: *Mirari mihi subit*, inquit, *imperuestigabilem Dei sapientiam, qui plane* LIB. V.

contraria vno fine conclusit. Nam cum duas aduersarias potestates inter se committere statuit, nec alteram alteri subijcere: aut ingenio & virtute præstantes vtrique parti moderatores præficit, vt alter alterius consilia & conatus euertat, & vtrimque subditorum libertati consulatur; aut vtrosque hebetes & imbelles deligit, vt neuter alterum tentare, & septa (quod aiunt) transilire audeat, vetere sque regnorum limites conuellere. Dici prudentius nihil potuit: & Prouidentiæ hanc dispositionem quot exempla adfirmant? non insisto, & vetera omitto: sed nuper *Carolus* v. nobis, *Franciscus* I. Gallis, *Soleimannus* Turcis imperitabant: quiuis eorum dignus orbis terræ imperio. & habuissent, aut promouissent; nisi concursus ille fuisset, & alius alium interpellasset. In parte altera exempla, quæ verecundia prohibitus non dicam.

MON. V. *Clarissime Fata in Prædictionibus elucere.*

I. At nulla res Fatum clarius certiusque, quam Vaticinia, aut Prodigia afferant: quæ diu ante, caussis notisque nullis apparentibus, cum euenta designent: quid nisi & hæc definita, & à Deo esse clamant? Daniel ille VATES, & SIBYLLÆ, multis ante sæculis multa & magna prædixerunt, vnde, & quomodo, nisi quia in Prouidentiæ libro hæc descripta? & Deus reuelauerat. Nam ita amat Numinis illa benignitas, per *Somnia*, per *Signa*, per *Spectra*, & *Vaticinia* res futuris ostendere: diuinitati suæ adstruendæ, nobis instruendis aut præparandis. Latus lætusque campus est, placet ingredi, & leuiter lustrare?

fiat. Ac primo de SOMNIIS, nobile est quod ASTYAGI vltimo Medorum regi factum. Vidit per quietem, ex natura filiæ, quam vnicam habebat, vitem enasci, & sic mox diffundi, vt totam Asiam palmite suo obumbraret. Consulti vates aiunt, *Nasciturum ex filia, qui Asiæ regnum occupet, suo eum nudet.* Territus hac denunciatione, & vt fatum auerteret (miser, quid operam ludis?) iam primum filiam suam extero, & obscuro tunc viro, *Cambysi* despondet. deinde eamdem partui vicinam ad se traducit, & vt quod natum esset se teste necaretur. Ergo infans *Harpago* traditur occidendus, notæ fidei, & cui arcana illius regis iamdiu innixa. At ille veritus, ne si mortuo Astyage imperium ad filiam veniret (nec enim virilis ei sexus liberi) pœnam obsequij lueret: non necat, sed pastori regij pecoris tradit exponendum. Forte & vxor eius pepererat. quæ re audita, summo rogat opere maritum, puerum ad se deferri, & oculis saltem libari. Maritus indulget, it in siluam vbi reliquerat: repperit canem fæminam, quæ mammas præbebat, & vna alites ferasque abigebat. Tactus miraculo, & vel à cane doctus miserari, tollit puerum, vxori defert: quæ videt, amat, alit. & crescit in virum, in regem: qui Astyagem vicit, sceptrum ad Persas transtulit.

II. Sed & ANTIGONI somnium mirabile, super *Mitridate*. Iste e Persarum magis oriundus, erat in comitatu Antigoni Macedonum regis, Perside scilicet deuicta, & fortuna sua cum publica inclinata. Visus videre noctu Antigo-

nus, sementem auream in magno campo se facere, eam surgere, adolescere & maturescere: sed mox omnia demessa item videre, & culmos spicasque iacere inanes. Vocem adhæc audire, *Mithridatem in Pontum Euxinum fugere, auream messem secum asportantem.* Non obscurum somnium, aut significatio. itaque rex, vbi euigilasset, exterritus tollere statim Mithridatem statuit, & cum filio *Demetrio* communicat fidem silentij iureiurando stipulatus. Erat familiaris, in pari ætate, Mithridati Demetrius: & forte iste se obtulit, à recenti indicio. Miseratur adolescens, & adiutum velit, sed religione iuramenti cohibetur. Quid facit? apprehensum seducit ab aliis, & nihil effatus hasta in terræ puluere scribit: FVGE MITHRIDATES. Quod ille arripit, & verbis istis, & vultu ipso Demetrij monitus, in Cappadociã clam aufugit, & regnũ mox potens & inclytum Ponti condidit: quod stetit in octauam ab eo stirpem, alterum illum *Mithridatem* Romana potentia vix euersum.

III. Assidet istis, & primo vtique, somnium quod ERTVCVLES pater *Osmanis*, à quo potentes isti Asiatici *Osmanidæ*, vidit sed vidit de die, cũ post cibum sumptũ meridiaretur. Experrectus igitur, & imagine ea confusus, primo corpus aquis abluit, & se purgat, vti religio gentis eius habet. tum ad *Edebalem*, virum inter ipsos sapientem & sanctum, venit atque infit: *Somniaui vir venerabilis* (Annalium Turcicorum verba pono) *splendorem Lunæ è sinu tuo prodire, eumque in meum deinde sinum peruenire. Et cum delatus esset, ex meo vm-*

bilico enasci arborem, quæ regiones varias, montes & valles inumbraret. Ad ipsas autem radices arboris, aquas emanasse, quibus vineæ & horti rigarentur: atque ibi somnium me somnusque deseruit. Edebales audito, aliquamdiu secum reputans, effatur: *Nascetur tibi filius, vir bone, cui nomen erit Osman. Is multa bella geret, victoriam & famam pariet, ac posteri tui Principes Regesque terrarum erunt. Mea autem filia. Osmani nubet: atque is splendor est, qui è sinu meo prodiuit, & in tuo coiuit: ex vtroque arbor.* Quam mira: & vera prædictio! sed & de *Luna* notabile, quam scimus inter signa prima esse Turcicæ gentis.

IIII.

Iam ad SIGNA transeo: quæ *Magna* aut *Parua*, sed certa pariter se ostenderunt. TIMOLEONTI Corinthio, cum in Siciliam, ad pellendum tyrannum, exigua manu iret: fax ei in mari, totam noctem, nauiganti præluxit. Amplius, Delphos paulloante profectus, vt Apollini sacra & vota faceret; è donis suspensis vittam, in caput suum deciduam, ita excepit, vt coronæ aut diadematis ritu cingeretur. atq; erat ea vitta victoriolis & corollis intexta: prorsus vt à Deo coronari, & victor pronunciari videretur. Quid, quod eidem ante pugnam cum *Icete* contigit? Contentio honesta inter Centuriones & manipulos de ordine erat, & præire omnes volebant: cum ille, liti dirimendæ, sortem definire iubet, & annulos Centurionum in eam poscit. Coniiciuntur in sinum vestis, commiscentur: qui primus educitur, is trophæũ pro insigni habebat insculptũ. Aucti omnes ab omine

animis, in hostem alacriter eunt, cædunt, vincunt.

V. MARCIANO Thraci, plebeio genere, & mox Imperatori, plura hæc potentiæ Signa euenerunt. Ad militiam primũ eunti, & vt nomen daret, cadauer hominis occisi in via offertur: ad quod substitit, & miseratione tactus in eo est vt sepeliat, & terra tegat. Dum facit, deprehenditur, accusatur vt homicida, & Philippopolim abducitur. Iam pœna imminebat insonti: cum verus homicida casu superuenit, & agnoscitur: ipse liber ad vicinos numeros tẽdit. à quibus inscribitur, & (pulchrum omen!) in locum defuncti militis, *Augusti*. Et iam cum legionibus in expeditionem ibat: cum morbus eum inuasit, & in Lycia substitit, hospitio apud duos fratres exceptus, *Julium* & *Tatianum*. Cum meliuscule ei esset recreandi causa, tres simul venatum eunt: & fatigati decumbunt, & obdormiunt. Aestus solis erat, & ipse meridies: ibi aquila, pansis alis, leuiterque corpus librans, super Marcianum se suspendit, & vmbram fecit. Tatianus experrectus id videt, ac fratrem excitat, & ostendit. Vterque mirabundus haud vane augurantur, auem regiam regnum ei portendere: & Marciano futuram sortem gratulati, ducentos etiam aureos in viaticum donant. vnum hoc apprecati, vt memor gratusque esset, cum ad Imperium venisset. Idem hoc prodigium iterum ei sic factum. In Africam, sub *Aspare* copiarum duce, profectus est: atque ibi pugna cum *Ganzerico* rege parum prospera ca-

pitur asseruaturque. Cum pluribus sub diuo recumbit, calido item sole: ecce aquilam quæ aduolat, Marciano supersistit, & incoram omnibus vmbraculum ei sedulo præbet. Vidit ipse Ganzericus, & miratur, & vocat: ac liberum hac lege amittit, vt Imperator pacem cum Vandalis colat. Nec diu post, mortuo *Theodosio, Pulcheria* eius soror Principem hunc, & sibi maritum, destinat. sed maritum sermonis caussa: stipulaturque vt nomine contentus, cetero fructu corporis sui abstineat: quod castum pia virgo Deo consecrasset. Numquid veracia, & palam à Deo hæc Signa?

VI. DCC. XII.

Atque eadem, sed tristioris fortunæ nuncia, in Hispania apparuerunt, RODERICO vltimo Gothorum rege. Palatium Toleti erat, sed clausum & validis vectibus ferroque munitum. Fama tenebat, reseratum id excidio Hispaniæ futurum: quod Rodericus ridere, & thesauros occuli ratus, seras perfringendas curauit. Thesauri nulli, ceterum arca reperta, & in ea linteum: in quo insolentes hominum facies vestesque depictæ, atque ipsi militari habitu atque impetu grassantes. Verba Latina inscripta, *A tali ea gente exitium Hispaniam manere.* Quid plura? fides factis facta: *Julianus* Comes, cuius filiam rex stuprauerat, ex Africa hostes inducit, regem occidit, patriam perdit.

VII.

Sunt & *Parua* magnarum sæpe rerum signa. Nostro æuo, cum in locum *Paulli* IIII. Pontifex creandus esset, & in conclaue purpurati patres venissent: en super IOANNIS ANGELI

Cardinalis Mædicæi, qui post PIVS IIII. nomen habuit, columba aliquamdiu circumuolitans, cellam consedit: nec aliter omnes interpretati sunt, quam velut à Numine missam, Pontificem hunc ostendere designandum.

VIII. In translatione Lusitanici sceptri ad PHILIPPVM Hispaniarum regem, notatum à curiosis est, *Sebastianum* regem Lusitaniæ, cum in Africam magna mole moueret, & pecuniæ inopia esset, edicto permisisse & aditum dedisse in Lusitaniam *Regalibus Castellanis*: quod genus monetæ antea ibi spretum. Item, in ipso apparatu & cultu nobilium, sub discessum omnes subito variasse, & ad Hispanicum transisse. Clariora sunt quam vt interpretatione illustrentur.

IX. At vero *Spectra* etiam sæpe & Genij, varia specie, prædicunt. Vt ille, qui DIONI SYRACVSIO apparuit, postquam patriam magna sua gloria à tyrannide liberasset. Domi sedebat, & clara luce habitu Furiæ mulier se obtulit, grandi statura, horrenda fæditate. Ea domum scopis cœpit verrere, nihil aliter prolocuta: & territo Dione, cum familiares aduocasset, spectrum abscessit Sed non noxa, quam signabat. nam filius eius grandior, incertum an per insaniam subitam, an iram, è summa domo præcipitem se iecit, & fæde occidit. Sed & ipsum Dionem mox insidiatores domi interfecerunt, vxore & sorore eius in carcerem abductis. Quid? non egregie domus hæc versa, si non euersa fuit, monstro significatum?

M. BRVTO Dionis æmulo, simile etiam spe-

ctrum oblatum Parabat traiicere ex Asia exercitum in Europam, & funestos illos Philippos, vbi mox certatum. Nox alta erat, Luna lucens & Brutus aliquid serium animo voluebat, aut, vt alij lucubrabatur: cum ecce sonus strepitusque ad cubiculi ianuam, & ingreditur vasta forma Æthiops, sæuo & terrente aspectu. atque is silentio ante Brutum constitit. Qui animo & ore constans, interrogat: *Quis hominum deorumque es? quæ res huc egit?* Responsum rettulit: *Malus tuus Genius sum, in campis Philippicis me videbis.* Iterum animose Brutus *Videbo*. Disparuit. sed vt dixerat, in ipsis illis campis comparuit, nocte quæ pugnam vltimam antecessit: cum à bono Genio Brutus desertus, malo succubuit, atque adeo ipse occubuit & Romana cum eo Libertas.

XI. ∞ IↃ. XXVI.

Compar istis, quod patrum æuo LVDOVICO Hungariæ regi accidit: cui bellum *Soleimannus* Turcarum Princeps parabat, atque ipse pariter se accingebat. Prandebat in arce Budæ, foribus tunc regiæ de more clausis. Astat ad portam quispiam humana specie, sed claudus, distortus, & habitu cetero cultuque fædo: qui acri & stridula voce clamat, poscitque colloquium regis. Negligitur, & putabant mendicabulum hominis esse: cum magis magisque inclamat, & opus conuento rege, nec alio esse. Re ad regem delata, mittit é splendidioribus aulicis, iussum nomen & personam suam præferre, & hoc quid quid esset elicere. Venit, & appellat claudũ de arcano. qui inspecto, abnuit hunc regem esse:

& *Quoniam* inquit, *audire aspernatur, abi, nuncia breui, & certo periturum.* Et cum dicto ex oculis adstantium euanuit. Nimis vera comminatio fuit. rex ad *Mohatzium* vrbem, grandi prælio victus, & fugiens in paludes incidit & dum enititur, equo super eum corruente obteritur, aut suffocatur. Annum agebat vigesimum primum.

XII. Ad *Vaticinia* aut prædictiones venio: è quibus *Thrasylli* TIBERIO facta, quam testata est? Erat in comitatu Tiberij, Mathematici titulo cum Rhodi in exsilio esset. In exsilio: & quam procul à Principe? & *Caius* ac *Lucius Cæsares* etiam viuebant. Non desinebat tamen iste identidem Tiberio fidem facere certi Principatus. Sed parum credulo, & iam de dolo etiam suspectanti: & ne subornatus ab æmulis ad eliciendas arcanas aliquas voces esset. Atque adeo perdere eum statuit, & clam necare. Domum Rhodi habebat, & in ea turrim, quæ rupibus imposita, mare ex alto despectabat. In hanc turrim ducit Trasyllum, cum vno fido & valente liberto comite: certus, vt dixi, tollere nisi fidem ei faceret fide prædictionis. Cum ascendissent igitur, cœpit interrogare: *Soli sumus, dic per quid quid carum habes, vera hactenus mihi dicis? de imperio etiam adfirmas?* Ille iterare, & sidera sic velle. *Si de meo igitur statu compertum*, inquit, *ex sideribus habes: de tuo ecquid ais? inspice.* Ille thema ponere, situs ac spatia siderum considerare: denique timere, pallescere, & exclamare, *Anceps sibi ac prope vltimũ discrimen instare.* Eo dicto complexus hominem Tiberius, vere conscium futurorum asserit:

asserit: & quod de ipso meditabatur, si non satisfecisset, pandit. Qua arte hoc Thrasyllus potuerit, vere siderali, an potius Geniali, alibi videndum sit. nunc aliud eius mirandum addo. Ambulabat in littore, cum eodem Tiberio, nauis longe conspicitur: ille statim affirmat Roma venire, & litteras nunciosque ab Augusto de reditu eius afferre. An & hoc tale ex sideribus? nugæ: ex instinctu.

Neque minus nobiles istæ (plures enim sunt) in DOMITIANI Principis rebus. Fuit *Largius Proculus* quidam, vir inter illustres: qui publice in Germania prædixit, ipso tali die Domitianum obiturum. Cumque res ea ad Præsidem dimanasset, gratificaturus Domitiano, & simul quia hæc præsagia vetita, vinctum eum Romam misit. Nec negauit, cum introductus ad Domitianum esset, imo magis magisque asseuerauit. Iussus igitur in carcerem recludi, & asseruari donec dies is transisset, tum puniendus: imo, vt res docuit, tum liberandus, & præsagij suspiciendus. Aliud. Fuit eodem tempore *Asceletario* Mathematicus, qui & diem & genus mortis Domitiani apud quosdã dixit. Vocatus ab ipso, eadem iterauit: quærentique Domitiano, vt eluderet *Tu igitur, qua morte periturus?* ille statim, *Fore, vt à canibus laniaretur.* Tum Imperator, ad fidem coarguendam, extemplo abduci, & viuum exuri iussit: siue, vt Suetonius, prius interfectum. Sed vtrum horum, tamen extra vrbem, via Latina, homo vritur, scilicet vt nihil reliquum è cadauere,

iii.

esset, quod canes laniarent. Sed ecce nimbus subito ortus rogum exstinguit, & ministri semiustum relinquentes diffugiunt. Canes superueniunt, & vorant. Vespere cœnanti Domitiano, inter alias fabellas eius dici, id refertur: & valde eum, sed frustra commouit. Munit se, domi hæret, neminem admittit: sed sui eum reperiūt, & Stephanus, cubiculariorum primus, cædem patrat. Qua ipsa in re, *Apollonij Thianei* nobile vaticinium non est omittendum. Erat tunc Ephesi in Asia, tanto terrarum & marium abiunctus. Is dissertationē forte in publico habebat, ac primo hæsitare & loqui remissus, mox pallescere, & silere: denique passus aliquot exsiliens, vt mente mota, *Euge Stephane*, inquit, *recte, Percute tyrannum, percute homicidam. Bene est, percußisti, vulnerasti, occidisti.* Hæc in publico dicta & gesta, ipsa hora, qua Stephanus percussit: ô mira, sed vera! Attexetur autem non indecore.

QVÆSTIO.

Liceatne igitur & deceat, in euentus inquirere, & vates aut diuinos consulere?

Non arbitramur: etsi supra tetigi, prudentia aliqua scrutari posse & odorari, quo tendant fata. Sed distinguenda tota res est: & sic habe. Indicijs aut notis, quas vir prudens ex lectione, ex vsu, & obseruatione similium collegerit, aliquid suspicari aut præsumere de fatis, id licet: sed caute, & timide. At ex artibus magorum, ariolorum, diuinorum, mathematico-

rum, & quod aliud tale genus, id vero nefas est, nec diuina aut humana lex permittit. Deus palam edicit: *Non inueniatur in te, qui ariolos sciscitetur, & obseruet somnia atque auguria: nec sit maleficus, nec incantator, nec qui Pythones consulat, nec diuinos, & quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus.* [Deuteron. cap. XVIII.] Et nostra diuina lex tantum? etiam falsa illa Mahumetis. Ioannes Leo scribit: *Magiam & caballisticas artes lege Mahumetica veritas, & velut hæreticas haberi. Huius enim,* inquit, *Alcoranus* OMNE DIVINATIONVM *genus vanum esse asserit, Deumque solum arcana nosse.* [Lib. III. de Africa.] Bene hoc & prudenter Mahumetes: atque omnis bona Respublica damnat. Illa Romana, quot decretis & legibus? notæ sunt: nec caussæ etiam ignotæ, aut diu quærendæ. Eruo istas. primam, quod turbant prædictionibus animos, & ad nouas aut magnas spes impellunt. Mecænas apud Dionem, in Oratione ad Augustum de Republica constituenda, digna quam Principes legant: Τοὺς δὲ μαγευτὰς, inquit, πάνυ οὐκ εἶναι προσήκει· πολλοὺς γὰρ πολλάκις οἱ τοιοῦτοι, τὰ μέν τινα ἀληθῆ, τὰ δὲ πλείω ψευδῆ λέγοντες, νεοχμοῦν ἐπαίρουσι: *Diuinos & vates in republica esse, prorsus non oportet. Multos enim hi tales, dum vera quædam, plura falsa proferunt, ad res nouas impellunt.* [Lib. LII.] Rem dicit. & quid tam proprium istis, quam magna & blanda prædicere, & animos ad fortunæ fastigia attollere? facili nostra credulitate, *tanquam peritia. & monitu fatorum* (ait Tacitus) *prædicantur, & cupidine* [1. Histor.]

humani ingenij, libentius obscura credi. O veriloquia! inclinamus: & vidi & visi Principes viros, auribus atque animis in hæc pronos, imo alia omnia artium præ his spernentes. At, vt Dio aiebat, turbas & res nouas dant. Quis nescit, qui historiam veterem legit? & *ad scelus* (ait iterum Tacitus) *ab huiusmodi votis facillime transitur.* Hinc conspirationes in Principem, aggressiones, deiectiones: & quæ copia exemplorum deterreor affirmare. Poeta sufficiat, aut veriori nomine hic vates:

Ibid.

——— Nos prauum ac debile vulgus
Scrutamur penitus superos. hinc pallor, & ira,
Hinc scelus, insidiæque, & nulla modestia voti.

Statius.

Apollo veriora dicta numquam dedit. Sed causa altera, Fallacia. Nihil in prædictionibus istis firmum, nihil ex arte certa (quidquid assimulent) haustum: & qui veriora dixisse videntur, à Genijs habent. Sed ipsi quam ament & gaudeãt nos fallere, id quoque scimus. Quid, quod vel inuiti etiam fallunt? neque enim sunt omniscij, & quamquam subtiles, & arcanorum Dei per notas scrutatores: tamen aberrant, & abyssum illam Fati non peruadunt. Itaque bene iterum Tacitus: *Mathematici, genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax.* Certe vtrumque. nam & potentes destituunt aut decipiunt, alio transgressi: & vanitatibus fallunt. *Patere* (ait iocose Seneca) *aliquando Mathematicos vera dicere.* Patior. & tot sagittas cum emittant, vnam tangere, aberrantibus centenis. Enimuero ridiculi Principes, qui huc se donant. Vide Agrippinam, Ne-

1. Histor.

zonis matrem: quæ mortuo Claudio, domi eum aliquamdiu tenuit, & famam de morte suppressit, vt progressui scilicet & auspicijs *tempus prosperum, ex monitis Chaldæorum, attentaret.* O dij deæque, tetigit! quam salutaris ille rector, quam diuturnus, quam illi & sibi lætus etiam fuit! Bellum aliud in Niceta Choniate, prudenti illo (fatendum est) historiæ scriptore. Tangit vitium sui (vtinam non & nostri!) æui, atque ait: *Nostris temporibus* IMPERATORES NIL SINE PRÆSCRIPTO ASTROLOGORVM *agunt: et rebus gerendis dies atque horas eligunt, vt sidera dictarunt. Itaque Alexius Imperator, diu cunctatus, quando opportune Blachernas rediret: tandem dies & hora ex astris eliguntur. Redit. et quidem ita feliciter, vt cum primum se moueret, terra ante ipsum profunde dehisceret: atq. ipse euaderet, sed Alexius gener eius, & multi illustrium in specum delaberentur, læderenturque: Eunuchus vero vnus è gratiosis planissime periret.* En & hic veracem ac felicem artem! quam Deus de industria ridendam sic propinat, vt nos auertat. Recitat magis ridendum, de *Manuele*. cuius imperio, cum Siculi & Latini mare occupassent, vicinum Byzantio, & damnum ac dedecus in oculis cottidie esset: semel iterumque in eos classem misit, sed cum clade & ignominia semper repulsam. Igitur Mathematici & astra consuluntur, eligitur dies felicior, nec ambigitur de successu. Parat se *Constantinus Angelus*, vir illustris, & prodit iam in hostem: sed ecce citis nuncijs è medio cursu reuocatur: *quia explorauerat Princeps parum certo & sagaciter indagationem fa-*

Tac XII. Annal.

ctam, & erroris aliquid interueniſſe. Ergo thema iterum ſtatuitur, magna cura: & diu diſputato inter peritos, tandem conuenit de beneficio & ſalutari ſiderum aſpectu. Conſtantinus emittitur: & quid quæris? victoria in manibus. Adeo quidem certo, vt vix in mare progreſſus Conſtantinus, non dicam vincatur, ſed ipſe cum ſuis capiatur: quo nihil deterius potuit euenire. Eant Principes, & his credant. Atqui peritiores aliquos ſortientur. Ita, peritiores ad fallendum non ad ſciendum: & quidquid dicitur, extrema fraus & noxa occupabit, rideant licet prima. Valerij verbis claudam: *Mathematici* (& alios intellige) *leuibus & ineptis ingenijs, fallaci ſiderum interpretatione, quæſtuoſam mendacijs ſuis caliginem inijciunt.* Audis Princeps? *leuibus & ineptis ingenijs* adhærent, placent: & tu inter eos cenſeri velis? Audi & de *quæſtu*, quod addit: finem hunc omnes iſtæ præſtigiæ (non enim artes) habent: caue, ſperne. Tantum, ſi *Somnia, Signa, Spectra, Vaticinia* Deus palam mittit (& viros tunc pios doctoſque conſule:) inſuper ne habe.

DE CONSCIENTIA.

Eam curandum eſſe, atque obſequendum.

CAP. VI.

A Religione priuſquam abeam, de Conſcientia etiam admoneo, & adnecto. Quid ea eſt? ex Religione & Dei metu animi iudicium ortum, bona approbans, mala abhor-

rens. Omnes illuc vocamur ab interno isto iudice, velut ad tribunal: & homini formato indelebilem hunc characterem Deus impressit. Tertullianus pulchre: *Potest obumbrari, quia non est Deus, exstingui non potest, quia à Deo est,* Vtrumque recte. nam & nubes aliqua siue aulæum ei obducitur, affectu aut contemptu iubente: sed prorsus non amouetur aut tollitur, imo ipsa aulæum tollit. Mali doctores in Politicis, qui hanc seponunt aut calcant: qui externam virtutum speciem nobis ingerunt, ipsas admitti negant. Bis terque miseri, etiamne animo huic & Conscientiæ imponent? Vela te, & verte in varias formas: vbicumque vera virtus non est, vitium subsequetur, & ex eo inquies in animo aut timor. Vetus ille idem scriptor: *Omne malum aut timore, aut pudore natura suffudit.* Quanto melius, securius, firmius, recta apertaque via incedere, Deo, sibi, hominibus, se probare? Exclamare cum Philosopho nostro: *Nihil opinionis caussa, omnia Conscientiæ faciam. Populo spectante fieri credam, quidquid me conscio faciam?* Ades, ades, quisquis populum ducis, hanc habe consiliorum actionumque tuarum ducem & magistram. *Nihil hac luce clarius, nihil hoc gloriosius testimonio, cum veritas in mente fulget, & mens in veritate se videt.* Vis vnum, sed illustre, probæ vitæ, probæ mentis exemplum? cape.

Apolog. cap. 1.

Seneca.

Bernard. in Cantic. Serm. LXXXV.

LIVIVS DRVSVS, cum domum in Palatio ædificaret, & architectus offerret, ita se structurũ, vt libera ab arbitris & omni despectu esset:

Quin tu potius, inquit, *si quid in te artis est, ita compone domum meam, vt quidquid agam, ab omnibus inspici poßit.* Vox magnifica, vox laudanda! vita an pro ea fuerit, ambigo, neque inquiro.

DE PROBITATE, ET CONSTANTIA.

Vtramque Principi conuenientem, aut necessariam esse.

Cap. VII.

HAs Virtuti & Religioni addidi: quæ iure vbique vtraque in Principum factis se ostendat. Quid enim *Probitatem* appello? nisi rectum & sine fuco Virtutis amantem animum, quique ipsam propter ipsam, non commodum aut famam, amat. Talem in Principe requiro, & ex descriptione Amphiarai, apud Æschylum:

> Οὐ γὰρ δοκεῖν δίκαιος, ἀλλ' εἶναι θέλει,
> Βαθεῖαν ἄλοκα διὰ φρενὸς καρπούμενος,
> Ἀφ' ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα:
> *Nam iustus esse, non viderier studet,*
> *Sulcum profundum in mentis agro conserens,*
> *Consilia de quo germinant salubria.*

Bona descriptio, & monitio. Iustus probusque esto: & ex profunda mente pullulabunt honesta, & vtilia, consilia. Ne enim ista separemus: non inquam Honestum ab Vtili. & erat ab Italia doctor, qui ducit alio: qui tyranniones

minutos, non Reges aut Principes legitimos format. Abeat. tolle tu fucum & fraudem : quæ nec valida, nec diuturna esse possunt. Postea super hac re plura. At vero *Constantiam* dico, animi erecti magnitudinem, qui vtrique Fortunæ par est, nec attollendus à læta, nec altera deprimendus. Sicut adamas, nobilissima inter gemmas, infractam vim habet: sic Princeps debet animi robur. Et vero quam ei opus est? in altam illam fortunam quot nimbi, procellæ, fulmina incidunt, aut incurrunt? Nihil miserius Principe, qui ad singula moueatur, aut se inflectat. Debet & ab vsu, & tractatione rerum, induere Constantiam. Videt adsidue incerta rerum humanarum: publice aut priuatim casus & calamitates audit: versetur in iis, non inhæreat. & vt rota in curru per terram voluitur, sed super eam exstat: sic ipse. Tractet humana, & norit: sed iis se etiam eximat, & secum dicit: *O quam contempta res est homo, nisi super humana se erexerit!* Seneca.
Denique poetæ hoc imbibat:

Lege Deum, minimas rerum discordia turbat, Lucanus.
PACEM SVMMA *tenent.*

Sed exempla aliquot veræ *Probitatis*, & tum *Constantiæ* videamus.

I. ARISTIDE inter Græcos, quid probius aut simplicius? qui cùm gloriæ & nominis caussa periclitaretur in exsilium decennale mitti, quod à genere suffragij *Ostracismum* Græci dicunt: minuendæ scilicet priuatæ potentiæ, & muniendæ publicæ libertati: ille, inquam, cùm in suffragia jam iretur, ipse quoque aderat, & stabat per-

mixtus plebi. Ibi aliquis de numero, ſcribere imperitus, hunc propinquum rogauit, vt in teſtulam nomen *Ariſtidis* inſcriberet, damnandi ſcilicet eiiciendique. *Ergo eum noſti?* inquit: *aut alibi is te læſit, nocuitque? Neutrum*, inquit alter *ſed hoc male habet & damnatum eo, quod paſsim vocari audio Iuſtum.* Teſtam accepit Ariſtides, & paruit ac nomen ſuum prompte inſcripſit. O ſumma Probitas, & alio quam populari illo theatro digna!

II. In iiſdem Græcis, EPAMINONDÆ tota vita nil niſi probitas & rectitudo fuit: adeo in factis non obliquus, vt nec in verbis: & *ne ioco quidem mentitum vmquam*, fidi ſcriptores tradiderunt. Idem, cum inuidia premente, bello præfectus non eſſet, re tamen & neceſſitate talem Ducem poſtulante: imo & alius imperitus eiuſce artis delectus eſſet: ipſe nihilum motus, pro gregario milite nomen dedit. Ac cum mox, ignauia ductoris, ventum in verum & grande diſcrimen eſſet, cunctis circumſpicientibus & Epaminondam requirentibus, ille alacris, & deterſa iniuriæ memoria, prodiit, & exercitum obſidione ereptum, incolumem in patriam reduxit.

III. Simile aut gemellum tuum Q. FABI factum, qui cũ per iniuriã æquatus imperio, ipſe Dictator cum *Minutio* Magiſtro tuo militũ eſſes, quin & diuiſio legionum, vt inter Conſules ſolet, facta: haud diu fuit, cum temeritas & vanitas in laqueos incidit, datura Annibali pœnas, niſi tu patriæ & ciuium caritate, & probitatis illo ſti-

mulo, copias tuas statim de castris eductas hosti obiecisses, & ciues non libertati solum, sed sanitati reddidisses. Pænituit enim actorum, atque ipsum adeo auctorem Minutium, qui reuerentia & admiratione virtutis, signa, se, & suos in castra tua reduxit, & serio submisit ac subiecit.

IIII. M. PORCII CATONIS nomen, in duplici homine meruit, vt Probitatis & Virtutis habeatur. Sane ille senior, quanta integritate vixisse debuit, qui caussam quinquagies dixit, & obtinuit? nec id gratia aut opibus, sed contra gratiam aut opes totius fere ciuitatis. Nam inimicos plurimos ei aut inuidos, cum Probitas tum & Seueritas faciebat: qui nemini parcere aut amicus esse didicerat, qui reip. non esset. Atque adeo (miræ fiduciæ factum) ex hoc numero inimicorum *Tib. Sempronium Gracchum*, cum senex accusaretur, vltro iudicem popolscit & sumpsit: sed & aduersario iudicante absolutus, in posterum & gloriam sibi & securitatem peperit.

V. Quid Iunior CATO VTICENSIS? sed ille Constantiæ reseruetur, cuius pectus templum & sacrarium proprium ei Diuæ fuit.

VI. In eius locum M. BRVTVS prodeat, qui & in contubernio eius vixit, cum Cyprum peteret, nec virtutibus solum, sed adfinitate se iunxit. Duxit enim *Portiam*, eius filiam, tali patre, tali marito dignam. Sed ipse Brutus, fallor, aut vnicum exemplar est in omni vita benignæ & mansuetæ Probitatis. Quam compositus ille animus fuit, qui instante Pharsalica

pugna, ipso vespere ad multam noctem legit, & scripsit, Polybij Epitomen commentans? Vnde ea quies, nisi ab animo introrsum quieto & puro? Qui nec Cæsarem quidem cum perturbatione aut odio occidit: testante M. Antonio, cuius hæc vox fuit, *Vnum se putare M. Brutum, exsortem affectus, Cæsarem adortum, patriæ & legum amore.* Atque ita est. alij in regem surrexerunt, ipse in regnum. Quam certum argumentum in ipso M. Antonio? quem cùm vno ore coniurati occidendum cum Cæsare censerent, solus restitit, iustitiam magis quam commodum spectans, & quia ex norma legum modo putaret, tolli tyrannum. Eadem animi rectitudine, cum alij optimatum ad Octauianum deflecterent, illum colerent: restitit, & palam denunciauit, imponi & tolli in humeros tyranni heredem, grauiori mox seruitute. Nec id quidem metu suo, aut odio. quem ille odisset, qui nec armatum & insidiosum hostem, C. Antonium? Bis eius copias & ipsum cinxit, & in manu habuit capere aut occidere: dimisit. Quo tam benignæ virtutis fulgore milites percussi, ad eum transierunt, atque ipsum ducem captiuum tradiderunt. Quid deinde in Lycios? acres & peruicaces hostes erant: tamen captis per vim arcibus aliquot & opidis, omnes sine pretio liberos dimisit. Nec sic placantur. igitur Xanthios obsidet, premit, & fortuitus ignis vrbem comprehendit: quem ciues introrsum, desperatione & peruicacia, augent, alimenta iniiciunt, se interficiunt: Bruto miserante, restinguente, salutem

offerente. Sed & lacrimas vbertim emisit in tristi casu, & præmium militibus pronunciauit, si quis hominem Lycium conseruasset. Talis & in Patarenses fuit, pertinaciter item resistentes. Atque ipse cum animi dubius esset, oppugnaret an omitteret, non victorię diffidentia, sed metu similis vesaniæ : ecce habuit in potestate plerasque eorum fæminas, quas omnes intactas in vrbem remisit. Perfregit ea res animos, & sponte opidum Virtuti, quod non Terrori aperuerunt. Tamen ille tam mitis in hostes, qualis in suos fuit? seuerus, vbi meruissent. In ipso ardore ciuilium armorum, cum multa militi, omnia fere ducibus licent, accusatum apud se à Sardianis *L. Pellam* Prætorem repetundarum, nihil cunctatus damnauit & infamia notauit: improbante & indignante Cassio, quod id temporis amici non alienandi, sed noui adiungendi viderentur. At ille in Virtutis & Iustitiæ orbita firmus, nec in communi excessu excessit: & deseri, ac deserere omnia maluit, quam illas. O virum, cui vel hostis merito lacrimas impendit! Is fuit *M. Antonius*, qui interfecti (sponte, & sua manu) corpus liberto cuidam sepeliendum tradidit: atque adeo paludamento suo velauit. Quod ille cùm auaritia interuertisset, neque vna cremasset, gnarus iratusque Antonius, protinus interfici iussit, cum hac superdictione: *Et tu nesciebas, cuius tibi viri sepulturam mandaueram?* Nesciebat vile ingenium: sed viri hercules magni, & vel *primi, vel vltimi* (vtrumuis dicas) *Romanorum.* Transeo ad exempla.

CONSTANTIÆ.

I.

Quorum agmen ducat PHOCION Athenienſis: vir qui contra vulgus, contra potentes, contra fortunam & mortem ipſam immotus ſtetit. Oraculo aliquando Athenis recitato, *Eſſe vnum, qui à concordi ciuitate diſſentiret:* quærentibus omnibus, & frendentibus: *Quæſo*, inquit, *quieſcite: ego ille ſum, quem quæritis. nam mihi nihil eorum, quæ agitis, placet.* Proh animum! ſicne vna voce totum populum reum agere peruerſitatis & inſipientiæ? Sed cauſſa tamen erat: & illis Alexandri temporibus, populus Athenienſis delirabat ſenectute. Idem igitur, cum Dux electus, trepidos ſuos in bello videret, & lingua ſola fortes, prudenter abſtinuit à pugna. Mox, cum rediiſſent & pace facta incuſarent illum ignauiæ, & quaſi vincere neſciſſet, aut noluiſſet: inquit, *Felices vos, qui Ducem habetis veſtri gnarum! nam alioqui iamdiu periiſſetis.* Feſtiue & mordaciter, exprobrans ignauiam & imbelliam, quam in animo gerebant, ore auertebant. Iterum in populum, & eius aurigam Demoſthenem. cum ille quaſi coercens libertatem Phocionis diceret, *Interficient te Athenienſes, ſi furere cœperint:* iſte, *At te*, inquit, *ſi ſapere.* Tetigit illum, vt improbum, hos, vt parum ſanos. Et conſtans hic tenor per omnem vitam, nec in morte deſeruit. ad quam publico iudicio damnatus, ſciſſa ciuitate in factiones: cum duceretur in carcerem, præcurrerunt improbi, in via obuij & conuiciantes. inter eos vnus: ſputum in os eius congeſſit.

Ille conuersus placide ad Archontes, *Nemon huius*, inquit, *reprimet proteruiam?* Cum amicus eius in carcere quereretur, quod iniuste cum Phocione interficeretur: *Et tu*, inquit, *non in magna gloria ponis, quod cum Phocione?* Alio rogante, *Numquid ad filium vellet? Maxime*, inquit: *iubere me, vt iniuriarum populi Atheniensis obliuiscatur.* Alio amico petente, vt priori sibi bibere cicutam liceret: *Grauis mihi Nicole*, inquit, (id ei nomē) *hæc petitio: sed cui per omnem vitam nihil abnui, hoc quoque indulgeo.* Ita constantissimus vir obiit, cum sui fama, Atheniensium infamia æterna.

Quid vero mulier in eadem Græcia? CRATESICLEA fuit, mater *Cleomenis*, qui rex Spartæ res ibi nouauit, aut potius lapsas in antiquum locum reponere tentauit. Is cum grandi bello cum Achæis distineretur, sed & *Antigonum* ac Macedonas timeret, à se impar, opem & opes à *Ptolomæo* Ægypti rege petebat. Qui spem fecit, ea lege, vt hæc Cratesiclea mater eius, itemque filius, obsides fidei in Ægyptum mitterentur. Durum & insolens satis visum Cleomeni, nec ausus matri proponere, etsi necessitas adigebat. Itaque aliquoties loqui ea de re conatus, abscidit, & abscessit. Mulier acuta animaduertit aliquid esse, & amicos eius percontata, *Ecquid vellet effari Cleomenes, nec auderet?* Quin hortata eos est, vt incitarent & submonerent. Tandem ergo Cleomenes postulata regis aperuit: illa autem in cachinnum effusa, *Et hoc erat*, inquit, *quod dicere aggressus, non dicebas? Mitte vero hoc corpusculum*

II.

quocũque terrarũ, vbi vsui Spartæ sit, potius quam hic senio & desidia soluatur. Et statim institit mitti, & nauigare. Deduxit igitur Cleomenes cum toto exercitu Tænarum vsque, Laconiæ promontorium, vbi parata nauis. Illic in templo Neptuni congressi, priusquam nauim conscenderet, mutuo complexu & lacrimis (quis matris & filij affectum nescit?) diuelluntur. Sed illa egrediens, *Age rex Spartanorum*, inquit, *compone vultum & animum, ac caue quisquam, qui foris adsistunt, lacrimantes nos videat, aut Spartæ aliquid indignum admittentes. Hoc enim in nobis est, casus dij gubernabunt.* Sic fata egreditur alacri aspectu, puerum manibus trahens: nec fœminam solum exuit, sed matrem. Eadem paullo post, cum Ptolomæus parum ex fide ageret, & Cleomeni occasio esset paciscendi cum Achæis, sed cunctaretur ob matrem: illa audito, rescripsit animose, *Ageret quod ex vsu & dignitate Spartæ esset, nec Ptolomæum hunc timeret, ob vnam anum & puerum, quorum esset compos.* O mulier, non quidem filio meliore, sed fato digna! nam & tu, & ille, postea sub ignauo & infido rege periistis.

III. Licet & alteram fœminam addere MONIMEN Milesiam, quæ insigni forma & lepore, sed ingenio melior, *Mithridati* regi placuit. Tentauit pudicitiam eius, blanditiis, donis, & ad quindecim millia aureorum simul misit: quæ fortiter spreuit, & reiecit procum regem, donec nuptiarum titulo & pacto euicit. Sed nec eæ fregerunt magnitudinem animi. mærebat, & sortem suam deplorabat, quod pro marito domi-

num,

nium, pro liberis & familia, custodiam nacta esset eunuchorum & barbarorum. Victus tandem Mithridates à Romanis, & animi atque amoris æger, ne in potestatem Monime veniret, misit qui mortem indiceret, eunuchum *Bacchidem.* Illa nihil cunctata, & cupienti propior, diadema detractum capiti (nam vt regina ornabatur) collo aptauit, atque ex eo se suspendit. Sed imbecillo & diffracto, indignabunda, *Infelix fascia*, inquit, *nec hic mihi eris vsui?* Et abiiciens illud ac conspuens, iugulum Bacchidi alacriter obtulit, ac tantumnon læta periit?

IIII. Quid Græca me tenent? M. CATO ad se vocat, ille inclytus Constantiæ sacerdos: cuius vel à puero dedit specimen. Nam cum apud Liuium Drusum auunculum, vna cum Cæpione fratre educaretur, ac Latini sub id tempus de impetranda ciuitate agerent: euenit, vt *Popedius Silo*, vir inter primos Latinorũ, hospitium itẽ apud Drusum haberet. Itaque cum pueris familiariter cauillans & iocans, & *Heus vos*, inquit, *ecquid apud auunculum pro nobis, & ciuitate capienda, intercedetis?* Ibi Cæpio blande statim annuere, Cato silere & toruum intueri. Tum Popedius, *Quid tu igitur? non promittis?* & simul sustollit, & extra fenestram elatum, pendulum habet, cum minis & terrore deiiciendi. Vocem etiam & vultum exasperat: sed Cato nihil motus, intrepide sustinuit, & perstitit silentio negare. Ibi Popedius, relato & deposito, submisse ad amicos: *Et quid si hic vir sit? ne vnum quidem*

suffragium, credo, in populo feramus. Bene diuinabat: nam Cato firmus & certus, nihil in remp. vllo metu dicere aut facere, sed nec ab aliis, quod in se erat, fieri. Eiusdem roboris, in Sullanis temporibus, à paullo iam grandiore exemplum. Annum enim agebat quartumdecimum: & sæpe *Sarpedon* pædagogus & doctor eius ad Sullam ducebat, honoris caussa, salutatum. Atque ipse admittebat, quia amicus patris eius fuerat, & comi sermone excipiebat. Domus autē illa parū à carnificina aberat. ita capti, vincti, torti, ducebātur, sed & capita inferebātur & efferebāt interfectorum. Cato inhorruit, & vidit alios clam ingemiscentes: atque ad magistrum suum *Hunc hominem*, inquit, *quid ita nemo interficit?* Subiiciente illo, *Nam metuunt eum magis, quam oderunt. Quin tu ergo mihi*, inquit, *gladium dedisti, vt eum interimam, & patriam è seruitute asseram?* Quæ dixit vultu atque oculis ita acribus & minacibus, vt Sarpedon deinceps & rarius ad Sullam duceret, nec nisi tentatum & excussum. Tertium, à iam viro. *Metellus Nepos* Tribunus plebis remp. turbabat perniciosis rogationibus, quas Catoni certum erat impedire. Ille hoc prouidens, Cæsare adiutore, forum de multa nocte seruis & mercede conductis operis occupauerat, vim haud dubie facturus in resistentes. Amici igitur Catonis, & tota domus, mæsti & anxij, solus ipse securus cibum cepit, dormiit, mane ad forum iit. Cum venisset, videt templum & gradus Castoris armatis insessos, ipsum Metellum assidente

Cæsare, superne imminentes, quasi duces: omnia ad pugnam & tumultum parata. Risit, & ad proximos: *O hominem timidum, qui aduersus vnum & inermem tantum habuit dilectum!* Et Munatium Tribunum è bonis, manu secum trahens, eluctatus per gradus est in summum: atque ibi medium se statim immisit & composuit, inter Cæsarem & Metellum. Stupuit ipsa audacia, ad hoc robur: & cum trepide Metellus legem per scribam recitari iussisset, Cato inhibuit: donec ipse Metellus, arrepto codice, recitaret. Sed & hunc Cato è manibus ei extorsit: ac Metellus, signo dato, armatos immisit, dissipata statim concione, & nemine, præter Catonem, restitante. Hunc cum lignis lapidibusque peterent, *Murena* Consul ægre texit, & abduxit: sed confirmatis iterum ciuibus rediit, & sola sua constantia pestilentem rogationem disiecit. Quartum. Pompeius ab Oriente redux, & in magnis opibus ac gloria, vidit quid animorum in viro esset, & quanta sibi accessio si hunc adiunxisset. Itaque ad affinitatem adspirauit, & sororem (siue sororis filiam, vt alij) petiit vxorem. Votiua conditio omnibus visa, atque ipsis maxime fæminis: sed non Catoni. qui renunciari libere iussit, *Non capi aut illaqueari se per fæminas. quod si Pompeius rectam in rep. viam iniret, vltro se amicum fore, sin aliam, nullo pacto aut pretio.* Quintum. C. Cæsar Consul legem de diuidendo agro Campano ferebat, priuatim vtilem, publice exitiosam. Vnus Cato

resistebat acerrime. adeo vt Cæsar pro imperi
abstrahi à Rostris hominem, & duci in carc
rem iuberet. Ducebatur, sed & sic inter via
de lege identidem disserebat, incommoda
insidias eius ostendens. Iamque peruener
pæne ad carcerem, deducente pleraque par
Senatus & optimatium, cum Cæsar à con
stantia victus destitit, & è Tribunis vnum sub
misit, qui eximeret & liberaret. Sextũ. Prætu
ram petebat Cato, & impetrasset, nisi Cesa
Pompeius, & illa potentium manus se obi
cisset: vnum hunc reueriti, vt progressibus su
impedimentum. Itaque effusa & aperta la
gitione effecerunt, vt præferretur ei Vatiniu
mortalium pæne postremus. Quid Cato? a
cepit & tulit iniuriam eo animo, quo alij bene
ficium: & vultu etiam nihil deiectus, eoder
die in forum venit, ambulauit, & pila lusit. Deu
immortalis, an non super affectus & motus hu
manos hic vir fuit? an non dignus, de quo poët
scriberet:

Quippe malo vnum Catonem, quam trecent
Socratas?

Dignus. & robur etiam in morte sileo, quo
variam interpretationem habere potest, & no
stræ Religionis scito, culpam.

V. PORCIAM subnecto, patri filiam. Nupserat e
M. Bruto, marito heroina hac digno. Is cum agi
taret de nece Cæsaris, etsi sedulo silebat, tame
vultu manifestus erat grande aliquid & atro
agitare, præsertim amanti, & coniugi. Suspicat
igitur tale aliquid, & maritum silere quia diffi

deret imbecillitati: statuit sui sumere experimentum, & fecit. Cultro tonsorio, cum sola esset grauiter in femore se læsit. Secutus sanguis largior, debilitas, atque etiam febris: cum Brutus domum venit, trepidus & re inopinata mæstus Illa remotis arbitris, *Age mi marite, aßide, est quod serio fabulemur. Ego tibi cum nupsi, coniux in domum tuam veni, non amica aut pellex: nec mensæ aut thori tantum, sed tristium lætorumque consortem me dedi. Catonis filia sum: & pro illa stirpe me cense. Quid ergo? de te queror? minime, si alia specto, & sollemnia in coniugio, aut vulgata. Vnus tantum in animo dolor est, & pungit, fidē non haberi fidei meæ. Nā quid dißimulas? nonne curam video, quæ te coquit? arcani magnique aliquid, quod agitas? Cur me celas? auxilium si non speras, solatium exspecta: nam de silentio, possum apud te spondere. Non respice ad alias mei sexus: ego (iterum dico) Catonis filia sum: & addo, M. Bruti vxor. Vel natura me à tali patre, vel consuetudo à marito, fortem constantemque reddant, etiam aduersus extremos metus. Quid verba facio? rem vide. Cepi ipsa mei experimentum: & ecce hoc vulnus, quod sponte intuli, vt discerem ecquid dolori aut tormentis par essem. Sum, confide. possum ferre, possum contemnere: & mori ô Brute cum marito, & pro marito possum. Proinde siquid tu honesti agitas, quod vtroque nostrum sit dignum, ne sile.* Brutus admiratus animum, & osculatus affectum, manus præ gaudio in altum sustulit: &, *O omnes cælites, adeste volentes propitij, ac dignum me Porcia maritum præstate.* Tum ordine coniurationem aperit, & consortes: nihil territæ aut deterrenti, imo animanti.

Atque hoc primum eius Constantię, vt sic dicam, sacrum: alterum à mariti morte. Audiit enim de tristi in Philippis pugna, & Brutum suum fuisse. nihil igitur morata, mori voluit: sed amici & custodes impediebant. Illa ipsis & iam sibi irata, *Quid*, inquit, *mortem aliquis impediat, aut neget? non potest: & pater vos docuit.* Ac cum dicto prosiluit, & è foco prunas ardentes haustas ori ingessit:& spiritum, quem emittere non potuit, suffocauit inclusum. Probas hoc? inquies non, sed miror: imo & probet aliquis, sed ab illo æuo.

VI. ∞. CC. XCII.

Ad Christiana & nostra exempla tutius transeo: quę in sanctis viris & martyribus sunt infinita. Nulla re hæc religio magis abundat, magis se commendat & adfirmat. Sed ea in suis locis sunt prompta: nos sparsa in historiis colligimus. & in iis vnum Alfonsi Perfsii Gusmani, in Hispania Bætica, cui à moribus cognomentum Boni fuit. Magnus pace & bello ille vir, clarus opibus & earum vsu: atque ecce specimen. Rex Castellæ Sanctius *Tariffam* (quæ veterum *Carteia* siue *Tartessus* est) de Mauris ceperat, sed anxius custodiendi & tenendi, ob hostium viciniam,& ingentes sumptus. Suscepit vltro in se curam Alfonsus, & partam stipendij de suo daturum promisit: rex interea res alias ageret. Paullo post, frater regis, *Ioannes*, ambitione praua ad Maurum transiit, & copiis ab eo acceptis subito Tariffam obsedit. Obsessi nihil trepidare, in sua & ducis virtute fidere, animos supra periculum habere: nisi quod infregit

eos ſubito inopinata res, captus Alfonſi filius (in agris forte interceperant:) & ante mœnia oſtēſus. Vnicus porro patri erat. Illi minari, niſi opidum dederetur, ſub oculis interfecturos ſe, & fœde lancinaturos. Motis flexiſque aliis, ille nec hilu: & alta voce negat, *Si centum filios in poteſtate haberēt, non ideo ſe à fide & honeſto abiturum. Quin,* inquit, *ſi tanta libido iugulandi eſt, en gladium:* & ſuum è mœnibus proiecit. Stupor me habet hęc ſcribentē: quid ſpectātes? Ille ſic abiit, & ad prandium ſe compoſuit, cum ecce clamor & eiulatus diſſonus auditus eum euocat: iterumque in mœnibus ſe ſiſtit. Quærenti conſternationis cauſſam, refertur, *Filium barbara crudelitate interfectum. Hoc erat?* inquit, *credebam vrbem ab hoſtibus captam:* & pari tranquillitate ad prandium vxoremque rediit. Hoſtes magnitudinę viri attoniti, re infecta diſceſſerunt. Libet hię exſultare: eſtne factum vel in omni antiquitate fortius, vel laudabilius? Gratulor tibi gens & domus illuſtris Ducum *Methymnæ Sidoniæ*. quæ ad hunc auctorem ſtemma & ſanguinem refers. Felix origine, eſto imitatione.

VII. Hæc ad miraculum exempla ſunt: alia non tam ferientia, ſed haud minus ſapienti approbanda. De FERDINANDO Hiſpaniarum regę traditur, poſtremo iſto qui Mauros eiecit, per omnem ætatem firmo conſtantique ingenio fuiſſe: & cum vtramque ſæpe ſortem expertus eſſet, proſpera atque aduerſa ſic compoſite & ſedate tuliſſe, vt nulla vmquā in vultu eius cōſiliorū aut affectuum veſtigia deprehēderentur.

Idem cum Barcinone, à furioso quodam graue vulnus in ceruice subito accepisset, neque animo turbatus est, nec gemitum aut vocem doloris indicem emisit : tantum seruari paricidam & examinari iussit, quo auctore fecisset.

VIII. Vxor eius ISABELLA virilis animi curæque mulier, & hac laude æquauit, aut superauit maritum. Nam cum nuptias adornaret cognominis suæ filiæ, cum *Emanuele* Lusitaniæ rege, & subito nuncius adferretur de morte *Joannis* vnici filij, illa hoc agere, & dolorem comprimere, vultumque fingere tamdiu potuit, donec Emanuel ab aliis id rescisset. Eadem non in aduersæ solum valetudinis, sed in partus acutissimis doloribus, & gemitum & vocem supprimebat. rem incredibilem, nisi à fidissimis matronis, quæ à cubiculi cura erant, id certo se cognouisse *Marinæus Siculus* adfirmaret:

IX. Horum nepos CAROLVS QVINTVS Imperator, cum in Germania copias & castra ad Ingolstadium haberet, cinxissentque eum ingenti numero militum fœderati hostes: nec illi visum dimicare, vel quia sui nõdum conuenissent, vel quia præuidebat tutam mox & sine cæde victoriam : ecce isti æneorum tormentorum copia validi, tantum ferreæ grandinis in castra iaculati sunt, vt vno die ad VI. *Millia* maiorum globorũ numerarent. Itaque omnia ictibus peruia, ipsum Cęsaris tentoriũ, & ad latus eius & tergum occisi: cum ille nec locum, quid locum? nec statum, nec vultum mutauit. Quinetiam monentibus amicis sibi, atque

omnibus in se parceret; dixisse arridens fertur, *Considerent, neminem Imperatorem tormenti ictu periisse.* Atque hæc talis constantia, & morum actionumque grauitas, in omni reliqua eius vita fuit.

Etiam in sanguine. Nam ab hac stirpe PHILIPPVS II. rex, familiarium testimonio, Constantiæ laude veteres nouosque æquauit. extra aut supra affectus: non gaudio, non dolori peruius: neque animo solum, sed vultu æquabili & immoto. Quis sapientium, & qui vnum hoc egerunt, eo peruenit? Sed quod alij verbis: ipse factis sibi vindicauit, NEC SPE NEC METV. Finiui, & addo, non aliam virtutem Principe digniorem, aut in eo, vt sic dicam, honestiorem esse.

x.

DE PRVDENTIA,

Quam Vsus & Historia gignunt, & producit Doctrina.

CAP. VIII.

POst Virtutem, cuius caput est Religio siue Pietas, Prudentia necessaria est Principi, atque ijs qui in republica versantur. Hæc nō aliud est, quam notitia rerum euentuumque, & iudicium in ijs rectum. Tria illam pariunt. Natura, Vsus, Doctrina. Natura multum potest, & ab ea sola, aut certe leuibus alijs auxilijs, prouecti quidam operæpretium fecerunt. Sed vsus si accesserit, etiam mediocris Natura attollitur, & in

consilijs actionibusque se probat. Quid si doctrina? plurimum: & tria hæc vbi concurrunt, mirum quam valida ea mixtio, & vera ex ijs firmaque Prudentia oriatur. Nam profecto vbi aliquid horum solitarium, Superbia, Pertinacia, Error comitantur: & in multis scio me observitasse. Quid tamen ex his ad rempublicam optimum? puto, Vsus: & Theognidem sapienter scripsisse,

Δόξα μὲν ἀνθρώποισι κακὸν μέγα, πεῖρα δ' ἄριστον.

Est mala Opinio, at est homini longe optimus Vsus.

Nam vbi sola Natura, siue & doctrina: profecto Opinio innascitur, & gnari scientesque esse volumus, vbi non sumus. At Vsus firmior, & in artibus per se valet. Age, fabricam quam multi solo opere & vsu didicerunt? quid artem nauis gubernandæ? & ciuilis & militaris in republica quædam ars est: ab Vsu igitur discenda. Nec tamen plene satis aut perfecte. quia illa, quæ dixi, vniforme aliquid & simplex sunt, ista Deus bone, quas varietates, quos sinus & recessus habet? Lumen vndique inferendum, vt peruideamus: & maxime à Doctrina, non illa tamen arguta aut subtilium scientiarum, sed memoriæ rerum præsertim, quam Historiam appellamus. Nam ea, si attendis, quid nisi alter Vsus est? Quæ in isto video, tracto, facio: in illa lego, haurio, disco: & tanto plura, quanto plus rerum euentuumque complectitur, ab omni æuo. Mihi paucis annis experiri licet, & in vna aliqua orbis parte, siue angu-

lo: illic sæculorum res sunt, illic, quam late patent sola hæc terrarum. Itaque materies discendi maior: & disces, si oculos mentis in illo velut speculo defigis exemplorum. Accedit, quod prudentes multi, & vsu docti, olim fere historiam conscripserunt: & ijdem sensus breues, aut monita inseruerunt, Deus bone, quam recta, quam salutaria, si bona mens eligit & excerpit? Sed Historiæ laudes pertexere, non hic est locus, nec decet: addo, de *L. Lucullo* tradi, eo qui Mithridatem & Tigranem vicit, potentissimos reges, vix aliam imperandi bellandique peritiam, quam ab Historijs attulisse. Et istas igitur præcipue ego Principi: sed & adhærentem *Geographiam* commendem: *Geometriam* leuiter: & tum maxime *Philosophiam*, id est Ethicam Physicamque. Duæ istæ partes forment eius animum, vel ad Virtutum amorem & pretium, vel ad notitiam cœlestium & terrestrium, è quibus Magnitudo animi oritur, & simul Modestia, collatione vtrorumque. Non insisto (alibi feci:) sed *Peregrinationem* etiam obiter suadeam: quæ valde ad notitiam sui status, tum & ad Prudentiam facit. Hæc omnia quæ Principi, magis ijs & plenius, qui circa ipsum, suggeram: quibus plus scilicet otij, & sæpe ingenij est, ad talia pernoscenda. Sed age, pro instituto, Exemplis hæc illustremus aut firmemus.

I. SOLON Atheniensis, horum omnium vnus exemplum præbeat: in quo Natura, Vsus, Doctrina viguerunt. In republica assiduus ille fuit:

sed etiam in peregrinationibus, & Ægyptum, Cyprum, Asiam lustrauit: atque id discendi caussa. Vsum vides: quid Doctrinam? scripta & versus docent, quos reliquit. Atque adeo tanta eius cupiditate exarsit (sic loquendum est:) vt ipse in Carmine quodam glorietur, *Cottidie addiscentem se aliquid senem fieri.* Cottidie. itane? etiam circa ipsam mortem. Nam cum langueret, & assidentes amici aliquid inter se disserent, ille caput sustulit, & flexit ad audiendum. Interrogatusque, Quo fine tunc aut fructu? nobilem illam vocem edidit, *Vt cum istud sciero, doctior moriar.* O desiderium! & quid in vita, aut eius flore faciendum: cum ille hæc in morte?

II. EPAMINONDÆ vero, etsi in crassiore aëre nato, tantum litterarum studium, philosophiæ doctrina tanta fuit, vt *mirabile videretur,* ait Iustinus, *vnde tam insignis militiæ scientia homini inter litteras nato.* Quod mihi tamen non mirabile. imo cum Diodoro Siculo sentio, qui ipsam hanc scientiam caussam fuisse vult rerum ab eo præclarissime gestarum. Philosophatus ille scilicet est, sed ἄνευ μαλακίας, vt Thucydides loquitur & approbat: *sine mollitie, aut desidia:* & habuit ad robur & ad prudentiam magistram. Sane Pythagoricis dogmatibus addictum maxime, & Physicæ scientiæ fuisse, idem Diodorus monet.

Lib. v.

Lib. xv.

III. Huius discipulus & alumnus PHILIPPVS MACEDO, non *Alexandri* solum, sed & *Magni* pater. Ille inquam, omnem hanc magnitudinem aut institutione, aut instrumento & in-

ſtructo reliquit. Græcia domita, & firmus ille ordo militiæ, veteranus miles, optimi Duces, hæc omnia à Philippo fuerunt: & ipſe Philippus ab Epaminonda, & doctrina. Nam obſes triennio Thebis habitus, in eius domo diuertit, optimo magiſtro vſus ad dicendum, ſapiendum, faciendum.

IIII. Ipſe ALEXANDER haud alia re mihi quidem magis laudabilis, quam doctrinæ ſtudio videtur, & moribus quos hauſit à doctrina. Ij fuere, Magnanimitas & Clementia. Sed à puero mitioribus artibus imbutus, mox in Ethicis & Politicis, alijſque Philoſophiæ, præceptorem habuit Ariſtotelem? quem virum? ipſius Sapientiæ prolem aut alumnum. Felix doctore, ſed & felix ingenio. cum non, vt plerique, leuiter imbuit ijs animum, nec ſtatim, vt ad arma venit, artes faſtidijt: ſed & doctos in contubernio ſuo habuit, audiuitque: & ipſe, cum licuit, aſſidue legit. Idque *Homerum* maxime. quem ita non amauit, ſed coluit, vt cum in Dariana præda ſcrinium, gemmis & auro cultiſſimum, repertum eſſet, alijque alio deſtinarent: *Imo*, inquit, *Homeri carminibus reſeruetur*: quaſi pulcherrimũ opus, pulcherrimo conditorio dignum eſſet. Sed & incubuiſſe, & indormiſſe eum ſæpe Homeri libris, traditur: vel ex eo, non vulgaris ſciẽtiæ aut iudicij æſtimandus, qui altum & ſuper omne vulgus poetam æſtimaret.

V. Vltimus, inter Græca exempla, PHILOPOEMEN eſto: quem *vltimum Græcorum*, magna eius laude, quiſpiam dixit. Is etſi in militiam ſtudio

& indole propenderet, tamen (ait Plutarchus) *& Philosophorum praecepta ac monita legebat, sed non omnium, eorum dumtaxat, e quibus progressum se ad virtutem sperabat facturum.* Habebat & hoc in ore: *Doctrinam debere ad facta tendere, non otij aut inutilis loquacitatis caussa vsurpari.* Atque vtinam hoc alijs, vt mihi, probet! Sed nos facere id decet, Principes debent.

VI. Ad Romanos transeo. quorum conditores ROMVLVS & REMVS, non tam rusticuli fuerunt, quam vulgo eos faciunt: si verum est: quod Dionysius & Plutarchus tradiderunt, *Gabijs in adolescentia, liberalibus studijs operatos, atque omni eorum liquore perfusos.* Et sane facta atque ordo Romuli, non olent barbariem: minus *Numæ, Seruij*, aut *Tarquinij* regum.

VII. Etsi fateor iacuisse post, aliquot ætatibus, Romæ Doctrinam: donec Græcia capta, ab hac caperentur. Longum sit omnes aut plures dicere: M. CATO VTICENSIS, pronepos illius qui Græcos & omne id genus pelli vrbe volebat, ita studijs eorum se dedidit, vt & in Senatu, obiecta leuiter toga, libros legeret: vir, cuius nomen recte factum defendit, quidquid fecit.

VIII. Quid IVLIVS CAESAR, ille sic acer militiæ, & Martis vere pullus? haud minus Musarum fuit. Scripta eius id docent, quorum pauca exstant, pleraque perierunt: quæ inter ipsos rerum ciuilium aut militarium æstus iactationesque cõfecit. Nec in itinere quidem vacuus:

ſed amanuenſem in vehiculo apud ſe habens, dictanſque aut legens. Itinere Hiſpanienſi, ſpatio XXIIII. dierum, ſiue vt alij, ſeptem, poëma compoſuit quod inſcripſit *Iter*. In ipſa Hiſpania ſub tempus Mundenſis prælij (& quando vmquam magis, non dicam occupatus, ſed ſolicitus?) libros duos de *Analogia* confecit, & totidem *Anticatones*. Mirabitur, qui breuitatem temporis, & occupationes viri nouerit: ſed non mirabitur, qui vigilantiam & inſtantiam, quando pleraque hæc & alia, ipſis noctibus, ſub pellibus ſcribebat. Macte diuini, & indefeſſi ſimul ingenij, vir! cuius & hoc ſignum, quod ſollenne tibi *ſcribere & legere ſimul, dictare & audire* (verba Plinij ſunt:) *epiſtolas vero maximarum rerum quaternas pariter librarijs dictare, aut ſi nihil aliud ageres, ſeptenas*. En aquilam! & quis ad hoc æui ſublime ſic volauit?

IX. Nec degenerauit ab eo OCTAVIANVS, iudicio filius, poſtea Auguſtus. qui *Eloquentiam & liberalia ſtudia*, ait Suetonius, *ab ætate prima cupide & laborioſiſſime exercuit* Ipſo Mutinenſi bello, in tanta mole rerum, & legiſſe, & ſcripſiſſe, & declamaſſe cottidie legitur. Itaque opera pluſcula ſcripſit, quædam & verſibus: à tempore tamen, & eius inuida falce, præſecta. Nec in ſe modo eruditionem volebat, ſed in Adminiſtris neceſſariam cenſebat. adeo, *vt cuidam Legato Conſulari, tamquam rudi & indocto, ſucceſſorem dederit, cuius manu* IXI. *pro* IPSI. *ſcriptum animaduerterat*.

X. TIBERIVS vero, vel ad culpam, vtriuſque lin-

guæ studijs artibusque se dedit. Affectabat enim & rara & obscura,& quæ pauci scirent,scire gloriabatur. Itaque adsidui in cohorte eius Græculi,quos & præmijs honorabat, & quæstionibus exercebat. Hic tamen est Tiberius, cui nemo in calliditate, & firma regendi arte, se componat.

XI. Non eo per Imperatores ceteros: nam quis eorum non fere talis fuit? Vsque adeo vt M. ANTONINO *Philosophi* cognomen hæserit:quod supra alios in eo studio deditus esset, Stoicam etiam sectam professus. Et quis tamen vita melior, imperio mitior,aut felicior dabitur?

XII. Quid autem Christiani deinde nostri? de THEODOSIO IVNIORE traditur, eum historias Græcas Latinasque assidue euoluisse: tam pertinaci in libris studio,vt cum diem militaribus aut ciuilibus occupationibus daret, noctem ijs seponeret. Quin & candelabrum sibi strui adfabre curasse, eo opificio,vt oleum spõte ad lychnum perueniret ac suppeteret: ne vel interpellaretur lectio, vel ministri cum vigilante (ô humanitas!) vigiles essent.

XIII. CAROLI MAGNI amorem & honorem in litteras multa loquũtur. Quid clarius,quam, velut vexillo proposito,vocati vndique viri docti Lutetiam,in castra quædam litterarum! Felicia castra, quæ tot præclaros non milites, sed duces dedistis & datis,in militia hac togata! Sed illud quoque in *Paulum*, Aquileiensis Ecclesiæ Diaconum eminet, genere nobilem, ingenio litterisque nobiliorem. His dotibus conciliatus

tus olim *Desiderio* Longobardorum regulo, dum fata erant: postquam ea ad Carolum transissent huic iisdem caussis carus, & inter intimos familiares admissus. Sed Paulus veteris beniuolentiæ & aulæ memor, consilia agitabat liberandi Desiderij, & è finibus exsilij educendi: quorum conuictus, ipse in exsilium, in Diomedis insulas, seponitur. Sed nec illic fidei aut legum satis reuerens, rupit transscenditque terminos, & ad *Ragaisum* Beneuenti Ducem confugit. Itaque proceres certatim accusant, damnantque capitis duplicem perfidiam: & in ipsum Ragaisum arma suadentur. Frustra, apud mitissimum & literarum amantissimum regem: quod solum nomen & titulus Paulum seruauit, ipsumque cum Paulo Ragaisum ei conciliauit. Impositum modo munus, vt Historias à fine Eutropij scriberet, item seorsim Longobardica, aliaque in profanis aut sacris.

XIIII. Neque abnuo tenebras deinde fuisse, & nescio quo malo fato barbariem: præsertim in Principum aulis, & priuatum modo bonum Doctrina censebatur: an addam, & nunc censeri? Tamen, velut stellæ, interluxerunt pauci. vt ROBERTVS rex Neapolitanus, cui litteræ & litterati percari fuerunt. Ille est qui *Petrarcham*, & poesi, & seriis scriptis nobile ingenium, fouit: ille qui *Boccatium* in amoribus habuit. Quid ipsam doctrinam? vox eius audita: *Cariores sibi litteras regno esse.* Desipuit, an alte sapuit?

∞.ccc.xt.

XV. Et quam similis vox & animus ALFONSI illius

magni, in eodem regno fuit? Neque enim semel edixit: *Malle se omnium regnorum* (septem ea numerabat) *iacturam facere, quam minimam doctrinæ.* Et sane amauit in se, in aliis: & *Laurentium Vallam*, *Antonium Panormitam*, *Bartholomæum Faccium*, *Georgium Trapezuntium*, *Joannem Aurispam*, *Jouianum Pontanum*, & examen deinde iuniorum, huic regi debemus. Ille Athenæa in regnis passim, ille Bibliothecas instituit, aut exornauit: nec gratius ei munus offerri poterat, quam rarior aut electior liber. Quin ipsum *Librum apertum* pro insigni vsurpabat: significans Scientiam Principibus conuenire, ex iis haustam. Et cum aliquando audiret regem Hispanum dixisse, *Non conuenire Principibus litteras:* stomachans subiecit, *Bouis, non hominis, vocem eam esse.* Itaque legit assidue: *Liuium* & *Cæsarem* maxime. nec dies fuit, vt familiares tradiderunt, quin his inuersaretur. Idem, quod miremur, *Annæi Senecæ* magnus amator: adeo vt ipse, suo Marte, in Hispanicum sermonem Epistolas verterit, vsui suæ gentis. Sed nec sacra lectione abstinebat: gloriatusque est, totum *Vetus & Nouum testamentum, vna cum Glosis,* decies & quater se perlegisse. Hæc rex, hæc senex: vbi priuati & iuuenes estis? Senex, inquam. nam vix ante quinquagesimum annum studia attigit, institutione eius in adolescente neglecta. Tunc Grammaticam opera *Martini* cuiusdam didicit: quem ita carum deinceps habuit, vt numquã à latere dimiserit. Videor non de Principe, sed litterione aliquo loqui: at ille etiam

quantus vir belli domique fuit? quam magnus, quam felix rebus gestis? Elogium ei demus. à *Carolo Magno* maiorem virtute & fortuna Principem Europa non habuit.

XVI.

Addamus è Pannonia MATTHIAM CORVINVM regem. qui clarissimo militari patre *Joanne Hunniade* natus, nec in eo studio degener, Doctrinæ istud adiunxit. Ferox ad id æui ea natio, & tota Martis, cultũ ingeniorum morumq; à Matthia accepit: & quis nescit regum exempla subditos æmulari? Itaque Italos Germanosque, siqui litterarum gloria clarerent, euocauit: Bibliothecam instituit in ipsa regia Budæ, rarum thesaurum, & quem cum dolore recordamur Barbaris, cum ipsa Pannonia, obuenisse.

XVII.

An & mulier his se inseret? inseret merito ISABELLA, *Ferdinandi Catholici* regis vxor. quæ ad omnia alta nata, & vere virilium curarum mulier, etiam Doctrinam vnice amauit. Delectatam semper constat (nescio qua inclinatione animi) ipso Latinæ linguæ pronunciatu & sono: nihil vt libentius audiret. Et mox respirans paullisper à grauissimis curis & bellis (reuera enim particeps & thori & sceptri erat:) respirans, inquam statim se ad Grammaticum demisit, eique annum ita assiduam operam dedit; vt Latina non solum capere, sed vertere ipsa in suum sermonem, posset. Sacris etiam & diuinis officiis cum interesset, lapsantes, aut vel in sillaba peccantes sacrificos aduertebat, sed & sæpe admonebat.

Enimuero nec olim aut nunc Barbari (tã clara

XVIII. vtilitas est) ab hoc cultu alieni. testor MITHRIDATEM illum veterē Ponti regem, qui varie, & in ipsa medicina doctus; hoc præfert eximiū Tenuisse vigintiduas linguas, sic vt omnes subditos, quemque sua dialecto, prompte & scienter alloqueretur.

XIX. CHOSROES autem Persarum rex, Iustiniano & Romanis per suas clades notus, & eloquentiam Græcam adamauit, & Philosophiæ ipsius non limen, sed adyta penetrauit. Aristotelem totum percalluisse aiunt, Platonis lineas & numeros: sed & ipsa Græcorum opera in suam linguam multa transtulisse. Hæc aiunt: & demus famam aliquid adstruere: vel conatum ista, nonne magnum in magnis istis regum?

XX. MAHVMETES etiam Turca me tenet, SECVNDVS eo nomine. qui cognitionis illustrium virorum facinorumque maxime cupidus, Historias sibi verti in suum sermonem iussit, Græcas Romanasque: & ipsos viros depingi à *Gentile Bellino*, eleganti pictore, quem ad hanc operam à Venetis exambierat. His ille stimulis, vtinam, ne ad tam alta, & nobis tristia, animum æmulatione erexisset.!

XXI. CAROLVM V. de industria totum hoc agmen volo claudere, & simul salutare monitùm suggerere. Eum magnitudo statim rerum & imperij, tenerum adhuc à studiis abduxit: etsi amorem tamen & reuerentiam non excussit. Ac quondam cum Genuæ oratorem aliquem audisset Latine dicentem, nec plene satis cepisset.

tristi & ingenuo ore confessum Paullus Iouius scribit (is arbiter coram & testis erat) confessum inquam, *Dare se nunc puerilis incuriæ pœnas: & præsagum Hadrianum præceptorem fuisse, qui hanc pænitentiam ei prædixisset.* Credimus optime Princeps. & quam multi hodieque tecum iam grandiores, id est sapientiores, dolent in hoc neglectu? Cogitent parentes, emendent filiorum & publico bono. Voueo.

IVSTI LIPSI

MONITA ET EXEMPLA POLITICA.

LIBER SECVNDVS.

DE PRINCIPATV.

Eum præferendum alijs imperijs videri.

CAPVT PRIMVM.

QVÆ adhuc dixi, etsi ad Principem aptaui, communia cum aliis sunt, & in omni imperio adhibenda. Hunc formare magis, & propius dirigere incipiam: si tamen prius breuiter adstruxero eum, & laudaro. Nam ambigere multos, & disseri varie

de optima Imperij forma olim & nunc, scitum est: at nos istum præferimus, & caussas distincte, & velut per titulos libabo. Primo, quia liquet

Mon. I. *Antiquißimum hunc esse.*

Homines autem primi & origini suæ id est Deo proximi, malis artibus fraudibusque nondum corrupti, censendi sunt optima elegisse: elegerunt Principatum. In familiis, quod primum imperium, vnus fuit. Plures deinde familiæ cognationibus iunctæ, vnum habuerunt: & ex istis societates, conuentus, opida; vnum. donec magna imperia nata, & oppressio cœpit, ab ambitione exorta: & sic quoque fere vnus. Seneca verissime: *Primi mortalium, quique ex his geniti Naturam incorrupti sequebantur, eumdem habebant & Ducem & Legem, commißi melioris arbitrio.* Itaque idem alibi: *Natura commenta est regem. quod & ex alijs animalibus licet cognoscere, & ex apibus: quarum regi amplißimum cubile est, medioque & tutißimo loco.* Sed quibus *alijs animalibus?* in parte alibi explicat: *Mutuis gregibus aut maxima corpora præsunt, aut vehementißima. non præcedit armenta degener taurus: elephantorum gregem excelsißimus ducit.* Idem in ouibus, in auibus, & alio genere congregum animantium est videre. Est igitur antiquissimus, & Sacræ etiam nostræ litteræ ostendunt: in quibus à condito orbe ad diluuium, moderatum in familiis imperium fuit: à Diluuio, ambitio miscuit, & *Nimrodus* Noachi pronepos, imperium in Assyria & finitimis inuasit. Hic est, quem profanæ litteræ

Epist. xci

1. De Clement.

Epist. xci.

(ad primorem ſillabam alluſione) *Ninum* appellant. Sed addo etiam,

MON. II. *Communiſsimum hunc eſſe:*

Neque olim tantum, ſed & nunc plurimo orbis ſic notari. Olim quidem, Sacra dicunt. vbi Iudæi regem poſcentes ſic audiuntur: *Conſtitue nobis regem, ſicut &* VNIVERSAE *habent nationes*. Sed & in Italia primi illi Romani (apud Liuium) *in varÿs voluntatibus, regem tamen* OMNES *volebant*. Etſi poſteà mutarunt, & ad Optimatium ſtatum iuerunt: quid ita? naturali hac ſæpe mutatione, vt à rege in tyrannum, à tyranno ad optimates aut populum Reſpublica eat: iterumque ab iſtis ad tyrannum, & regem. Faſtidio & odio hoc fit, non Principatus, ſed Principis alicuius male eo vſi. Ceterum & vetus hic orbis Principes fere vbique habuit, in Aſia, Africa, Europa (pauca loca, neque diu excipias:) & nouus item repertus, ſic eſt, aut fuit. Argumentum, optimum vſu & ratione eſſe, quod tam diu, & tam multis placuit: atque, vt dixi, ab ipſa natura. Sane rationem ſi excutimus, eam videbis hinc ſtare, ab his cauſſis. Primo dicimus,

I. Reg. cap. VIII.
Libro. I.

MON. III. *Iuſtitiam magis in eo exerceri.*

At iuſtitiæ fruendæ cauſſa Imperia primum ſunt reperta. Ea igitur magis in Principatu floret, vigetque: nec ſunt noxæ aut corruptelæ, quæ in aliis illis formis. Vide. Rex aut ipſe, ius dicit (olim & * nuper etiam factum:) aut qui dicant, eligit & deſignat. Si ipſe, ſupra metum aut gratiam eſt, magis auaritiam: & nihil iſtis,

* Vide hoc libr. cap. XI.

quæ præstringere oculos iudicantium solent, donat. Si alij; sunt tamen ab ipso. & cura elegit, & electis iam superest & intendit. Non sunt iis sic libera iudicia, vt non iudicium huius metuant; & siquid fœdius patrent, pœnam. In alio statu quid simile? Si ad Optimates is; factio, & agnati, & amici occurrent, & alternis inter se ius aut iniuriam gratificantes. Si ad Populum; magis peccabitur, & ita aut affectu damnatos passim videbis, aut dimissos. Ad Athenienses aut Romanos leuiter transi: ostracismi optimorum sunt, & exsilia, & mulctæ. Contra, pessimis honores habiti, & iudiciis per vim & manum etiam erepti. Quid de corruptelis dicam? hic regnant. Secundo,

MON. IIII. *Tranquillitatem & concordiam coli.*

Quod optimum aut optatissimum in Societate est, viuere quietos, à vi & iniuria tutos. Metus vel auctoritas hoc facit Principis. quem vnum omnes respiciunt: qui vnus omnia potest: & ius vitæ necisque habet. Itaque merito animi magis domiti & fracti sunt, & colla ad iugum inclinant. Non sic inter plures dominos: quorum potentia sparsa est, & ideo minor, vt flumen in plures riuos diductum. Alius alium respicit; patronum contra hunc aut illum habet: & addo, quod nec coërcitio seuera aut libera. quia in suffragiis aut comitiis, popularium opera egent. Itaque conniuent & indulgent, gratiam singulorum quærunt. Ita minui-

tur Auctoritas; & quod ſequitur, Reuerentia aut metus, vinculum obedientiæ & quietis. Parte altera minus tranquilli, quia ad rempublicam ſæpe auocantur. ſunt comitia, ſunt leges: & ſuffragia ſua habent. In iis deinde ambitio & factio interuenit: quid præterea? ſeditio ſæpe, & turbæ, atque etiam pugnæ. Vt mare raro quietum eſt, ventos plurimum, & ſæpe procellas habet: ſic reſpublica, vbi comitiorum poteſtas. Noſter Tacitus rem tetigit: *Suſpectum Senatus Populique imperium, ob* CERTAMINA *potentium*, *&* AVARITIAM *magiſtratuum.* En duas aſſiduas ibi Peſtes: *Certamina*, & factiones, & exitum ſiue exitium, Ciuilia deinde bella: *Auaritiam.* & ſunt nundinationes, rapinæ, corruptelæ, in magiſtratibus, in prouinciis, in iudiciis, Tertio, & vniuerſe dico,

1. Annal.

MON. V. *Modum regendi meliorem tutioremque eſſe.*

Princeps diutius imperat, vnus & idem ſemper manet: itaque & diſcit magis aſſiduo ipſo vſu, & rem etiam, vt propriam, cordi habet. Aliter in magiſtratibus, qui mutantur. Sunt fere annui: id eſt, abeunt imperio, cum diſcere imperare cœperunt. Sed neque intentio eadem aut cura eſt, in breui & alieno imperio. Tradunt enim ignotis, aut inuiſis ſæpe ſucceſſoribus: ſatis habent quomodocũque defungi, in poſterum ſecuritate. At Princeps non ſe ſolum cogitat, ſed heredes. Deinde, arcana conſilia aut litteræ ſæpe interueniunt in gubernando: cum vicinis Principibus conſilia aut pactiones, quas

nolint intempestiue vulgari. Quod secretum hic inter plures erit? quis libere accedet, aut tuto credet? Hæc in Principatu cessant. & aut vnus ipse tractat; aut fidi ministrorum, quibus committit. Quid etiam de secreta corruptela dicam, crebra inter plures? Vnus aliquis emi contra rempublicam potest, & sana consilia aut euertere, aut impedire. Athenis suis quam hoc factum Demosthenes conqueritur, à callido Philippo: & *hunc esse scopulum* (ita loquitur) *ad quem res adhærescant*. Quid Romæ? idem: & Tribunus aliquis emptus res turbabat, & hunc aut illum super capita ciuium imponebat. Poëta ingeniose.

Mutatusque fuit momentum Curio rerum.

Ita. vnus Curio à Cæsare corruptus, Cæsarem Pompeio antetulit, reipublicæ & libertati finem dedit. Quarto denique dicimus,

MON. VI. *Maxime hanc imperij formam diurnare.*

An non faciat, cum à Natura maxime & Ratione sit? Deus fauet & tutor est; vnus ille rector, vnius. Vide Status alios, pauci æuum tulerunt, quantumuis legibus bonis & institutis: excipio paruas quasdam respublicas, & validiorum tuitione aut amicitia firmas. Sparta qua nihil videbatur moribus aut viris melius, vix quingentos annos tenuit libertatem. Athenæ sæpe mutarunt, & oppressæ iterum caput extulerunt: sed turbidæ semper, & in metu, aut potentioribus obnoxiæ. Roma quadringentos paullo plus annos liberum illum statum ser-

uauit. Quid ista ad Principatus? Ille Assyriorum, vt à vetustissimo ordiar, *mille ducentos quadraginta annos* stetit: siue, vt alij largius, *mille trecentos*. Ita enim vel Historici, vel Chronici scriptores, consensu tradiderunt: nec Appiano vbi mens fuerit, ego scio. qui initio operis scribit, nec *Assyriorum*, *Medorum*, *Persarum tria regna simul congesta, æquare illud spatium æui potuisse, quod in Romano imperio ad suum illud tempus esset*. Profectò fallitur: nec excuses. nam à Roma condita ad Hadriani æuum *nongenti* circiter anni sunt, & sic ipse supputat: quanto plures, vt dixi, in solis Assyriis? Iam Medi *ducentos sexaginta* fere annos vindicant: Persæ *ducentos triginta tres*. Quamquam de Persis, mirum & notabile, haud diu ab Alexandro iterum reuexisse, & vires regnumque recepisse, duce Arsace quodam (vnde *Arsacidæ*) sub bellum Punicum primum, siue annum vrbis D. III. Sed quia tamen initium asserendi à *Parthis* fuit, inde Romani atque alij, Parthorum hoc regnum appellarunt: reuera tamen in iisdem fere gentibus & finibus, mansitque ad *Alexandrum Mammææ* filium, per annos circiter CCCC. LXXX Tum iterum nomen *Persarum* surrexit, duce *Artaxerxe* quodam, qui *Artabanum* demouit & sustulit, vltimum Parthorum Regum. Exinde autem ad hoc æui (diuturnitatem agnosce, & mirare) Persæ viuunt & regnant, etsi grauiter ab *Heraclio* Imp. contusi, postea à *Tamer lanco*, & nuper ab vtroque *Selymo*

Turcarum, auo & nepote: sed viuunt. Quid de *Aegyptiorum* olim regibus dicam? millia plura annorum numerant, ad vltimam Cleopatram. Quid hodie de *Sinarum*? iidem millia: & à *Vitæo*, qui primus fuit, ad *Bonogum*, qui nuper imperitabat, reges in serie continua habent *ducentos quadraginta tres.* Rarum exemplum: neque in nostra Europa reperiendum. Tamen & in ea Principatus longæui. Gallorum regnum potens & florens, à *Faramundo* primo rege vsque ad *Henricum* IIII. qui nunc feliciter regnat, computat *sexaginta tres* reges: idque per annos ∞. c. xc. At in Hispania Gothorum reges ab anno Christi cccviii. ad *Rodericum* & Maurorum inuasionem numerantur *tringinta nouem.* Et sanguis quidem ille, sed non regnum defecit: suscepitque *Pelagius* anno Christi DCCXVII. à quo perpetua serie, nec interrupta, ad *Philippum* hunc III. sunt reges *quadraginta octo.* Alia exempla in minoribus Principibus liceat dicere: omitto, sicut & Respublicas minores. Sola *Veneta* est, quæ æuum *millenarium* iactet: felix fati, sed & legum atque institutorum felix, quibus velut vinculis firmata est adhuc contra lapsum. Maneat, Floreat, fauemus & vouemus.

In eo Viros Fœminis præferendos, & has vix feliciter imperare.

Cap. II.

PRincipatus igitur optimus, & cum Solone,

Εὐδαίμον πτολίεθρον ἑνὸς κήρυκος ἄκουον:

Felix vrbs, quæ iussa vnius Principis audit.

ſed quis ille Princeps eſſe debet, vnius & melioris, an & alterius ſexus? Vtrimque argumenta & exempla ſunt: ſed magis pro nobis. Vir ad virtutem, ad regimen natus: animo, corpore, voce: viſu robuſtior, & quem magis vereare, aut venerere. In fęmina omnia leuia, mollia; quę amorem, non reuerentiam creent. A natura ipſa timidæ magis ſunt, quam timēdæ. non igitur hic Auctoritas. Iam in viro prudentia & conſtātia: in illis calliditas aut argutiæ, imbecillitas deinde iudicij, & in decretis ſenſibuſque Euripus. Septies in die mutant. Raro etiam altum aut honeſtum ſpirant: ſunt in vanis aut vilibus curis: non ergo ad ſceptrum & publicum decus idoneæ. Duæ etiam virtutes Principum primæ, Iuſtitia & Fides, firmiter vix ſunt in iſtis. Non prior, quia inclinent facile & miſerantur: faciliime & gratiæ aut affectui obſecundant. Non altera, quia mobiles ingenio ſunt, & mutant vt ventus. Ne Clementia quidem ſit, quæ putetur: & benignior ille vultus, neſcio quomodo

sæuum sæpe animum & vindicem celat. Quid de lasciuia aut luxu dicam? vtrique vitio opportunas scimus, & pudorem atque opes prodigere: præsertim cum sui iuris ac spontis, frænum non habent quod adstringat. O quale regnum, vbi *Cleopatra* aliqua, *Messallina*, aut *Ioanna Neapolitana* imperat? Neque sine caussa Sacræ litteræ inter pessima comminantur: *Fæminarum imperijs subiectum iri.* Sed parte tamen altera, exempla nos redarguant, itemque instituta gentium. Nam & alibi succedunt in regna, & feliciter atque industrie administrarunt: cui rei vtrique lubet exempla ex Historiis dare, ac primum;

Muliebris imperij infelicis.

I. LAODICE *Ariarathis* Cappadocum regis, cum marito mortuo in regni administratione esset, quas clades, in media pace, dedit? Sęuiit passim in proceres, & in vulgus: parum est. seuiit in liberos, & suum sanguinem & (ô sancta Pietas:) sex ex se natos veneno omnes sustulit: qua caussa? tantum, vt diuturnior in imperio esset. Vnus paruulus fato euasit Medeam illam: quem populus mox ad regnum sustulit, illa prius communibus votis & suffragiis exstincta. sed quid? vna & simplici morte exstincta; quæ toties paricida, tot culleos meruisset.

II. Tale olim, & vetustius, in Sacris litteris, malum nomen ATHALIA, quæ Iosepho est *Gotholia.* Ea cum filius *Ochozias* per insidias interfectus esset, inuasit ipsa regnum: & nepotes

ex eo, & totum ſemen regium ſuſtulit: conniuente in ſex annos diuina Nemeſi. donec *Joas*, à muliercula cædi ſubductus & ſeruatus, & iam adultior, regnum, & tot agnatos vindicauit, bellua illa occiſa. Nam quid fæminam dicam, ſupra omnes feras immanem & ſæuam?

III. Tragicum aulæum complicemus, ſcænicum ſiparium aperiamus: & laſciuiam pro ſæuitia magis demus. CLEOPATRA in theatrum veniat, à paruula ad nequitias, libidines, & luxum facta. Tirocinium fuit in *Julio Cæſare*. qui cum Alexandriæ obſideretur; illa velut fati præſaga, fratrem *Ptolomæum*, & potiores (vti videbantur) partes deſeruit, ad Cæſarem tranſlata. Vere, inquam, tranſlata. nam & hunc aſtum ad fallendum, & tuto tranſeundum, cogitauit. Portæ ſeruabantur, atque exitus: illa *Apollodorum* quemdam inducit, culcita ſe inuoluere & aſtringere, vt ſarcinam: ac ſic in regiam, vbi Cæſar, deferre. Factum eſt, deponitur ante pedes eius: & ecce ſoluta emergit Venus, non è mari, ſed è culcita: & culcitellam mox ſe Cæſari ſubſternit. Nam ille, etſi in medio actu & æſtu etiam rerum, tamen & ingenio illo, & mox forma ac lepore captus, adamauit: & pretium libidinum adoleſcentula necem fratris, & regnum Ægypti, tulit. Hoc, vt dixi, tirocinium fuit: fallor? an virgineam prætextam iam in amoribus *Cn. Pompei* filij paulloante poſuerat? quod credere nos Plutarchus, bonus auctor, iubet. Credo tum, cum

missus ille à patre in Ægyptum, ad arcessendam classem & auxilia fuit. Sed hæc puella peccauit: quid iam mulier? flagitia, cum ætate, magis adulta. Post pugnam illam Philippensem, *M. Antonius* & *Octauianus* partiti inter se sunt operas; vt alter in Italiam rediret, & veteranos in agris disponeret: alter in Asiam & Orientem iret, pecuniæ vndique corrogandæ. M. Antonio istud euenit. qui dum reges, tetrarchas, vrbes, omnia excutit, & colligit: visum & de Ægypto cogitare, illa diuite, & quæ offendisse videbatur, non semel auxiliis aduersæ parti submissis. Nam ipsa Cleopatra *Cassio* suppetiata dicebatur. Itaque, etsi succinctus iam ad Parthicum bellum, tamen *Q. Dellium* Senatorem ad eam mittit, & questum simul & denunciatum, vti in Ciliciam sibi occurreret ad dicendam caussam. Ah miser! ad caussæ dictionem euocas, tuam mox dominam & arbitram, & apud quam fatalem seruies seruitutem: Dellius venit, fæminam videt, & homo sagax quid futurum præuidet: quippe & huius Veneres, & simul obnoxium talibus Antonium norat. Itaque captare iam nunc huius gratiam audacter monere ad Antonium iret: mite & venustum ingenium reperturam. Persuasit, & conscia formæ erat: ac pro ea, & spe quam agitabat, cultum & comitatum sumpsit. Cydno fluuio subuehi se molliter iussit, naui aurata, remigio argentato, velis purpureis, ad modulos tibicinum & citharœdorum. Ipsa recumbebat sub cælo aureo, gemmis distincto,

ſtincto : pueri formoſuli , habitu Cupidinum adſtabant & miniſtrabant, quidam ventulum ei facientes. Virgines & ancillæ , inſtar Nympharum , per foros & tabulata nauis diſponebantur. Ad ripam vtramque frequentes ab obuijs,& viſoribus,aræ & odores. Quid verbis opus ? paſſim voces (& res ita erat) *Venerem ad Bacchum venire comeſſatum*. Iam propinqua Antonio erat. & ille, magnitudinis ſcilicet Romanæ retinens , pro tribunali etiam ſedere, atque eam exſpectare : quid niſi ſupplicem & excuſaturam? At vide fiduciam. recta in hoſpitium abit:& Antonius, ab omni cœtu deſtitutus, relinquitur ſolus. Itaque ſubmittit paullum faſces,& ad cænam eam inuitat. Recuſat,& excuſat : quid iam Antonius ? male ſumptam perſonam abijcit , & prior atque vltro ad eam venit. Cenat ibi,edit & bibit amorem : quem illa non tam vultu,vt aiunt , quam verbis & ingenio inſpirabat. quæ vtraque tam mirifica poſſidebat, vt ſemel audita caperet & deuinciret. Argumentum ſane ingenij , quod varias linguas docta, Hebræum, Græcum, Arabicum, Æthiopicum,Parthicum ſermonem efferrēt,ſcito & natiuo cuiuſque ſono. Hem M. Antoni quid facis? ictus es,habes : & omiſſo bello omni, aliā militiā militas, & cum tua rea in Ægyptum,id eſt in caſſes & carceres eius vltro abis. Ibi quę delicię, luxus,conuiuia? Non *Fuluia* tua abſtrahit, mori in angore & æmulatione adacta. non poſtea *Octauia*, noua vxor : hæres, peris, ipſa tecum, & cum vtroque (infelicis fæminei regni exitus)

ipsa Ægyptus.

IIII. Quid MESSALLINA in Romanis? illa sæuitiæ, auaritiæ, impudicitiæ, impudentiæ, omnium flagitiorum (fas sit in illa sordida tali verbo vti) cloaca. Hæc vxor erat *Claudij* Imperatoris; nomine quidem. sed quem ipsa & liberti, vt elephantum paruus æthiops, regebant. Itaque iure hanc pono inter imperantium exempla. Omitto cædes tot nobilium, quas patrauit, tot exsilia & fugas: in libidine non credo ab æuo tale monstrum fuisse. Cottidie adulteria, nouæ conditiones & admissarij: nec clam, sed in ipso Palatio, coram matronis & viris, quasi infamia delectaret, Veneriabatur. Quin noctu, veste tecta, & Messallinam dissimulans, ad publicum lupanar ire solita, prostare inter infelices illas victimas, cellam suam & titulum habere. accipere æra & poscere, & explere libidinem nec satiare. Quid etiam? marito ipsi illudere, & hunc adigere non testem flagitiorum, sed exactorem. Vide. Erat *Mnester* quidam, nobilis Pantomimus, in quo ardere mulier cœpit: & pro sua verecundia, solicitare ipsa, & poscere. Ille subduxit, & renuit, Principem reueritus: siue etiam veritus, ne torum eius non impune macularet. Mulier ad hoc ridere. & *Quid ais?* inquit *si ipse Claudius meus iubeat, parebis?* Incredibilia videbantur: fiunt. It ad maritum, persuadet illi stipiti, vt Mnesterem vocet, & iubeat, in omnibus dicto sibi audientem esse. Factum est: & mox histrio libere, quasi iussu domini, res do-

mini egit. Estne quod supra etiam possit? mulier repperit. Vulgaria adhuc hæc probra videbantur: nouum excogitat, & cui post factum vix sit fides. Erat *C. Silius* Romanæ iuuentutis pulcherrimus. hunc allicit, fruitur, & palam in amoribus habet. Præmium etiam eorum, facit Consulem, opes & decora Aulæ ad eum transfert: & iam colebatur, velut alter Princeps. Non est satis: oportet languentis voluptatis nouum aliquod esse condimentum. Itaque hoc addidit, vt maritum eum palam caperet: viuo marito? viuo: Principe? Principe. Nec longius differtur, quam dum maritus Hostiam iret, & quasi de compacto paullum secederet. tum nuptiæ, & nuptialis tota pompa: flos Senatorum & Equitum adsunt, mensæ apparantur, lectulus Genialis sternitur, auspices adhibentur, alia sollennia: quin & in mariti gremio noua nupta recumbit, oscula, complexus, & reliqua licentiæ coniugalis. Dum scribo, stupeo: & adhuc etiam Claudius, nec excitabatur, nisi liberti, & in quorum manu res erant, metu mutationis, eum commouissent. Itaque tandem finis fabulæ impositus, venit Romam, tollit æmulum, & mox coniugem: nec id quoque, sine astu liberti.

Consortem an non liceat addere FAVSTINAM, & hanc etiam Romani Principis coniugem? Agebat in matrimonio M. ANTONINI *Philosophi* cognomento, optimi non Principum solum, sed virorum. Infelicem tantum hac fœda labe! quia & hæc libidinum sic promiscua

& vilis erat, vt vulgo se vulgaret: in balneis, in arenis, & Xystis, vbi homines nudabantur, legere conditiones solita, & bene vasatos adnotare. Atqui non imperauit, inquies. Dedit qui imperaret *Commodum*, non falsa opinione, gladiatore genitum: & hic rem Romanam perdidit, ab illa matre.

VI. In Galliam transeo, vbi reginam video FREDEGVNDIM, nec scio an scelestius aliquid Sol vidit. Ea diu pellex duarum reginarum, *Chilperici* regis Galliæ vxorum: alteram *Andoueram*, vt pelleretur, effecit: alteram *Galsuindam*, per insidias curauit occidi. Ita totum Chilpericum, & sola iam possidens, legitimam vxorem & reginam egit: sed, pro ingenio, parum fidam. Nam cum *Landrico* magistro equitum furtim consueuerat: & res marito casu quodam detecta fuit. Ibat venatum, & vxorem conspicatus, quæ capillum comebat, & lotum siccabat in sole, accedit tacitus, & per lusum à tergo virga percutit. Illa suspicata amatorem suum esse, & nomine compellans, *Quid agis mi Landrice?* inquit: *quin si vir es, aduersam me, non auersam pete.* Confessio flagitij erat: & cum dicto se obuertit, plura etiam dictura: sed attonita maritum videt, & silet. Etiam ille, & porro venatum, vt instituerat, pergit: iram coquens, & vindictam, vt res erat, meditans. Sed præuenit mulier, & Landrico suo vocato: *Perijmus vterque*, inquit, *incauta mea voce:* & rem narrat, additque: *Quid stupes? virum ostende: patiendum, aut patrandum est scelus.* Landricus suo metu, & illo stimulo excitatus, rem

ſuſcipit : deligit duos è fidiſſimis , qui Chilpericum ſera nocte è venatu redeuntem , turbæ mixti , ferro inuadunt , & ſinguli ſingulis ictibus conficiunt. Clamor eſt ab ignaris , & conſcijs : atque iſti , quaſi externæ inſidiæ eſſent, *In ſiluas* , vocem tollunt , eoque ſe proripuiſſe paricidas. Ita auctores celantur : & felix Fredegundis ad alia ſcelera animum adijcit , infenſa in primis *Prætextato* Rhotomagenſium antiſtiti, non ob noxam aliquam, ſed viri eximiam virtutem. Itaque lætiſſimo die Paſchatis , cum in frequenti templo ſacra perageret, non Deum non homines verita , percutiendum curauit letali quidem vulnere , ſed cui aliquamdiu ſuperuixit. Mæſta eoipſo , venit viſere , ſiue vt exploraret , ſiue vt oculos in eius angore paſceret : atque ibi belle, vt putabat , diſſimulans, queſtus & iram miſcuit , quod in tali die & loco , in talem virum , patratum eſſet facinus , & auctor lateret. Sed Prætextatus , vicina morte liberior : *Minime* , inquit , *latet. & teſtor me eius ſcelere percuſſum, quæ reges occidit.* Bene ille de regibus, nam præter maritum ſuum , etiam fratrem eius ſuſtulerat *Sigibertum* , Mediomatricum (vt tunc diuiſio erat) regem. Suſtulerat autem ſcelerato aſtu , immiſſis duobus percuſſoribus : quos cum facinus exſecuti eſſent, ilico iuſſit interfici : vt vocem cum vita amitterent, & in tuto auctor agitaret. Ita iuſtitiæ victrix, ſi non famæ, egit: & paullo poſt *Childebertum* etiam regem , prelio prius victum , cui ipſa interfuit ſtans in prima acie , veneno tolli cum

vxore, eodem vtrumque die curauit. Quot palmas vna mulier meruit? habeat: & sicca etiam suaque morte abeat, Prouidentia apud imperitos laborante.

VII. Fastidio eiusmodi narrationum: nam quis modus sit, si velim persequi? Ecce in vno Neapolitano regno duæ IOANNÆ, æuo suppares, in nequitia compares: quarum flagitia atque etiam scelera (nam & hæc mixta semper adulterijs) Annales texam, si velim recensere. Et propero magis ad alia Exempla: neque enim desunt ea.

Muliebris imperij boni, & felicis.

I. PHILE vxor *Demetrij* regis, filia *Antipatri*, illius qui Macedoniam & Græciam viuo mortuoque Alexandro gubernauit. Hæc iamtunc puella, & in annis teneris, natiua quadam prudentia sic visa excellere, vt ipse pater consilia ab ea peteret, & audiret. Pater, ille senex, ille vsu & tractatione rerum sic peritus. Quid Demetrius, cum iam vxor eius esset? erat ipse vario ingenio, & vitijs propior: sed mira temperie hæc maritum flectebat, ne dicam regebat: calumnias supprimebat, iras mitigabat, iusta & honesta inserebat. Iam populi vere mater, tenuiorum filias dotibus datis elocabat: afflictos à fortuna releuabat, bonos prouehebat: quid apud ipsos milites? Saluo pudore fæmineo, & ijs se miscebat: alloquebatur, erigebat, tanta auctoritate vel gratia, vt sola tumultuantes repressserit, & in seditionem lapsos reuocarit. Quę fides deinde & amor in ipsum maritum (cum

victus à *Pyrrho* rege esset, castris ac regno exutus: viuere non vltra sustinuit, & morte spontanea inuidiam Fortunæ fecit.

II. Æuo, non animo, inferior ZENOBIA Palmyrenorum regina. Hæc stirpem & sanguinem à *Ptolomeis*, & ipsa Cleopatra, sed non mores (dij boni, quam aberat!) ducebat. Vxor erat *Odenati*, fortissimi viri, & qui ad imperium Romanum ausus adspirare. Illo viuo, ijsdem cum eo exercitijs, in venatu, in montibus, in siluis, in ipsa militia vti. Amans eius vtique, sed ob matrimonij finem, liberos: quos vt concepisset, tangi à marito mox abnuebat. In alijs virtutibus, scientiæ etiam auida: & historiæ Orientalis ita perita, vt ipsa eam suo stilo in compendium redegerit, vsui posterorum. Nec Græci Latinique sermonis, aut rerum ignara fuit. Forma autem corporis egregia, *oculis supra modum vigentibus* (verba Pollionis dabo) *& nigris: tanto candore in dentibus, vt margaritas eam plerique habere putarent, non dentes. Vox præterea clara & virilis.* Cum his dotibus, vt dixi, nupta, & forti quidem viro, etsi haud felici. Nam Gallieno illo ignauo Imperatore, cum decus omne imperij labaret, aut rueret: ipse Persidem & Orientem inuasit, quasi *Valerianum* captum, & Romanam ignominiam vindicaturus. Res magnas gerit: adeo, vt ipse Gallienus consortem imperij sumpserit, & vltro Augustum declararit. Nec diu in hoc honore, insidijs *Mæonij* consobrini sui vitam & potestatem amisit, aut hâc potius transmisit. Nam Zenobia illa vxor, laborum & victoriarum

ante particeps (assidue enim comitari maritum, ipsa etiam sub armis, solita) imperium suscepit fortiter, & gessit. Bella cum Romanis, & *Aureliano* Principe habuit: Ægyptum inuasit, & victo ac cæso eius præside *Probo*, occupauit. Denique Aurelianus, sed ægre, fregit, non enim profecto vicit: imo velut tacito pacto, passa in triumpho se duci, sed vt vitam & dignitatem in parte seruaret. atque adeo sunt, qui filiam eius Imperatori dicant nuptijs iunctam: imo & stirpem eius diu post Romæ, inter illustres familias floruisse.

III. Hæc militaris fœmina: pacatius exemplum PVLCHERIA dabit. Ea *Theodosij* iunioris soror, vitam & virginitatem Christo deuouit: paullo maiore natu, quam ille. qui septuennis fere à patre *Arcadio* relictus, hanc habuit morum & institutionis magistram. Atque adeo iam grandiore illo, adhæsit, & curas imperij participauit: salubriter omnia, & pie, modesteque disponens. Et vero quamdiu habenas tenuit, felix imperij & rectus cursus: postquam inuidia aliorum, & calumniis Eunuchorum (*Chrysaphij* præsertim) submota est, & loco pulsa: contulit ea se in *Hebdomon*, locum Byzantio suburbanum, atque ibi summa pietate & quiete victitabat. Donec post annos septem, fraude calumniatorum agnita, & imperio vndique concusso, fulcrum iterum rebus labentibus adsumitur, aut reparatio iam lapsis. Fit vtrumque: & restituit pleraque omnia, aut tuetur. Specimen animi eius & prudentię hoc esto.

Frattem Theodosium videbat, & dolebat, temere libellis sæpe subscribere, & nec lectis: aliena commendatione aut fide, vt fit, nixum. Dolum bonum hunc repperit, ad emendandum. concepit enim & ipsa libellum, atque obtulit: quo *Eudociam* eius coniugem petebat mancipari sibi in seruitutem. Capit, & subscribit statim: quidni in sororis petitione? atque illa, scænæ instruendæ caussa, Eudociam apud se aliquamdiu habet. Miranti, & euocanti, negat missuram, & suam eam, vti quæ OPTIMO MAXIMOQVE iure, esse Profert manum & subscriptionem, confuso iam il i, nescio an emendando. Reuera enim secors ingenium fuit, & alter Claudius, in fæminarum aut effæminatorum (Eunuchos intelligo) potestate. Mortuo autem illo, & sine liberis, re celata, *Marcianum* euocat, vita & bello bonum, & ad imperium producit. Quoque magis commendaret, nuptias suas ei donat, sed titulo tenus: stipulata, ne sacrata Deo virginitas libaretur. Rexit cum illo annos aliquot, mirifice à nostræ religionis apicibus, *Leone* Pontifice, *Hilario* Episcopo, aliisque laudata Vixit annos circiter LVI.

IIII. Similem, non enim parem vndique, ei iungo ISABELLAM *Ferdinandi* coniugem, Hispaniarum reginam. Parem? in quibusdam superiorem, & sola fortasse virginitate cedamus. Hæc, si pietatem spectas, in sacrorum cultu mirifica, & assidua, nulla occupatione aut delectatione demoueri, horas suas Canonicas (vt loquimur)

ſacerdotali exemplo cottidie legere : ipſos ſacerdotes honorare, templa exornare. Atque id ſuis aut ſuarum fere manibus. cum & ipſa acu pingeret aulæa aut veſtes, aut à familiaribus puellis pingi texique iuberet. Iam reliquæ virtutes inſtructæ huic fundamento. caſta, ſic vt nec rumor de ea mentiretur, & maritum pariter eo ducens, pellices, amicas, & id genus callide ſcrutata, & ab Aula amolita. Frugalis adeo, vt in omni vita nec vinum libarit: quæ virtus fomes, vt ſcimus, eſt caſtitatis, & modeſtæ grauitatis. Quam ſane habuit, exoſa mimos, ſcænicos, ludiones, totum hoc leuitatis inſtrumentum, & nec priuatim aut publice audire ſuſtinens, vel ſpectare. Eorum vicem, viros graues, matronas ſerias apud ſe habere: item pueros aut puellas nobiles, & vtroſque, pro ſexu, artibus ſtudiiſque informare. Aula illa, nil niſi palæſtra honoris & virtutis erat. Itaque inſignes viri, etiam militia, ex ea prodierunt: & magnum illum *Conſaluum*, cui regnum Neapolitanum Hiſpania debet, hæc refert expenſum. Matrona ipſa ciuilium rerum gnara, bellicarum nec ignara. Quid magni in regno ſine illa, imo niſi per illam fere, geſtum eſt? Rex maritus & conſiliarij, vſu edocti peritiam eius & felicitatem in ſententiis, quæ edicebat pro oraculis (nec id per adulationem) amplecti. Illa factionibus, latrociniis, infeſtum regnum purgauit, & pacauit: illa Iuſtitiam reſtituit, potentiorum iniuriis exſulantem. Et quid alia com-

memorem ? quam in grauia animaduerterit, argumentum esto : quod nec aleæ aut tesseræ ludum tolerauit, & edicto vetitum sic repressit (etsi prona eo gens est) vt nec furtim & in angulis luderent, soliti in cauponis, viis, angiportis. Iam vero & militiæ non consilio tantum, sed opera interuenit : modesta quædam *Zenobia* : & bellum Lusitanicum, absente marito, confecit, & Maurico siue Granatensi, quod plures annos traxit, pluries interfuit, & summam manum præsens cum marito imposuit. Magni ad omnia animi, & res spesque magnas complexa. itaque Nauarræ regnum consiliis eius iunctum, Canariæ insulæ occupatæ, & insessæ, ipse Nouus orbis, Naturæ occultior pars, per eam retectus & subiectus. Nam maritus, cetera vir egregius, restrictior aut timidior erat, retinere sua melior, quam augere. Hæc dilatabat. & cum *Christophorum Columbum* diu rex duxisset, & ad extremum destituisset : bono Genio stimulante ad ipsam Reginam venit, conatus suos & perficiendi vias exposuit, & instrumenta, id est naues, viros, arma ab hac impetrauit. Salue, salue heroina, priscis par aut maior : & in qua iure claudam exempla fœminei boni imperij. quid enim tale addam?

DE ELECTIONE.

Quæ commendare eam, quæ abiicere poßint.

Cap. III.

VIRI igitur potius imperent, & ſoli. Sed quomodo? Electione, an Succeſſione admoti? Electio antiquior videtur, & heroicis illis temporibus vix aliter factum, & Principatus pace aut bello, virtutis aut roboris prærogatiua aſſignati. *Naturæ enim eſt*, ait Seneca, *deteriora potioribus ſubmittere.* Itaque Braſilienſes quidam, cum ad *Carolum IX.* Galliæ regem Rothomagum deducti veniſſent, valde mirabantur, *Quomodo validi illi & proceri viri* (Heluetios intelligebant) *parerent paruo & tenello regi.* Nimirum pro ſuo more, & ſenſu, iudicantes: ſatis læue, quaſi à ſola corporis magnitudine præſtantia eſſet. Sunt etiam rationes, quæ commendare Electionem videantur. Prima, quod optimi & aptiſſimi per eam capi, non item à Succeſſione poſſint, in qua quoſcumque genitos admitti. Item, quod iuſta ætate capi, & idonea iam regere: aliter in Succeſſione, vbi pueri ſæpe aut infantes ius ſumunt. Deinde, quod regnum ita moderatius videatur. cum nec innutriti ſunt potentiæ, & ex ea ſuperbiæ, & quod neque proprium habeant, ab aliis acceptum, ad alios tranſmittendum. Eo minus intendunt imperium, aut ſubditos opprimunt: in quem enim

post-vsum? Aperitur & virtutibus campus: ac multi ad eas adspirent, vel ipsi Principatus. Hæc & talia Aristotelem mouerint, vt Carthaginienses laudaret hoc nomine, & Spartiatis præferret, qui stirpe reges legebant. Sunt & hodie, aut nuper fuerunt inter Christianos, electi reges: hodie quidem Poloniæ, nuper Bohemiæ, Daniæque. Ista pro Electione, plura in eam possunt. Primo quod dicitur, veterem esse, fatemur, sed vsus illis rudibus subiecit, hic & alibi, meliora. Additur, optimos sic posse eligi: & verum. est sed etiamne eligi? si rem & experimenta vides, sæpe falsum. Rara electio, quæ sine priuato cuiusque affectu aut respectu fiat: nec rei publicæ vtilissimum, sed suæ legunt. Quærunt opportunos. vt omittam, pecuniam & corruptelas suffragia sæpe trahere, & rem geri promissis donisque. Atque ea nec fortasse meliore aliquo sæculo excludas: sicut nullo, odium aut amorem. Nicetas Choniates in hac re prudẽter iudicat, vbi res *Alexij* Imp. Græcanici narrat: qui fato vicinus, & sine liberis, de eligẽdo successore cũ suis agitabat. Scribit: *Igitur alij atq; alij variè nominabantur, sed omnes qui sibi opportuni aut vtiles essent, nominabant. De eo autem eligendo, qui optime & ex vsu publico imperaret, nulli cura aut cogitatio erat.* Verissima dicit, & vsu probata ac probanda. Iam quod tertio inquiunt, iustæ ætatis, & maturæ imperio, sic eligi: ita habet, & commodum est. Sed enim illud adhæret incommodi, quod regnum interea vacat, nec possessorem habet. Quod siquis considerat, maius

malum est, & plura sæpe daturum, quàm imbecilla in imperio ætas. Sane vbi interregnum est, iustitia & leges silent, licentia & vis valent: atque id sæpe hebdomadas, menses, annos manet. Quæ interea confusio, aut scelera sunt? quæ ambitio & prensatio? per quas fraudes, & artes? Germaniam vide, vbi Imperator demortuus: boni omnes in præsenti & futuro sunt metu. Ipsa Roma nunc, in sacrorum Pontifice, hæc mala est cum sentit. Quid deinde in eligentium dissensu? dissidia, & bella. Quæ nec inter paucos electores semper effugias: appello ad illos Imperij Septemuirales. Appello ad ipsam iterum Romam: & cum noxa religionis, & pæne dicam probro, audiimus legimusque, plures vno tempore Pontifices, à tali caussa, se gessisse. Nota mihi istud, & incertum illud fluctuansque in successione: magna ratio & efficax est, ad totam Electionem repudiandam. Iam quartum erat, Moderatius ita fore regnum. Non abnuam: sed addam, solutius etiam, & minore cura administrandum. Vt quid enim rei nec diu meæ, nec posteà meorum, nimis acriter intendam? Frui satis est. Obnoxij etiam viuunt, siue iis qui elegerunt, & quibus hoc velut beneficium debent, siue omnibus, qui in occasione minuere possunt potestate, aut priuare. Poloniam adi: hæc fiunt. Itaque & Iustitiam minus coli, necessum est: & Principem indulgere, aut oculos claudere, in potentium noxis. Dixi etiam, minus curæ aut custodiæ esse

regnum: an non ita est? Germaniæ Imperatores video, ex facili aut opida, aut prouincias totas, vel liberis agnatisque suis, vel & exteris, auulsas à corpore contribuisse: sæpe per gratiã, aliquando & pecuniam aut mercedem. Non sic fiet in proprio & hereditario regno. Neque Principes solum secordes: sed ministri eorum tunc tales. Nã & ipsi futurorum securi, præsentibus inhiant, lucellum in omni occasione captant, subitis auidi, & vt inter incerta festinantes. Iam quintum illud, Virtutes sic excitari, vix colorem habet. Valde scilicet, quia vnus aliquando, nec merito sed casu, bonus eligitur, boni esse elaborent. Si ad euenta imus, quocumque in regno, Electiones mixtas videbis, & sæpe deterioribus pronas. Vel Roma in Principibus suis, vel Germania, dicat. Vltimum, Aristotelem approbare: & hodieque alibi esse. De Aristotele, non mirum: Græcus & liber regna amat proxima libertati. De vsu hodierno aut nupero, leue est: nam præponderant exempla alia, & pro vno Electionis, centena sunt Successionis. Quæ vis hic igitur? Quod si illud dicatur, etiam nunc melius regi aut crescere regna ab Electione: magnum sit. sed non dicetur, & oculi ac sensus refutabunt. Ego vero amplius dico. vbicumque bonum & laudabile regnum fuit, in Perside, in Macedonia, in Ægypto, in Sinensibus, in Hebræis ipsis, Successionem valuisse: etiam in Romanis, quoties Principum liberi aut genitura, aut (quod laxius) adoptione essent. Iterumque am-

plius dico. nec fuisse vlla Comitialia regna, nec fore diuturna. Exoritur semper aliquis, animo & consilio inter Principes maior, qui creditum vni sibi regnum, suis stabilit gratia, arte, præmio & vis interdum adhibetur. Dania & Bohemia ostendunt, alia magna regio fortasse ostendet. Sed in fine non me teneo, quin Nicetæ etiam verba, & ego eius sensibus, subscribam. Exclamat: *O quanto deterius est multorum suffragium & electio, quam vnius! Tu inclytum Romanum imperium, & gentibus adoranda maiestas, quos tyrannos pertulisti? quales amatores te petierunt? quibus substrata, tui copiam fecisti? quales corona, & diademate, & puniceo vestitu exornasti? Grauiora vtique tulisti, quam Penelope procorum illa frequentia obsessa.* Res ita habet. Romanum imperium statim à *Claudio*, qui primus à milite electus est, & fidem eorum præmio pignerauit, in vilissima capita & pessima hac Electione venit: Electione, an palam Emptione? Nam & hoc scimus, velut sub hasta, vænale pependisse: & non aliud magis clarum certumque exitium rei Romanæ fuisse. Sed exempla quædam Electionis videamus, bonæ aut malæ mixtim.

I. AVRVNCANI populi barbari sunt, in Peruano tractu. Ij à solis viribus corporis ductores legere soliti: experti eas in graui aliquo ligno. quod qui diutissime humeris baiulat, nec succumbit, putatur & regendi oneri par futurus.

II. Melius qui ab animi viribus aut præstantia sumunt: quod Romani olim veteres in suis

regibus,

regibus, *Romulo, Numa*, *Seruio*, vix alio aſpectu fecerunt. Secuti quam aliter? & ſtirps Auguſti cum defeciſſet, caſus aut corruptio Principes fere dedit. Primum in CLAVDIO. qui C. Caligula occiſo, rumore cædis exterritus, & ſui quoque anxius, prorepſit ad ſolarium, & inter ianuæ prætenta vela delituit. Miles aliquis è Prætorio, diſcurrens ad prædam, hunc repperit, protrahitque: & interrogato Quis eſſet? acceptoque, impetu aut inſtinctu, Principem ſalutauit. Quanta vnius, & gregarij quidem, in re tanta audacia? Produxit ad alios Prætorianos, fluctuantes adhuc, nec aliud quam frementes: qui vt cælitus oblatum arripuerunt, & lecticæ impoſitum in caſtra ſua, viciſſim ſuccollantes, tulerunt. Senatus & vrbanæ cohortes diſſidebant, & Libertatem præferebant: inane nomen vicit militaris electio, & fatale Romanis ſeruire. At Claudius iam imperij compos, vt militem magis obſtringeret, *quinadena ſeſtertia* ſingulis (ſunt nobis *trecenti ſeptuagintaquinque* Philippici) promiſit, & dedit.

III. Idem caſus ſiue error clarius in VITELLIO ſe aperuit, longe ab omni Imperatoria aut virtute aut ſtirpe. Homo ventri & abdomini factus erat, nulla vel ſpecie virtutum, niſi quod candor aut ſimplicitas in eo placerent. Is Legatus inferioris Germaniæ à Galba electus, & quattuor legionibus præfectus (amabant autem hos ignauos, & altioris cogitationis non ſuſpectos) præfectus, inquam, agebat Coloniæ Agrippinæ, cum nuncium accipit, ſuperioris

Germaniæ legiones defecisse à Galba, & in S. P. Q. R. nomina iurasse. Dum consultat, quid facto opus, vis in defectores an consensus placeat: ecce *Fabius Valens* è Legatis legionum, cum paucis equitibus, opidum intrat, ipsum Vitellium Imperatorem salutat. Vnius vox omnium fuit. secutæ legiones, alæ, cohortes, ciues, socij, ardore magis quam iudicio: & inuasit imperium atque armis peperit, armis mox amisit.

IIII. Lubet etiam hos fortunæ ludos videre, & in theatrum producere P R O B V M. *Tacitus* Imper. absumptus erat, & *Florianus* frater eius adspirabat: sed dum electio pendet, Orientales exercitus eam occupare, & sui beneficij Principem habere voluerunt. Conueniunt ad eligendum: & Tribuni, quasi per decorum, eos monent, *Fortem, clementem, probum Imperatorem requirendum esse.* Arripiunt vocem, & statim acclamant, *Probe Auguste dij te seruent.* Inde purpura, tribunal, & legitimus Princeps.

V. Quid in R E G I L L I A N O, quam consimile? Dux Illyrici erat, & milites male in *Gallienum* animati, res nouas agitabant. Forte vna plures cænitabant. fuitque *Valerianus* Tribunus qui in ioco & vino diceret, *Regilliani nomen vnde credimus ductum?* Subiecit statim alius, *A regno*: & milites communiter, *Ergo potest rex esse?* &, occasione sola temerarij dicti, fecerunt.

VI. O ludos! & lusum etiam adiungo, qui

PROCVLO tradidit Principatum. In Gallia milites ad latrunculos ludebant, item conuiuantes. Forte decies Imperator Proculus exiuit: atque ibi quispiam ludens, *Aue Auguste*: allataque lana purpurea humeros eius velauit. Timor mox eorum qui adfuerant: & ne accusarentur apud veterem Imperatorem, nouum hunc faciunt consensu.

VII. Ridere in illis liceat, in istis indignari, vbi Corruptio suffragia temperauit. Sicut in M. SALVIO OTHONE, qui clam & palam militibus pecunia subornatis, & in *Galbam* armatis, eum sustulit, se immisit, sed Principem non diuturnum.

VIII. Non item, à simili fœditate, IVLIANVS perennauit. qui post cædem *Pertinacis*, cum vænale in castris Prætorianis penderet imperium, & *Sulpicianus* licitaretur: iste, pecuniosus & ambitiosus senex, eodem aspirauit. & ad muros subiens, modum pecuniæ certum promisit: cumque illi ad *Sulpicianum* rettulissent, plus aliquid adiicientem, iterumque ad istum (prorsus vt in sollenni auctione) tandem peruicit Iulianus: finisque fuit, vt *vicenaquina sestertia* (sunt *sexcenti vigintiquinque* Philippæi) viritim Prætorianis darentur. Immanis summa! quam ille concussionibus & rapinis mox coegit: atque hæc omnia, qui inter claros Iurisconsultos nomen vindicabat. adeo facilius est peritum esse legum, quam seruantem. Sed pœna à tergo pressit: statimque *Seuerus* superueniens,

vita & imperio illum, Prætorianos zona & militia exuit.

IX. Anno. ∞. XL.

Sed hæc fœda, exemplo vno aut altero eluantur laudabilis Electionis. Quæ autem laudabilior illa, quam Deus iniecit, & direxit? CASIMIRVS fuit, filius *Miecislai* vnicus, qui ob teneram ætatem regno minime aptus, sub cura & gubernatione matris *Rixæ* conquieuit, Sed ea mulier auara, superba, exteris Germanisque addicta, prouocauit odia Polonorum: quæ fuga denique vitauit, ablata secum regni gaza, & filio mox in Saxoniam secuto. Qui in exsilio isto animum ad litterarum studia appulit, & Lutetiam Parisiorum deuenit. Illinc in Italiam porro, & denique pietate impulsus, in Cluniacensi cœnobio Benedictinum monachum professus, Deo totum se vouit & sacrauit. Interea turbæ & fluctus in Polonia, vt in naui rectore vacua, & oculi atque animi requisierunt suum Casimirum: decretumque publice, vt missa legatione vbiubi terrarum esset, requireretur. Ad Reginam primo ventum, ab ea Cluniacum: & inueniunt non iam Casimirum, sed *Carolum* (nam & nomen mutauerat) eumdemque sacramenti religione, sed & Diaconatus vinculo, obstrictum. Illi præterita excusant, patriæ discrimina & calamitates proponunt, & hunc, vt vnicum præsidium & subsidium, Principem deposcunt. Ipse fortiter recusare, alienæ potestatis se iam ostendere, nec quidquam cum mundanis rebus commercij esse. Tamen vrgent, ad Abbatem reiiciuntur,

ab illo ad Pontificem. atque iste indulget, laxat sacramenti atque sacerdotij vincula, data etiam venia coniugij: cum lege, aiunt, vt Poloni caput deinceps in coronam tonderent ritu monachali, itemque nummum annuum in luminaria & cercos Diui Petri Romam conferrent. Hoc eiusce indulti monumentum esset. Ita in regnum ducitur, gaudio & consensu excipitur: prudentissime & fortissime administrat, domi pace parta, hostibus foris victis aut repulsis. Pie vixit, pie obiit, regno in posteros (nam & vxorem duxit, & liberos ex ea tulit) propagato. Quis abnuet hæc à Deo esse? profugo, monacho, Diacono, patriam, sceptrum, vxorem, cum gratia, laude, venia.

Sed memorabilis illa quoque electio, siue Iudicium fuit, quo regnum Aragoniæ, auorum æuo ad FERDINANDVM *Henrici* Castellæ regis fratrem transiuit. Obierat, *Martinus* rex, idque sine liberis: & inter agnatos vel cognatos varie certabatur. Ius, fauor, factio comparabantur: & iam ad cœtus & arma res spectabat: quippe inter potentes competitores, *Ludouicum Andegauensium Ducem & Neapolitanum regem, Jacobum Comitem Vrgelitanum, Alfonsum Marchionem Villenæ & Ducem Gandiæ*, & nostrum illum iam dictum. Sed visum consensu proceribus (rarum in tali ambitu) indices siue arbitros super hac re legere, & quemcumque Regem ij dixissent, esse. Electi nouem, sanctimonia vitæ, & doctrina aut prudentia, conspicui: terni ex ipsa Aragonia, totidē

X. ∞.CCCC. XI.

è Catalaunia, iterumque totidem è Valentia; quæ tria regna scilicet in vnum corpus contributa. Dies igitur dicta electioni, locus captus arx *Caspa* in Aragonia. Magna exspectatio, concursus, aperta & occulta vota aut metus: denique ipso iam die, tribunal pro foribus templi erectum, aulæis instratum & regifico ornatu. Consederunt iudices, præseditiis (nam adesse voluit) Summus ipse Pontifex, etsi in schismate, *Benedictus*. tum surrexit *Vincentius Ferrerius* Dominicani ordinis, magna sanctimoniæ opinione, & insigni ac feruida eloquentia, qui concione ad rem apposita, proceres & populum consentire, obedire denique nouo Regi hortatus est. *Quis is erit*? suspendit aliquamdiu omnium animos, & grandi tandem voce protulit *Ferdinandum*. Clamor coronæ, & iubilus, fausta precantium. nam plurium in hunc & virtutes eius inclinatio: quorumdam tamen & mæstitia, qui suos candidatos decidisse tanta spe indignabantur. At ipse coronam mox Regni, sollenni ritu, accepit: pacem vbique repperit, aut peperit. & magnum illum *Alphonsum* genuit, Aragoniæ, Siciliæ, Neapolis regem.

XI. Pulchra electio, & quam in manu Lusitanorum erat nuper imitari. Nam plures regnum illud, mortuo *Sebastiano*, competebant, suis quisque titulis, PHILIPPVS rex Hispaniarum, *Alexander* Parmæ Dux liberorum loco, *Joannes* Dux Bragantiæ, ab vxore, *Antonius* nothus, sed qui legitimum credi se volebat.

Concurrebat & regina Galliæ, *Catharina Medicæa*, vetusto & obsoleto titulo à Comitibus Bononiensibus repetito. Rex senex *Henricus* mederi futuris malis poterat, & velle videbatur: sed fortior animus deerat, & cunctantem mors occupauit. Sed & post cum quattuor *Gubernatores* electi, & vndeni *Iudices*, tarditate aut frigore peccarunt: & quamquam proni in Philippum regem, non ausi ius ei adscribere, ob populi studia dissentientis. Quem suum fere *Antonius* fecerat, & plenis velis per plebeias illas vndas ferebatur Ita factiones, dissidia, & denique arma. Quæ tamen priusquam Philippus inferret (& parata habebat) pro suo ingenio leniter ac tarde agere, legationibus quam legionibus velle rem conficere: à vi quidem adeo alienus, vt cum *Antonius* ille, caput turbarum, eiectus ab Henrico rege, in Castella esset, & in cœnobio quopiam Diui Benedicti, guaro rege Philippo, latitaret: ille nec extraxit, nec reppulit, cum in illo velut torre exstinguere incendium surgens posset. Simile in altero competitore Duce Brágantiæ: cuius filium captum à Mauris, infelici illo prælio, redimi per Legatum suum curauit, & eundem iam in Hispania, cum essent qui omni vi & via retinendum censerent, imo retinerent, ille firmus in quietis consiliis, & iure suo nixus, liberum dimisit. Sed neque sic, cum alij arma pararent aut caperent, inuasit, aut eiecit. sed ante omnia ius suum disputari à Theologis, & Consultis eius, fecit: iamque de eo certior,

copias promouit. In limite erat Lusitaniæ, & omnis mora noxia: tamen iterum moratur, iterumque peritos conuocat, & per Deum & Fidem obtestatur, liberis vocibus sensibusque edicerent, ecquid iuris sui esset. Hoc non cupere se modo, sed iubere. Omnes vno ore ius affirmant. Tum denique *Ferdinandus* Dux Albæ inuadit, & septuaginta dierum spatio Lusitaniam totam subiicit: vno prælio Antonio, qui regem seferebat, pulso. Si tamen prælium dixerim, veterani exercitus, cum semiermi & vrbana turba congressionem, * Annos paullo minus *Quingentos* auulsa Lusitania fuerat à reliquo suo corpore: rediit, vt retuli. sed cum admiratione aliqua eorum qui attendent, in re tam opportuna, vtili, facili, cunctatorem Philippum sic fuisse. Imitentur reges, nec temere ambitio ad arma impellat.

* Auulsa anno ∞. c.x.

DE SVCCESSIONE.

Hanc præferendam, etsi incommoda etiam habet.

CAP. IIII.

MELIOREM eam Electione tutioremque esse supra ostendimus: & duplex certe caussa euincit. Prior, quod nullum hic interregnum, atque ita nec competitio, nec bellorum materies: præsertim cum iura successionum legibus aut moribus vbique firmentur.

Secunda, quod caritas vtrimque maior. & ſubditorum in genitum & ſanguine Principem: & Principis in ſubditos, certo & veteri iure ſuos. Addam tertiam, aſtrictioris imperij, & reuerentiæ aut obedientiæ promptioris: quia vitari aut differri vindicta ægre poteſt, cum patri filius ſuccedit, & illius iniuriam ſuã putat. Non ſic in exteris: qui tutius contemnuntur, & ſi offenderis, ſeceſſu aliquo vitas, donec illi abeant è vita. Duo tamen incommoda adhærent (& quid pure bonum in rebus humanis?) quod vel mali vel inutiles ſic capiendi interdum ſint: vel pueri & infantes, quos ætas arcet à regendo. Quod ad prius, ſciamus idem & in Electione euenire poſſe, atque adeo ſæpe eueniſſe. Ferendum eſt, & melior exſpectandus: vt poſt hiemem, aliqua æſtas. Quod ad alterum, grande incommodum, fateor: & fere Deus ſic diſponit (ipſemet dicit) vbi viſum ei punire regna aut immutare. Quid ni feramus tamen, ſi à Deo? Hanc ei viam caſtigandi adime: aliam reperiet, fortaſſe triſtiorem. Leges viam ſuam teneant, itemque fata. Et tamen in illa ipſa puerili Succeſſione remedium, ſi viuit mater. Hanc admoueri, & vices pueri gerere, cum prudenti aliquo Senatu, è re ſit: & exempla docent, feliciter eueniſſe. Nã proceres regni eligi, anceps. ſi vnum, ceteros offendis, vt ſpretos: & hic fortaſſe proprias opes cogitet: ſi plures, non euades factiones inter eos, & turbas. Mater igitur melior. Sed exẽpla aliquot, aut iura diuerſa Succeſſionis videamus: in qua cõſenſu gentium receptũ,

MON. I. *Certos liberos præferri.*

I. Sed, vt dixi, certos legitimosque. Cui rei, vbi fraus timeri poterat, cautiones video adhibitas, calumniæ aut suspicioni vitandæ. Sicut in OGINA Lucemburgica, quæ pæne *quinquagenaria*, in matrimonio *Balduini Pulchro-barbi*, Flandriæ Comitis, grauida est facta: & res ea suspecta multis, ne vanus aut fartus tumor, non à natura & puero esset. Igitur circa dies iam partioni solennes, maritus in medio Atrebatium foro, tabernaculum tendi iussit, laxum & prætiosi operis: edixitque, omnibus fæminis, fama & loco honestis, fas esse adsistendi, & oculis arbitrandi verus an suppositicius ille partus esset. Factum ita. viderunt plures, obseruarunt: & omnes ita rumusculos dissiparunt, qui de sterilitate eius erant sparsi.

Circa annum ∞. XIIII.

II. Plane idem in CONSTANTIA, Neapolitana regina. quæ nupta *Henrico* Imperatori, quinquagenaria etiam maior vterum cœpit ferre, fraudē aut fucum suspectantibus multis. Quod vtrumque prudenter amolitus est Henricus. ac primum, cum vxor ad eum in Germania agentem adspiraret: vetuit, iussitque in regno subsistere, & aduentum suum expectare, coram suis (cum bono Deo) heredem regni parituram. Deinde, vxore etiam ipsa sic volente, in foro tentorium expansum, facta potestate nobilibus fæminis veniendi, & parientem ac partum pariter oculis vsurpandi. Peperit igitur, in tali, vt sic

∞. C. XCIII.

dicam scæna *Fridericum*, paterni aui nomine appellatum. Hæc satis mira, in illa ætate. etsi rei fides aliqua iamante ab Abbate *Ioachimo* facta, illo cuius vaticinia tunc clara erant, & nunc quoque tradita scriptis leguntur. Quippe parituram prædixit, & quidem filium, tali vita, & sorte: quæque alia *Friderico* euenerunt.

MON. II. *Præferri ætate primos, etsi in exemplis interdum aliter.*

Liberi igitur succedunt: sed mares supra fæminas, quod liquet: inter autem mares, ij qui ætate antecedunt. Tamen hic interdum quæstio, an ex caussa, minore aliquis natu non præferatur? Caussæ plures esse possunt. vna, quæ olim inter *Darij* liberos litem mouit, *Artemenem*, & XERXEM. Nam ex his Artemenes regnum iure & more gentium petebat, natu prior: at Xerces controuersiam non de ordine, sed de nascendi felicitate faciebat. Nam illum Dario priuato prouenisse: sese regi. Ita priuatas illi opes deberi, quas tunc habuit: at sibi regnũ, in quo genitus, educatusque esset. Contentio, quamquam de regno, intra arma stetit: & arbitrum patruum sumpserunt *Artaphernem*. qui re pensiculata, præponendum Xercem putauit. siue ratione iam dicta, siue & indole vtriusque motus. De patruo iudice, in Iustino scribitur: in Herodoto pater ipse definit. qui idem Herodotus alterum fratrum non *Artemenem*, sed *Ariobarzanem* appellat.

II. Ipsum hoc in eodem Persarum regno, diu post mouit *Parysatis*, *Darij* alterius vxor: mouit, sed non eodem successu. Nam ægro marito persuadere conata, vt CYRVM minorem filium *Arsacæ* (qui postea *Artaxerxes* dictus) in iure sceptri præferret, ipsa illa dicta caussa, & quod in regno natus esset: non impetrauit, & stabile priori ius suum fuit. Etsi callida mulier *Xerxis* exemplum suggereret: sed quod paullo diuersum inueniet, qui explorabit. Nam Artemenes tunc natus Dario fuit, cum vere priuatus esset, nec in stirpe aut iure vllo regio (quippe postea à Magis inopinato electo:) at Arsaces patri quidem nondum regi natus, sed nato è regibus & in hanc spem sublato. Itaque discrimen apparet in vtraque sorte: etsi nec id quidem alibi obseruatum, & quomodocumque primogenitis sceptrum fere delatum.

III. Excipio, in caussa etiam altera: si minor aliquis virtutibus excellat: & contra, inopia sit in maiore. Tum enim præponendus videtur, quem Deus honestauit: idque ex publico etiam bono. Tale *Joannes Comnenus* prætextum habuit MANVELEM filium præferendi *Isaacio*: idque moriens persuasit. Cepit igitur imperium, & tenuit: sed reuera non prosperexit, nec fratri fortasse, nisi ab affectu patris, præponendus.

IIII. Et vero raro felix, nec nisi turbandis rebus, talis electio. vt in PTOLOMÆO LAGI F. qui cum minorem item, rupto gentium iure, regno imposuisset: ipsa naturæ iura violata mox sunt. cum alter fratrem suum paricidio sustulisset,

In PTOLOMAEO Physcone haud dispar euentus, sed purus à scelere. Blanditijs vxoris illectus iuniorē seniori antehabuit, & sceptrum credidit: sed populus eo mortuo, huic reddidit, & illi exsilium dedit. V.

Quid in LVDOVICO *Pio, Caroli Magni* filio? ille item Iudithæ vxoris suada *Carolum* minorem *Ludouico* in multis prætulit: cum eo fructu, vt bellum ipso viuo adhuc motum sit, & arma adeo, iunctis etiam alijs fratribus, in patrem sumpta. VI.

Ideo non nimis ridendi fortasse Pannonij, qui peruicaciter hoc ius sunt tutati in suo COLOMANNO. *Vladislaus* rex, liberis ipse orbus, *Almum* fratris sui filium adoptauerat, animo & corpore meliorem, æuo inferiorem. Vt autem rata magis electio esset, *Colomannum* fratrem sacris initiauit, & procul à patria Lutetiam Parisiorum, specie studiorum, ablegauit dicam, an relegauit? Hæc facta, & ipse obijt: sed statim proceres & populus *Colomannum* reuocant, & venia exsecrationis à Pontifice impetrata, regem simul & maritum fecerunt. Quem autem hominem? ridebis Lector: statu pusillum, lingua balbum, oculo luscum, pede claudum, dorso gibberum. Non monstrum vides? tamen hic placuit, & ius hominum etiam in ambiguo, pæne dicam, homine seruarunt. VII. ∞.XCV.

In hac tota re tamen fateor morem ABYSSINORVM (in Africa late dominantur) non improbandum videri, aut improbum. qui gentiles omnes agnatosque Regis in vna quadam arce VIII.

educant, remotos à populo: quia & arx in monte pæne inaccesso est (*Angam* nominant) & valido præsidio custoditur. Tenentur illic igitur, ne turbas aut partes faciant: & mortuo rege, eum qui maxime idoneus optimatibus & custodibus videtur, assumunt & substituunt.

MON. III. *Patruum, aut fratris filium, varie præferri.*

Quid autem, si filius maior præmoritur, prole ex se relicta? Rationes & exempla in diuersum trahunt: id est, vtraque vtroque. Nam qui patruum præferunt, rationem proximi sanguinis adspiciunt, à patre rege: & nepotem toto gradu antecedit. At nepoti fictio iuris subuenit, & idem cum patre censetur: cur non ergo & in iura succedat? Sed exempla etiam, vt dixi, variant: & pro patruo sunt ista.

I. LVDOVICI Pij primum. Qui *Bernardum* Italiæ regem deiecit, & vinclis ac carcere coërcuit, quia ius sibi à patre *Pipino* primogenito vindicabat, contra patruum *Ludouicum*.

II. ROBERTI regis Neapolitani. cui & Pontificis auctoritas pondus addit Nam hic *Clemente* v. sic censente ius regni tenuit, contra *Carolum Numbertum* Hungariæ regem: etsi iste natus è *Carolo Martello* esset, Roberti maiore fratre. Res clara est, & Annalibus testata: sed *Baldus* Ictus arbitratur, in regni vsum hoc à Pōtifice factum, & quia optimus & prudentissimus Robertus esset, quod res docuit: itemque salubri tempe-

∞. ccc. IX.

rie & partitione, quod Carolus iã regnum Hungariæ teneret, in eoque posset acquiescere.

III. Iamolim etiam NVMIDÆ pro communi iure habuerunt, patruum nepoti præferri.

IIII. Quod & VANDALI vsurparunt.

V. Itemque hodie MOSCOVITAE, sed restrictius. nempe si impubes filius relictus sit, tum patruus sceptrum accipit: in *Basilio* nostro æuo factum. Aliter autem, si iusta nepoti ætas: atque ea discretio rationem suam habet.

VI. Hæc pro Patruo: plura etiam sunt pro Nepote. SPARTIATAE, sapiens populus, sic seruarunt: & ipse *Lycurgus* regnum *Charilao* fratris filio cessit, quod in manu eius erat, omnium gratia, tenere.

VII. ROBERTVS Neapoleos rex, etsi alio iure, vt dixi, promotus, hoc velut æquius melius restituit, & sententiam publico iudicio sic tulit, in lite super *Comitatu* Sti *Seuerini*. Quæ inter patruum & nepotem vertebatur, & Iurisconsulti varie trahebant: meliores & ipse ad nepotem flexerunt.

VIII. Ita ille rex: at OTHO *Magnus* Imp. iudicio armorum rem commisit. Pugnarunt singulari certamine, barbaro illo ritu, & vicit nepos. quod iterum ita sub *Henrico* I. Imp. adnoto euenisse. Ergo & Deus hanc caussam videatur comprobasse.

IX. ∞. CCCC. VII. Sed quod iudicium, publicum aut priuatum, isto Hispaniensi clarius? Rex *Henricus* defunctus erat filio infante relicto *Ioanne*, duos & viginti mẽses nato. Patruus ei erat FERDINAN-

dvs, vir vel solo virtutum merito (vt sanguis seponatur) omni summa fortuna dignus. Itaque coniecti in eum oculi, vulgi & procerum: nec ambire opus, ambiebatur. Atque id non à singulis tantum, & in priuatis colloquijs, vbi adulatio timeretur: sed in Conuentu publico, huic rei indicto, omnium non studia, sed aperta suffragia in eum ibant. Incitabat non ipse solum æui maturus, & virtutum, vt tetigi, spectatus: sed & ætas pueri, *quæ quando tandem gubernationi suffectura esset? Longum annorum interuallum, bella in manibus, turbas & dißidia in metu esse: quæ semper fere comitari, vbi penes alios regimen esset. Ergo ageret cum Deo bene iuuante, expergisceretur, & vel regni caussa, caperet fraternum regnum.* Surdæ aures ad has voces, & ius infantis ostendebat, & Hispaniæ consuetudinem: quæ eo magis tutanda ipsis, quo minus ille puer(hoc ipso miserandus) posset. Nondum tamen persuaserat: iterumque Conuentus, si forte pænitentia subeunte mutasset. Non ignarus ipse eius rei & affectuum, infantem chlamyde tectum occulte intulit: & cum *Daualus* magister equitum, de communi consensu, iterum tentaturus dixisset, *Quem regem renunciari tibi placet?* ille acri voce & vultu, *Quem autem*, inquit, *nisi Joannem, fratris mei filium?* Et simul puerum in sublime extulit, nomen *Ioannis* identidem & *Regis*, vt mos est, ingeminans: iussitque vexilla explicari, & alia solita fieri in nouo regno. Tu Fides, tu Modestia, è cælo paullisper descendite, & hunc alumnum vestrum lætis oculis videte: quanto illustriorem

spreto

ſpreto ſic regno, quam ſi decem fraude vel ambiguo iure quæſiſſet? Sed pauci iſti *Ferdinandi*: cui Deus tamen regnum Aragoniæ paullo poſt contulit, pretium virtutum, & electione (de qua dixi) ſiue iudicio delatum.

DE FRAVDE ET VI.

Has quoque priorum ſpecie interuenire.

CAP. V.

SED violat Succeſſionis iura aut polluit ſæpe Ambitio, quæ vim & fraudem miſcet. Quam ſæpe ſceptra ſic delata non ad longinquos tantum, ſed indignos? & hic quoque ludi interueniunt: quos lubet paullum, Sapientia volente, ſpectare. Venite qui regna æſtimatis, cælo æquiparatis: en ſeruulum, aut infimum homuncionem, ſuo ingenio ad ea ſublimatum. Videte:

1. Et primum PISISTRATVM, qui fraude quidem, ſed virtutibus pæne debitum regnum Athenis quæſiuit. Ille comem & benignum ſe ciuibus oſtendere, etiam liberalem vbi opus; adeo vt refugium & aſylum iniuria aut inopia preſſis haberetur. Suſpecta iſta optimatibus: neque neſciebat. quos vt in ordinem redigeret, & ſatellitium pararet aliquo prætextu, ipſus ſe vulnerauit. Sic ſaucius, in forum delatus, ſanguinem & vulnera ciui-

bus ostendebat, à potentibus illis, præmium scilicet benignitatis suæ in ipsos, accepta. Quin & vitam suam periclitari, nisi subueniant, quibus eam consecrasset. Fremitus & indignatio populi, mox suffragia, & custodia illi decreta. Qua cinctus, & inimicos suos statim, & mox populum tyrrannide oppressit. Nec omittendum hic *Solonis* dictum, qui dolum odoratus ei ingessit: *Non recte*, inquiens *ô Pisistrate, Homericum Vlissem imitaris. si quidem ille flagris se conscidit, vt hostes falleret; tu te vulneribus, vt ciues.*

II. Ac genera sane fraudium plura sunt: sed vna ad rem hanc Successionum apposita, quæ crebra. Est eorum, qui inserunt se in alienam familiam & callide adoptant: histrionio toto & ludicro initio, sed quoties in turbas & cædes iuit? Fuit in Macedonia ANDRISCVS quidam, homo vltimæ sortis, diurna mercede vitam tolerare solitus: qui *Philippum* se subito, *Persei* regis filium dixit. Et oris similitudo ad eum inclinabat. Ipse dixit, alij credunt aut credere simulant: Macedones & Thraces maxime, tædio Romani imperij, quod nouitate & asperitate displicebat. Itaque ingentes mox copiæ, & Prætorem Romanum fudit: donec à *Metello* idem victus, & in catenis Romam ductus triumphatusque est.

III. In eodem imperio, sed sub *Tiberio* Principe, CLEMENS quidam exstitit, reuera seruus *Agrippæ Postumi*, quem nepotem suum ex *Iulia* Augustus in Planasiam insulam relegaue-

rat: ſed fama & fallacia, mox ipſe Poſtumus effectus. Iuit enim magno animo, audita morte Auguſti, in inſulam, vt dominum furtim educeret, & ad Germanicos aut alios exercitus ferret. Sed dum tardius nauigat, interfectum *Agrippam* repperit: & huc iam delabitur, vt ſeſe eum ferat. Venit in Etruriam, ignotis locis ſe abdit, crines barbamque in ſquallorem promittit: mox per idoneos homines ſpargitur, viuere *Agrippam.* primum occultius, vt vetita ſolent: tum vago rumore apud imperitos aut turbidos, eoque noua cupiētes. Iamque in municipiis & coloniis ſe oſtendebat, ſed leuiter & obſcuro diei, & copiam ſui haud plene facturus. Augentur aſſeclæ, audet Hoſtiam venire, atque adeo in vrbem, & occultis cœtibus celebrabatur. Tiberius, non ignarus periculi, ambigebat, vim militarem, an fraudem fraudi opponeret: & hæc magis placuit, electique *Salluſtij Criſpi* opera duo milites, qui ſimulata conſcientia adiuerunt, pecuniam & pericula ſua offerentes. Mox noctem ſpeculati & ſolitudinem circa eum, accepta idonea manu, vinctum & ore clauſo, in palatium ad Tiberium attraxere. Ibi interrogatus, *Quomodo Agrippa factus eſſet?* reſpondiſſe libere fertur, *Quomodo tu Cæſar*: dolum & illi maternum obiiciens, quo ab Auguſto adoptatus eſſet, Secreto interfectus eſt, magna inter tormenta conſtantia, cum neminem conſciorum edidiſſet: nec Tiberius (prudenter in talibus) vltra quæſiuit.

IIII.

In Syria similis dolus, etsi vix dolus. *Demetrius Soter*, ille qui Roma obses profugerat, iis imperabat: cum certa, nec iniusta de caussa, Antiochensibus offensis, bellum iis infert. Ipsi extremorum metu, ad noua remedia confugiunt & vilem quemdam è plebe ALEXANDRVM salutant, & *Antiochi* filium faciunt, ac repetere optimo iure paternum Syriæ regnum. Fraus cui non apparebat? sed nouitatis studiosus (insitum popularibus, & addo Orientalibus) siue odium Demetrij effecit, vt crederent, quæ non crederent, & certatim Alexandrũ omnes amplexi. Ipse mirabatur nouam suam sortem, & tot comitum militumque agmina: ac vires prope Orientis trahebat. quibus stipatus pugnat, primo parum feliciter? mox aliter, & non vincit solum Demetrium, sed cædit. Eo facto pacificus Syriæ possessor, quod solet in vitia & lusum se effudit: paruis Demetrij liberis, nec ab ijs metu. Sed cum adoleuisset *Demetrius* Demetrij F. cum parua manu Cretensium rem agressus adiutores repperit, & pari leuitate ad se transeuntes, qui à patre defecerant; in his, ipsos Antiochenos. Itaque solutum illum, & inter scorta ac mensas iactatum, inuadit, superat, trucidat. His finis scenici & imaginarij Regis, sed satis tamen diuturni, quique annos nouem & menses decem in imperio alieno fuit.

V.

Alius ab isto, sed tamẽ ALEXANDER, & in finitima Iudæa, ipse Iudæus genere, adoptauit se in familiam *Herodis* regis. Occasio erat, quia

facie *Alexandrum* referebat, ab illo exstinctum. Igitur mortuo Herode hic reuixit, & fucum etiam acutioribus faciebat, natura & ingenio vafer, tum ipsa illa similitudine valde gemina, & vel noscentes fallente. Venit igitur Cretam, & Iudæos illic induxit sese agnoscere, pecuniā & alia vsui dare: quod idem in Melo insula, omnibus subtractum verū neci Alexandrum, aliumque suppositum, credentibus, vulgantibusque. Ita Puteolos appulit, pari illic Iudæorum credulitate & gaudio: ac mox Romam, grandi comitatu, regia pompa. nam & Iudæi, qui Romæ frequentes, & in iis hospites notique *Herodis* obuiam ire, iurare eum esse, lecticam eius deferre: prorsus vt à regio cultu & fastigio, præter Cæsaris auctoritatem, nihil abesset. Et sane Cæsar Augustus moueri quoque cœperat: sed retentabat, quod verus ille & veterator *Herodes*, non videbatur, in re tanta decipi potuisse. & denique vt experimentum caperet, mittit *Celadum* vnum è libertis suis, qui olim familiariter cum *Alexandro* & *Aristobulo* fratre (nam & is seruatus dicebatur) versatus fuerat: sed quid? impositum ipsi Celado, & ille quasi notor & assertor ad Cæsarem redit. Tamen dubitat, ipsum Alexandrū vocat, & sagaciter animaduertit manus callosas, & duratas opere; item in sermone & moribus non illum Principalem Genium & gratiam, quæ solet sic natis comitari & vel inuitis insitisque adesse. Tum etiam interrogat, quid factū *Aristobulo* esset, & cur non ille aduenisset? Causam-

te ipso, Cypri hæsisse, ob pericula maris & itinerum, & ne, siquid durius euenisset, totum Mariamnes genus vna periret. Hæc illo canente, & doctore eius accinente, qui simulata grauitate aderat; Cæsar seductum adolescentem monet & interminatur vera dicere, & proposita impunitate, *Quis esset?* interrogat. Ille vero metu instantium, & splendore illo præsenti territus, vera fatetur, seriem fabulæ denarrat: & à Cæsare ad remum damnatur, vt fidem in vita data non falleret, doctorem eius exuit vita. Reliquis satis supplicij censuit credidisse, & pecunias effudisse.

VI.

∞.CC. LXXXIIII.

Hæc vetera au longinqua videbuntur: addam haud longe ab æuo, aut finibus nostris. Ecce in candida & simplici illa Germania, exstitit PSEVDOFRIDERICVS, tempore *Rudolfi Habspurgensis* Imperatoris, qui verum se *Fridericum* diceret, mortuum ante * plures annos. Obsidebat tum Rudolfus Colmariam: sed haud vane territus, quod impostor ille in Germania nostra inferiore magnas sibi vires, nobiles, vrbesque adiungeret; soluta obsidione, Rheno prono descendit, & quasi veneraturus veterem Augustum accessit. Sed eius compos interrogatum quis, vnde, quare sic esset, igne in opido *VVitZlaria* combussit.

* XXII.

VII.

∞.CCC. XLVIII.

Post in eadem Germania nobilis impostura circa Marchionem Brandeburgensem VOLDEMARVM euenit. Is ante annos triginta & vnum amissus siue mortuus peregre erat: cum *Rudolfus* Saxoniæ Dux despicit, qua via *Ludouicum*

Bauarum Ludouici Augusti Filiũ, Principatu Brandeburgensi pellere posset. Componit fabulam, ipse inquam eius poëta & actor. nam molitorem quemdam secreto habitum, omnibus notis insignibusque arte & astu instructum, ad verum illum Marchionem, producit tandem in scænam: atque ecce populares, desiderio & more plebis accurrunt, se & sua, plerique arces & opida etiam tradũnt. Resistentes, partim Saxonis copiis, partim *Caroli Bohemi*, qui Imp. à quibusdam designatus, ad deditionem coguntur. Ipsi Bauari, & auxiliares eorum Palatini, varia fortuna certant, & grandi vno prælio vincuntur: capto *Rudolfo* Palatino Rhenensi, cum LXXIX. è nobilitate equestri. Denique triennio toto elusit, aut potius illusit ille molitor: donec captus tandem ignem ipse, infamiam fautores eius subierunt.

VIII. ∞.CC.XXV.

Sed in vicina etiam nostra & socia *Flandria* factum, omnia dicta adæquat aut superat. Fuit *Balduinus Octauus* Flandriæ Hannoniæque Comes, & idem grandi ausu progressuque Orientis siue Byzantij Imperator. Dum illic res gerit, in prælio contra Bulgaros cadit: nec ambigua res erat, donec quidam BERNARDVS RAINSVS, Campania Gallia oriundus, & specie religionis iuxta Valentianas in silua quadam Anachoreta; donec is, inquam, vulgaret fingeretque post annos XX. reducem & rediuiuum se Balduinum esse. Impulsus à nobilium quibusdam creditur; & ætas, forma, astus,

atque etiam audacia aderant ad fallendum. Igitur rebus in Hannonia motis, in Flandriam ipsam cum hac fama venit: & rara quadam oris grauitate, commemoratione hominum rerumque priorum, stemmatis totius notitia etiam sagaces cautosque inducit. Deliscunt & adhærent passim, fastidio etiam & contemptu fæminei imperij: quod *Joanna* id temporis, Balduini filia, rebus præsidebat. Quin ipsa profligata, & propemodum in Querceto opido intercepta, præsidium & refugium ad regem *Ludouicum Octauum* Galliæ habuit: qui subuenit, sed cum prius à Senatu *Joannæ* examinatus inquisitusque planus ille esset. Eius enim Præses sic dixit, rogauitque: *Tu quocumque nomine appellandus, si te verum Balduinum iactas, cur Orientis imperium deseruisti, ad hoc minus properasti? Cur apud notos atque optime de te meritos duces, mortem simulasti, vitam dissimulasti? Quæ commenti caussa, aut merces? An numquid ij oderant? etiam nunc resument, si verus es Augustus. Quid ad nos potissimum venisti, tot lustra non visus, nisi vt inter ignotos ignotus falleres? Viginti anni iam sunt à morte illius, quem te dicis: quibus tenebris, & qua caussa, tam curiose te occulisti, sic vt nec aura famæ de te spirauerit? Passi multa mala fuimus, & id ob te mortuum: mederi vna voce, vno scripto poteras,* VIVO: *cum non feceris, ego etiamsi viuis, viuum te habebo? Impietas tua non meretur: abi ingrate à patria, cuius caritatem exuisti. à Principatu, cuius curam abiecisti, à ciuibus, quos obliuione sepelisti.* Dixerat

Quæsitor: at ille mirum qua confidentia, & ex ipsa fidem præstruens: *Domi*, inquit, *inclementiores ciues, quam foris hostes, repperi. Tu me Flãdria, mater & altrix reiicis, quē Græcia, Macedonia, Thracia aduenam excepit, coluit: ipsa Barbaria, maiestatem verita, seruauit. At enim, vbi delitui? audite, & casuum humanorum miserescite, si quid humani in pectoribus istis habetis. Captus prælio ad Hadrianopolim à Bulgaris, ab iisdem in custodia habeor, satis lenta & remissa: vsque eo vt effugium etiam patuerit, & animo isto ac Deo ducibus me liberarim. Cum ad meos propero vagus & erro, in alios barbaros incido, ignaros fortunæ meæ, & ab ijs in Asiam trahor ac vendor. Heu miseriam! pudet, sed vos narrare cogitis: Syri me habent, & in ergastulum rusticum damnant. Ego Balduinus, Comes, Imperator, qua manu sceptra tenui rastra tractaui, plures per annos donec à Germanis mercatoribus casu transeuntibus, quibus me aperui, pretio liberarer. Ii me domum remiserunt: vos expellitis? ingrati, immemores veterum beneficiorum, quibus aui vestri, patres, etiam tu atque ille, à me affecti estis. En senium & hanc caniciem, quo reseruati sumus? post tot fluctus, scopulum repperi, vbi portum putabam: ipsa mea filia mea Ioanna, patrem non agnoscit, ne Comitem cognoscat.* Hęc & plura opportune differens, magnitudinem suam vel fallaciam tuebatur: vario animorum motu, & plerisque ad illum inclinatis. Adeo, vt nobilium populariumque bona pars statim adhæresceret, Comitem & Augustum salutaret: donec re iam in præcipiti, *Ioanna* ad *Ludouicum*

Regem supplices Legatos mitteret, vt *Balduini*, auunculi quoque sui magnam sanctamque memoriam, ab impuri nebulonis contage tueretur. Suscipit negotium Rex, diem homini dicit: venit ille magno comitatu, solitaque fiducia & fastu. Vestis erat purpurea, alba in manu virga, barba promissa, à qua vulgo *Peregrinus Longobarbus* vocabatur: sistitque se Regi, Peronæ. Ille orditur, succinctus nobilitate & Senatu: *Flandria in fide & clientela mea est, ne mireris te huc vocatum: quod iure, non ambitione aut vsurpatione factum. Siue iniuria afficeris, à me vindicandus es; siue afficis, puniri debeas. Utinam Deus & cælites facerent, vt tu sis ille Balduinus, mihi auunculus, amitinæ meæ pater, nec vno nomine Galliæ meæ illigatus. Utinam! inquam. sed famæ tot annorum, tam constanti, quid faciam? illa te iugulat. Credere me abnuis, & vnus tot millibus contradicis: sed fidem ex genere humano tollis, si consensui mortalium non vltra credimus. Tamen effare, faueo siquid habes quo famam redarguas, quo Balduinum te asseras, quo veterem meum cognatum aut potius parentem à mortuis restituas. Si ille es, breuiter ad hæc respondere, & statim, potes. Quæro, Tene pater meus Flandriæ Comitem dixerit, iura dederit? quo teste, loco, tempore, ritu? Baltheone te & insigni militari donarit? Quæ mulier ex Francica nobilitate, quo conciliante, quo auspice, loco, cætu nupserit? Quid hæres? hæc ignorare dese verus Balduinus non potest.* Ista rex: tamen audacia illa, velut deprehensa, hærebat, & spatium cogitandi recolligendique sui petebat. Inde

pro impostore haberi, & contemptim dimitti: dimitti tamen, quia sub fide publica venisset. Nec diu post in Burgũdia captus, ab equite gẽtis Chastenaiæ, *Ioannæ* offertur: quæ conuictum confessumque laqueo strangulauit. Non tamen sine plebeculæ rumoribus, quæ patrem ab improba filia in ligno suspensum, tunc & diu posteà differebat.

IX.

Nonne consimile in Hispania, cum *Alfonsus* Aragoniæ rex esset, iuuenis & vndecennis, matre gubernãte? superuenit qui se ALFONSVM veterem adfirmaret, ante annos viginti & octo ad Fragam cæsum. Pro colore adferebat, tædio se rerum humanarum in Asiam & Terram sanctam iuisse, illic bella pro Deo & religione pugnasse, redisse ad suos culpis expiatis. Cur spernerent, & puero ac mulierculæ potius adhærescerent? Mouerat multos, res turbaturus hauddubie, nisi Cæsar augustæ captus laqueo gulam fregisset.

X.

Tædium iure vereor in paribus ausis & euentis. qui tamen duos MVSTAFAS sileam, in Turcarum imperio, vt nec id sit à scænicis his ludis immune? Prior fuit, *Muratis Secundi* principatu, DVSMIS; sed qui se *Mustafam* diceret *Baiazitis* primi filium, quem fama & res erat, infelici illo prælio cum *Temir-lanco* periisse, vbi & pater eius captus. At enim post annos *vigintiduos* iste se sufficit, & fraudes ac turbas *Murati* miscet. quas turbas? tantas, vt Begi, Bassæ, & primorum plerique ad eum deficerent, ipsi Christianorum Principes fœdus inirent, & Byzantii

∞. cccc. xxii.

Imperator. Denique per triennium Muratem sic exercet, vt incertum imperij & vitæ faceret: donec ad *Lopadium* lacum collatis castris (& Murates ipse aderat) arte quam viribus magis vincitur, & transfugijs paullatim nudatur. Iuuit ad hanc rem commentum callidum Legatorum, quos Byzantium vno tempore, ad fœdus & societatem, ipse & Murates miserant. Sed Muratis irriti dimissi, illius impetrauerant: cum tamen Murataei, cursum præuenientes, audaci astu spargunt, sese voti compotes, & Græcos à se stare. quod creditum sparsumque in vtrisque castris, multos Mustafæ detractos *Murati* iunxit. Denique fugit ille, sed retrahitur, & Hadrianapoli ad pinnam muri laqueo suspenditur.

XI. Alter MVSTAFA miri & noui commenti est sed ab alieno impulsu. & in alterius, vt putabatur, fructum. Ne graue sit me diducere paullũ quæ faciunt ad grauem illum nobis hostem. *Soleimanno*, maximo inter Turcarum principes, duæ vxores fuerunt, ex iis liberi: altera *Bosphorana*, è qua MVSTAFAS; altera *Roxolana*; è qua isti quattuor *Mahometes, Selymus, Baiazites, Giangir*. Sed omnes hos ætate & gratia apud militem *Mustafas* anteibat; nec dubium illius imperium, si id exspectare, quàm habere maluisset. Pater sane eum suspectum nimiæ spei interfecit. Iam è quattuor illis *Mahometes* obierat, & mox item *Giangir*: duo competitores supererant, è quibus *Selymum* fata & pater promouebant, *Baiazitem* mater

mirifice in eum prona. Frustra maritum aliquoties tentauerat, vult fraudem & fortunam. Itaque re cum filio collata, visum illis initium res nouandi per falsum *Mustafam* facere ad cuius nomen & gratiam miles facile concurreret: ipsi deinde eo in rem suam vterentur. Reperiunt iuuenẽ audacia & facie idoneum, instruunt & dimittunt. Personam sumit & agit, venit in Thraciæ loca que Valachiam & Moldauiam spectant, vbi equitum copia, & qui plerique viuo nuper *Mustafæ* addicti. Ibi clanculum & quasi timide se ostendit, comites qui aderant mussitant *Mustafam* esse; fuga elapsum à patre, & alium ab amicis substitutum, qui interfectus pro ipso esset, incuria, nec serio agnitum aut inspectum. Id argumentum fabulæ erat, ad quam spectandam agendamque statim concursus. Veniebant & ij, qui oculis suis *Mustafam* interfectum viderant: sed vel falli volebant, vt locus esset si non recipiendi *Mustafæ*, saltem vindicandi. Iam pænè exercitus erant: sed Sangiacci trepidi rem ad Soleimannum referunt, qui fraudis certus eos acerbe increpat, *Quid ita initys non obstitissent? vel nunc facerent, aut iram ac pœnam à se expectarent. Mittere se Pertavvum Bassam, cum validis fidisque copiis; sed melius gratiusque fore, si ij quod neglectum est sarciant, & ignem nondum validum exstinguant.* Sangiacci iis monitis minisque excitati aduigilant, concurrunt; aduentantes reprimunt, manus iam factas dissipant & spargunt; nihil reliqui sibi ad diligen-

tiam faciunt, vt fidem & operam suam Domino probent. Tamen Bassa superuenit: nec res adhuc *Mustafæ* satis validę aut constitutæ erant. itaque à presenti metu fluctuare multi incipiunt, dilabi alij & transfugere, donec desertus miser cum præcipuis ministrorum in manus venit. Viuus trahitur Byzantium, examinatur nihil celat: cura iam non de illo puniendo (quod statim factum) sed de filio patrem subit. Hocne illum ausum, in tam recenti Mustafæ infelici exemplo? dolor non ab impietate solum erat, sed ab impudentia & temeritate ira. Et iam magnũ aliquid parabat: sed mater filium non deserit, callida mulier & mariti sui diu potens. Venit & rem fatetur, excusat & deprecatur. *Quid enim magni miri*, inquit, *si in fratrem (non enim in te, ne erres) aliquid molitus est, non tam ambitu, quã metu impulsus? Leges siue fata nostræ gentis sunt, vnum non imperare solum, sed viuere; & exordium noui Principatus est, fraternum paricidium. Quid inquam mirum igitur, si fugere triste hoc voluit? si vitam prorogare? Natura impellimur, & te consule. Hic scopus huius conatus fuit, miseratione, si consideras, quàm ira dignioris Tu illam da. cui? filio. cui? & mihi vxori. nam certum non superuiuere illi, & in vno duos occides, Quamdiu autem dature? me miseram, instant fata, in tua senis anima adolescentis illius spirat, & mea.* Mouit intimum senile pectus & concussit mulier: dat veniam, sed ea lege vt filius se videat & ipse eam petat. Ergo aduocatur, & à matre quoque excitatur iam secura vt tuto veniat.

Venit, ſed cum in aditu paterni hoſpitij eſt (extra vrbem conueniebant, nec temere filij patre viuo in ipſam intrant :) ecce milites, qui deſcendentem ex equo tradere pugionem & gladium iubent. Id in aliis de more fiebat, ſed conſcientia ſtimulante omnia timet, & multus in oculis *Muſtafas* vterque erat. Mater tamen dat animos. quæ de induſtria ad ianuam exſpectat, & per feneſtram linteo obductam hortatur intrepide pergat, viam omnem à ſe præmunitam. Accedit ad manum patris, petit veniam & accipit, monitus magis quam caſtigatus. Atque vt plenam fidem reconciliationis faceret, potum de more gentis iuſſit offerri: ſed nec hunc ſine metu, bibit, venenum ſuſpectans, donec pater ex eodem poculo hauſtu ducto, omni eum cura liberauit. Atque hæc Fraudium ſunt, addam.

Violentiæ exempla.

I. Heu, quam multa ea occurrunt: paſſim video aditus atque exitus Regiarum ſanguine reſperſos. Sed temperabo, & eligam. Ab Oriente ordior. atque ibi in Iudæa, triſte fatum Gedeonis familiæ video, vnius ambitione conſumptæ. Laudatus ille vir, & dux per quadraginta annos populi, liberos genuit & reliquit *ſeptuaginta*: atque hos legitimos. vnum è concubina *Druma*, cui nomen ABIMELECHI. Hic poſt mortem patris imperio imminens, & adiutus materna pecunia atque amicis, copias collegit è vagis & ſordidis hominibus : cum

quibus *Sichimã* venit inopinato, atque omnes ibi fratres *septuaginta super lapidẽ vnum* (vt Sacra loquuntur) interfecit, & velut immolauit. Quid si totidem alienos & extraneos? ô facinus! at ille imperium inuadit, & in triennium etiam retinet, vt cœperat, sæuiens, & subditos varie affligens, sic vt *Sichimitæ* arma caperent & rebellarent. Frustra. domuit eos & occidit, & ipsum opidum deleuit, salemque in eo consperfit. Sed cælestis vindicta tamen consequitur, & cum turrim quamdam oppugnaret, fragmine molaris lapidis mulier superne caput eius contriuit. quo ictu collapsus & iam moribundus, ad satellitem suum, *Tu me,* inquit, *gladio iugula, ne muliebri manu dicar cecidisse*.

II. In Parthis *Orodes* regnauit, ille qui *Crassum* victum iactat & occisum. Is cum senuisset, in luctu ob *Pacorum* filium à *Ventidio* cæsum, aquæ intercutis vitio laborauit, neque longe iam à morte. Quam tamen longum PHRAATI filio visum exspectare: & veneno eam maturat. Sed id contra fuit, nec aliud quam mota aluo in medicinam abiit, & totius morbi finem alleuauit. Quod ille indignatus (neque enim pænitentia subiit sceleris, cui vel Numen videbat aduersari) ad apertum parricidium ab occulto trãsit, atque hominem palam suffocauit. Iamne finis? minime: catenata sunt scelera, & post patrem fratres *triginta*, quasi inferias, adiecit. Quis tamen illius finis? consimilis. nam cùm in pace & fœdere cum Augusto esset, cui

& signa

& signa Crasso erepta remisit: hic vicissim dona dedit, inter alia, pellicem insigni forma Italici generis, quæ prolem ei genuit *Phraatacem*. Hic ipse vt adoleuit, conscientia & opera matris, patrem interfecit. Bene, bene. quidni dicam? tulit, quæ meruit, & quæ docuit: redijt in auctorem exemplum.

III. Breui stilo lata scelera in MITHRIDATE PONTICO stringam, cui bellum & clades fuit à Romanis, sed mors ab ipso filio. An & hoc immerito? ecce ille matrem iam primis annis sustulit, mox fratrem: deinde tres filios, totidemque filias. Cælum, terra, mare, aspicere, ferre, purgare toties impium potuistis? Ignosco Pharnaci, & animos ad scelus pæne addo: vindica adolescens auiam, patruum, fratres, sorores, tot mortes (leue est) in vna.

IIII. Iam in PRVSIA Bithyno tyranno, Romanorum non socio rege sed seruo, vix memorabile est, quod is filium *Nicomedem* tollere è medio voluerit: quid ita? vt locum alijs filijs faceret ad regnum. Peruersa aliqua pietas hæc fuerit. sed ecce filius, rei conceptæ gnarus, scelus in ipsum vertit, & defectione populorum, regnum ei ademit, & deinde vitam.

V. Relinquo te Oriens, fatiges me si perambulem: centesimam partem (vere loquor) non libaui: sed vnum tamen abiens hic consignem. PTOLOMÆVS inter Alexandri successores, pulso *Antigono*, Macedoniam occupauerat, pacem cum *Antiocho*, fœdus & affinitatem cum *Pyrrho* fecerat: securus iã omnium, nisi sororis,

& ex ea liberorum. *Arsinoe* erat, quæ in matrimonio *Lysimachi* fuerat Macedoniæ regis. Itaque animum & artes intendit ad eam vna cum liberis captandam: cautam tamen, monitam, & omnia timentem. Quid adhibet? machinam in hunc sexum validissimam, amorem. soror erat, sed quid ad rem? incendit, non absterret ea cognatio Orientales barbaros, & res in mores & iura vertit. Itaque munera, legatos, litteras missitare: offerre ipsi societatem regni, liberis hereditatem: nec alio fine se armis id occupasse, quā vt ijs posset relinquere. In has res fidem se paratum dare quam vellet, & vbi vellet, apud sanctissimas aras & templa. Quid multa? persuadetur mulierculæ, ex fidissimis amicis mittit, qui iuramentum accipiat: quod ille incunctanter, & pæne inuitans, in veterrimæ religionis templo concipit, ipsa simulacra & altaria deorum tangens: se suumque caput inauditis vltimisque exsecrationibus deuouens: *Sincera se fide matrimonium sororis petere: nuncupaturum eam reginam: eiusque liberos, suos heredes habiturum, nec alios.* Ergo Arsinoe spe iam plena, in cōspectum colloquiumque fratris venit: qui vultu ipso & oculorum acrimonia amorem simulans, fabulam peragit, vxorem ducit, capiti diadema coram milite populoque imponit, & Reginam appellat. Secuta quæ solent nuptijs: & læta *Arsinoe*, *Cassandream*, munitissimam vrbem (quod vnum petebatur) vbi thesauri & liberi, præiuit, maritum introductura, & festo apparatu exceptura. Viæ, templa, domus ornantur: aræ & hostiæ dis-

ponuntur : filios quoque ſuos , *Lyſimachum* ſedecim annos natum , *Philippum* triennio minorem , patri & auunculo occurrere iubet. Quos ille extra portam obuios , cupide & vltra modum ſolitæ affectionis amplexus , oſculis fatigat , nec dimittit. Portam & arcem ingreſſus , ponit perſonam , ſumit ſuum vultum & affectum , ſtatimque milite introducto , pueros iubet interfici in gremio ipſo matris, ad quam confugerant. Illa hoc miſerior, quod mori cum ijs non licuit (ſæpe ſe gladijs interpoſuerat & obtulerat:) in exſilium cum duobus ſeruulis pulſa eſt : *Ptolomæo* tamen haud diu ab hac victoria triumphante , cum Galli Macedoniam inundantes , victo ei caput paullo poſt abſtulerint, in haſta , ad terrorem & fidem, circumlatum.

VI. Ad Occidentem iam ire mihi licet , & ordiri ab Hiſpania : in qua cum Cn. Scipio, poſt Africanus , victoriales & funebres ſimul ludos daret , capta *Carthagine Noua* : en duo fratres patrueles , CORBIS & ORSVA , qui de regno armis certaturi eum adeunt. Ipſe, vt mitis ingenio, omnia conatur & tētat, vt ratione nō Marte iudice, rem componāt: fruſtra: cāpum & arenam volunt. Conceſſo, magnis animis concurrunt , ſed maior natu *Corbis,* facile minorem natu , aſtu & armorum vſu vicit , atque occidit.

VII. Dicam in Italia de ROMVLO, *Tarquinio Superbo, Nerone*, tot alijs, qui ſcelere & ſanguine ſceptrū pepererunt? multa, & nota ſunt, ideoque cum venia omittenda.

VIII. ⊕ .10. XI.

Venio ad æui nostri parricidam nobilem, & quod indignetur aliquis, felicem. Sceptra imperij Turcici tenebat *Baiazites* II. rebus gestis clarus, & numerosa prole succinctus, in qua natu minimus SELYMVS erat, de quo eo dictum. Sex ille fratres habebat: è quibus duo primæui suo fato obierunt, tertius paterna vi: duo supererant, ætate & iure imperij ante ipsum. Sed imperium tamen animo agitabat: & vt perueniat, patrem impedimento futurum, è medio vult sublatum. Id varie tentauit, & primo colore aliquo pietatis. Mos Turcarum habet, filios Principis in certo loco aut opido claudere, nec finibus ijs egredi, nisi permissu aut iussu patris. Id contra spes aut res nouas institutum videtur, & ne militibus aut populo misceãtur, captenturve aut captent. At Selymus fines istos audacter migrat, comites & milites colligit, & cum hac manu ad patrem pergit. Miranti, & per legatos etiam expostulanti, *Ecquid sibi vellet? patriæ leges, patris iussa sperneret? quo fine, aut caussa?* ille refert: *Non prauitate, sed pietate motum facere. & Mahumetis legem esse, tertio quoque aut quarto anno visere ad parentes: velle se parere, & parentis optimi manum* (ita Turcarum etiam sermo habet) *osculari.* Baiaziti haud placitum, iterumque legatos & asperióra mandata mittit: quorum summa, rediret. Ille pergere nihilo sequius, & iam Hadrianopoli appropinquare nixus, vt putabatur, occulto fauore & gratia Genitzarorum, quos in partes traxerat. Erat in ea ipsa tunc vrbe pater. qui fraudes aut vim

metuens, & simul vrbi dominæ timens Conſtátinopoli, vbi theſauri & regia gaza erat, illuc concitus pergit. Idem filius, & patrem in vico aſſequitur qui *Tzurulus* appellatur: quid? ad manus oſculum? imo ad manus conſertionem, & ſuos inſtruit, & vim parat facere: patre contra, cum eo ventum videt, dirigente. Pugna committitur, anceps & cum diſcrimine, maiore etiam metu Baiazitis: qui haud de nihilo fidem ſuorum ſuſpectabat, & Deum ac Mahumetem alta voce inuocabat, vindices patriæ & imperatoriæ maieſtatis. Audiuit ille (non enim iſte) & fugit Selymus, vaſa & impedimenta omnia amittit, animum & impietatem retinet: ac *Capham* cum veniſſet, copias iterum colligit, & prima hieme in Thraciam redit. Fiduciam etiam Genitzari dabant, qui in vrbe tumultuati, *Achmetis* (is frater maior erat) imperium aſpernabantur, atque adeo legatos eius qui tunc aduenerant, per ignominiam eiecerunt. Occulte ad Selymum etiam miſſis, vt approperaret: ſeſe cætera exſecuturos, & manu viam facturos ad ſolium & ad ſceptrum. Imperium illud miles temperat, prauo & noxio more: nec alia cauſſa exitij aliquando erit. Sed *Achmetes* horum non ignarus, cum ipſe quoque iuxta Conſtantinopolim veniſſet: & militum quidam operam ac fidem obtuliſſent, adnuit, ſed quod momentum inclinationi aliorum facturum erat, aurum præſens, & amplioris ſtipẽdij ſpem, non adiecit. Imo vocem iecit, liberam, ſed in-

tempestiuam, *Sese vel inuitis illis imperaturum.* Offendit, & alienauit: iamque Selymus ad vrbem venit, tentoria in pratis fixit: cui obuiam factus *Corcutes*, frater alter, modesti ingenij, & sapientiæ ac religionis studijs deditus, vt captus est gentis. Genitzari audito aduenisse, statim coeunt & tumultuantur: decem è suis ad Bassas (Præfectos sic nominant) ablegant, qui postulent, *Dominum & Sultanum Selymum esse: Baiazitem vltra non esse, ætatis & virium imbecillum, nec molem imperij sustinentem. Hoc ipsi edicerent suaderentque volens faceret, quod vel nolens adigeretur: & cederet, aut cædi ipsi Bassæ exspectarent. Sententiam omnium sic ferre.* Hæc dicta, & prompti facere erant: ergo timor Bassas incessijt, & Baiaziti rem & discrimen exponunt. Generosus animus & veteris laudis factorumque conscius, indignari: nihil indultum velle, arma & manus suorum spectare, & implorare. sed abnuentium: atque ibi primus Bassarum (*Vizirium* dicunt) *Mustafas*: *Ergo supremum vale Imperator*, inquit: *nam nos quidem morituri te alloquimur, nescio an moriturum. Hoc animi tui decretum, vltimum nobis iam dicit*: & minas militares addit. Mouetur ille, & ipsos miseratur, atque infit: *Ergo certum ijs, vitam nobis adimere? & huc ventum?* Mustafas? *Huc ventum, quod ad nos attinet: de te, Deus meliora. sed vt optima, spiculis tamen hastarum* (verba ponimus) *de solio imperatorio scito te detrahendum.* Senex videt necessitatem vltimam esse, & paulisper vocem compressam soluit: *Agite igitur*, inquit,

ad filium ite, nunciate rerum summam illi permitti. Filius venit, pater excipit, vultu quidem lætus, & thesauros ei atque alia imperij resignat. Tum & solium conscendere iubet, sed recusantem: & subdola modestia, solam pietatem, affe. ctumque visendi patris, præferentem. Iterum iubet, propinquo etiam periculo monitus, & minaces militum vultus vocesque audiens, aut videns. Admittit filius, sed in sequentem diem. Conueniunt frequentes, equites peditesque: sedet pro tribunali, & imperij iurisque vsurpandi caussa, vnum è Genitzaris suspendi laqueo iubet: ceteris spe facta benigni simul, & fortis dignique maioribus imperij. Cuius primum facinus, relegatio patris *Dimotucum*: & priusquam perueniret, interitus veneno procuratus. Aiunt medicum eius corruptum id obtulisse, adamante minutatim confracto, & cibis immixto: cui tamen pretium operæ mors fuit, & ceruix incisa, cum voce Selymi præuia: *Veteri domino infidum, nouo fidum non futurum*: Itum in alias cædes. & quinque fratrum filij occisi: tum ipse frater *Corcutes* neruo arcus strangulatus, cum è fuga reprehendi curasset. Supererat *Achmetes*, primus fratrum, & societate Ægyptiaci etiam Sultani validus: sed falsis Genitzarorum litteris elicuit, tamquam fastidientium noui & iniqui imperij: prodiret modo, arma cum ipso in hunc sociaturis se darent. Prodijt, pugnauit, victus, suffocatus est: & solus iam certusque Selymus Princeps. Qui in Bassas & proceres varie item sæuijt, homo cædis totus &

ſanguinis: idem tamen Fortunæ (non enim Deo) carus, & qui res maximas in imperio ſuo geſſit. Perſas vicit & reppulit, Sultanum Ægypti ſuſtulit, & amplum id regnum ſibi poſteriſque firmiter ſubiecit. Nihil etiam priuatim aduerſum: & dormire videbatur cæleſtis Iuſtitia, niſi quod in extremo actu ſe oſtendit, & peſte correptum exſtinxit, ipſo loco & vico, vbi prima cum patre ſigna contuliſſet. Sed & filio tamen felix fuit, magno illo & infeſto nobis *Soleimanno*: vt externarum rerum fluxus, non ſint teſſeræ ſemper beniuolentiæ diuinæ.

IX. Atque illud ſæculi noſtri eſt, hoc etiam ſoli. Fuit ADOLPHVS EGMONDANVS, cui pater *Arnoldus* Geldriæ Dux & dynaſta erat. Ille adoleuerat, iſte ſenuerat, & ægre ferre cœpit patris diuturnum imperium & vitam. Itaque per factiones, quoſdam è popularibus in arma trahit, & patri bellum palam facit. Sed pater viribus & cauſſa melior, obſeſſum in opido *Venlone* tenet: ac denique Principum vicinorum interuentu pax coit: hac lege, vt iuuenis vrbem *Nouiomagenſem* ſibi accipiat teneatque, in qua libere & ſolus dominetur. Sed exigua hæc ei portiuncula viſa, reſilit mox à fœdere, familiares quoſdam patris in eius contumeliam laqueo enecat: & cum videt à ſe vim fruſtra tentari, ad alienam potentiam fugit, ad noſtrũ *Philippum Bonum*. Bruxellam venit, patrem accuſat, ſeſe approbat, promittit multa: ſed apud vere *Boni* Principis ſurdas aures. Deſperatis igitur auxilijs, ne patrem videat, Hieroſolyma properat,

homo ſacer ſcilicet ad terram ſacram: paullo poſt redit, omnium inops, quo niſi ad patrem? Recipitur amice, & ipſe pænitentiam & amorem ſimulat, ſed vultu non animo bonus. Nam fraudem & inſidias patri ſtatim ita ſtruit. Erat ſenex *Grauiæ* ditionis ſuæ tunc opido, cum vxore: venit quaſi per officium filius. More gentis epulantur & bibunt largius, ſaltant etiam in multam noctem: ipſo ſene Duce ſuſtentante, & in filij gratiam præter vires & morem lætiore. Tandem cubitum ſeſe confert. Vix fecerat, cum adſunt à *Nouiomago* (ij iuueni parebant) ciues armati, & ab *Adolpho* clam intromiſſi, recta ad cubiculum Ducis, duce filio, tendunt. Pulſant fores. ille è lecto, iocos & choreas etiam tunc cogitans, *negat id noctis ſaltare vltra poſſe: iuuenes faciant, & abeant.* At illi effractis iam foribus adſtant, iubent ſurgere & ſe conſequi. *Quo autem?* ait ſenex, *& vbi filius?* Miſer, vbi auxilium putat, exitium eſt: & ille improbus, *Pater,* inquit, *neceßitati parendum eſt, age ſequere.* Nec tantillum exſpectant, vt tuniculam interiorem aptet atque induat, ne tibialia quidem ſumat: ſed pater equitantem filium, nudis pedibus & corpore, ita ſequitur *Buram* vſque. Ibi carceri tætro includitur, & ſex annos totos (non illius, ſed & popularium impietatem culpo) ſex inquam annos detinetur. Tandem improbitas querelas vulgi excitat, ſed & minas Principum vicinorum: è quibus *Ioannes* Cliuiæ Dux, ipſius *Adolphi* auunculus arma etiam ſumit. Qui tamen à ſe parum validus, auctoritatem vel au-

xilia à Pontifice *Paullo Secundo*, & *Friderico* Imp. petit. Illi statim annuunt, ad *Adolphum* acres minacesque litteras scribunt, & vt patrem luci & libertati reddat, iubent. Nihil fit, ridet. Itaque iidem *Carolo Audaci* nostro, valido Principi: totam rem committunt: liberet senem, reconciliet filium, denique faciat quod ex æquo & vsu videretur. Ille vtrumque coram se sistere iubet, qui in Galliæ finibus *Dorlani* tunc erat. *Adolphus* haud spernendam iram, & iussa, tam potentis vicini ratus, patrem secum eo ducit: accusat in consilio, fœda & falsa in eum ingerit: quorum facile purgatus senex, bonorum & illustrium virorum testimoniis, tandem impatientia & fiducia eo prorumpit, vt filium ad singulare certamen prouocaret, ferro & Deo iudicibus innocentiam suam asserturus. Mos tunc satis creber in Martiali nostro populo erat: sed *Audax* tamen abnuit, fœditatem rei proponens & insolentiam, & simul in euentu incerto certum scelus, vtercumque vicisset. Ita re cum suis deliberata, pro sententia dixit: *Arnoldus pater solus titulo Ducis vtatur: sed filio opida arcesque totius Geldriæ cedat, sola Grauia sibi excepta. Accipiat in alimoniam de manu filij tria quotannis aureorum millia.* Hæ conditiones: quis abneget, imo quis non miretur filio tam bonas? Sed non silent historici, *Carolum* nescio qua occulta caussa an pacto, in filium proniorem. Quid tamen deinde? refertur ad filium, & quidem à viris primariis & grauibus, inter quos *Philippus* ille *Cominæus* erat, qui hæc scripsit. At ille respondit

in ipſa hæc verba: *Malle ſe præcipitem dare parentem in puteum, ſe deinde ſuperiicere, quam vt in has conditiones paciſcatur. Quid malum?* inquit, *pater alibi imperet, qui totos quadraginta annos omnibus præfuit? Æquum eſt, vt noſtræ quoque iam vices ſint: nec aliud admiſero, quam de penſione trium millium, ſic quoque, vt pater tota Geldria cedat, atque adeo excedat, nec vnquam pedem in eam referat.* En reſponſum, non tam impium (& ita tunc omnibus viſum) quam inſanum. Igitur *Carolus*, cui aliæ res præuertendæ, cum idipſum temporis *Ambianum* Galliæ rex intercepiſſet, dilata hac cognitione, expeditioni ſe parat. Iuuenis ſuſpicatus detentum ſe iri, auerſione animorum cognita, fugam cum duobus comitibus, Gallica veſte, ad ſuos capit: omnia in reditu vi & armis occupaturus, aut turbaturus. Sed ecce *Namuri*, dum Moſam flumen cymba tranſmittit, agnitus ab vno alteroque vectorum, mox à pluribus, capitur, & ad *Audacem* reducitur. qui *Viluordiam*, atque inde *Cortracum* duci, & in honeſta cuſtodia aſſeruari iuſſit. Manſit ad *Audacis* ipſius mortem: cum *Gandauenſes*, pro ſuo tunc more turbas daturi, hũc idoneum ducem arbitrati, eum ſoluunt, & bello in *Tornacenſes* præficiunt, quos tunc Galli habebant. Iuit cum manu aliqua, adequitat mœnibus, erumpunt præſidiarij, & miſer inter primos cecidit. Quid tu nunc pater? talionem aliqua parte à iuſto Iudice vides. Carcere te puniuit? ipſe ſuſtinuit. Mortem machinatus eſt? ipſe ſubiuit

Nec sanguis hic multus fusus, aut violentæ cædes, fateor, vt in prioribus: mihi tamen libranti, impiæ Impietatis exemplum visum est, & supra omnia infixæ & obstinatæ. Nero, Tullia, aut alius aliquis, impetu peccauerint & calore: hic meditatum, hic diuturnum scelus est, nec adhæsit animo, sed insedit.

Apud nos hæc gesta. quid si in Græciam nouellam, & BYZANTIVM abeo? si ad illos à *Constantino* Imperatores? Fideliter dico, plura scelerum ab hac Ambitione exempla, quam in alia Europa tota reperiam. Sollennia illa erant, necare, exsecare, excæcare: hæc patres in filios, item matres ipsæ, hæc filij in vtrosque patrabãt. Quid. patruos, fratres, agnatos dicam? in leui suspicione, & minimo metu hæc facta: quasi per ludum aliquem & iocum. Et vide ingenium sæuitiæ! certum est, non alia re hominem magis abiici, & animo conatuque cadere, quam Exsectione illa aut Excæcatione. Qui aut virum viro, aut lumen demit: nihil ab eo viri vltra formidet, & in pœnam aut ludibrium modo viuit.

Sed claudo hoc totum de Ambitione, vno eoque iocoso exemplo. CHAN TARTARORVM (eorum Princeps sic dicitur) cum *Stephanus* haud ita nuper optimus fortissimusque Poloniæ Rex obiisset, in comitiis de Rege creando, ipse quoque per Legatos interuenit. Dixit & proposuit ista: *Potentem se esse, & posse myriades aliquot equitum* (vera sunt) *educere è suis terris, Poloniæ tuendæ vel augendæ. Item, frugalem se & conti-*

nentem esse, ac sine vllis ciborum deliciis, sola equina in fame contentum. Tertio, quod ad Religionem, de qua disputari audiebat, Tuus, inquit, Pontifex meus Pontifex esto, tuus Lutherus, meus Lutherus esto! Si risu excepta Legatio fuit, nemo quærat. effuso maxime: & ecce hominem paratum omnia sacra & deos deserere, regnandi caussa.

DE PRINCIPVM inclinatione.

Deteriores eos sæpe fieri, & mutari.

Cap. VI.

NEscio qua caussa occulta, præter apertas, etiam euenit: vt cum in aliis artibus vsu homines discant, & meliores fiant, in hac regendi fere contra, & Principes inclinent. Omnis ætas dicet, & raro decursum ad metam æquabiliter hunc cursum. Caussæ partim in Principe, partim Nobis, partim Principatu ipso videntur: atque obiter examinemus. In Principe, quia initio magis intendit, & pudor est, & bonæ famæ studium: quæ calcat paullatim, & in omnium obsequiis audaciam, & proteruiam, & contemptum sumit. Itaque *rumor ille* (ait Lampridius) *qui plerumque nouis solet dominari Principibus, nisi ex summis virtutibus non permanet.* Bene initio audiunt, & faciunt: sed raro constans est illa virtus, nisi firmo fundamento nixa

& instructa. Secunda caussa, ab infirmitate ingenij humani est. grande illud imperij pondus aliquandiu recta ceruice sustineri, vix semper potest: lassantur, & se inflectunt. Quo facit natura, prona in vitia: & magis, vbi non metus aut pœna retinet, sicut in Principe, qui est super ista. Et nisi ipsum illud Honestum eum teneat, & Religio: quis est qui possit? Accedunt deprauatores, insitum Aulæ malum: & qui praue etiam facta laudantes, magis istuc ducunt. Itaque vt qui vinum bibunt, initio pares sunt, & sensibus subsistunt: mox alienantur, & compotores etiam inuitant aut vrgent: sic in potentia, cùm noua & modica, ferunt: diuturna corrumpuntur, & fiunt ebrij. & magis tales faciunt adulatores. Panegyricus scriptor recte: *Vbi sub tanto onere infirmitas lapsa est, faciunt licentiam de potestate*: habenas omnes ingenio suo & cupidini laxant. Caussæ etiam in Nobis & subditis, sunt istæ. Credulitas prima. quod temere initio, etiam de malis aut ambiguis bene speramus: & quid mirum igitur falli? Neque illi se mutant: sed nos opinionem. Inde iactatum apud nos prouerbium: *Flandros amare futuros Principes, odisse factos*. Cum præsentes enim displicent, alios adspicimus & optamus: atque vt ægri, mutationem remedium destinamus. Secunda, quod refractarij sæpe & praui simus, & communiter etiam erga optimos ingrati: donec esse desinant. Id Principes grauantur & indignantur, & paullatim affectum & curam à talibus abducunt.

Magis autem, cum seditio, rebellio, aut insidiæ sunt: tum & iuste putant se opprimere aut affligere, & plurium noxam omnes luunt. Ausim dicere, bonos Subditos facere aut seruare Principes bonos. At caussæ in Principatu ipso sunt. quod is ad Superbiam & contemptum inuitet: & vel firmissimos conuellat, & à statu paullatim abducat. Sicut cæli à supero illo abripiuntur, & quamquam contra nitentes obsecundant: sic Principes ab ipsa illa potestate. Videsne priuatos homines in opibus magnis, aut prosperitate, deprauari, & à veteri via & vita flectere? idem fit istic. Potentia impotentiam gignit, licentia libidinem, vitia: & vt pondera ab alto lapsa, in præceps eunt. Quid, quod interdum ipsa Infelicitas mutet? vt quibus domi aut militiæ res sunt improsperæ, ipsi fortunæ, ipsis subditis (etsi extra culpam) obirascuntur, & vt in tempestate, clauum abiiciunt, & dant vela ventis. Priuatim saltem oblectamenta quærunt, conuiuia, ludos, mulierculas: publicum omne decus aspernantur. Exempla horum pauca videamus.

I. Insigne primum in DIONYSIO IVNIORE tyranno Siciliæ: qui mortuo patre, mire clementem se exhibuit & benignum. Tria millia nexorum, ob æs alienum, soluit, tributa per triennum remisit, alia, in gratiam & famam populi. Sed mox iam dominationis certus, retulit ingeniũ, quod paullisper seposuerat: auunculos interfecit, quos verebatur aut timebat, itẽ fratres suos, ne quis æmulus superesset, mox in omnes

promiscue sæuiit, ille *Dionysius* effectus, cuius non tyranni, sed tyrannidis, nomen habetur.

II. At hic natura prauus: à caussis, & vi aut vitio Regni, PHILIPPVS Macedonum rex pænultimus, cui cum Romanis bellum fuit. Erat sane ille (Polybius testatur, qui nouit & vidit) plerisque dotibus corporis atque animi ornatus: vultu decorus, corpore erectus, eloquentia promptus, ingenio & memoria validus, lepore & dictis etiam facetus, atque omnia cum regio quodam decore & maiestate. Accessit virtutum studium in toga, & in bello, animi magnitudo, & liberalitas: vno verbo, vix alium tanta indole aut spe Regem Macedonia aut Græcia viderat. Sed ecce momento omnia vertuntur: siue Fortunæ culpa, quæ aduersa ei in Romanos, animum infregit & ab instituto ad gloriam cursu reuocauit, siue delatorum vitio & suo, qui aures eis temere & facile præbebat. Sane optimos quosque à se spreuit, veneno & ferro grassatus: sed nec sanguini & filio suo *Demetrio* tandem parcens. Denique ille *Philippus*, de quo omnia bona sperata & videri cœpa, in omnia mala desiit, prauus, inuisus, infelix.

III. HERODEM Iudææ regem licet addere, insignem, mitem, magnificum, primis sex annis, siquem alium: reliquos triginta & vnum sic immanem, trucem in suos alienosque, vt *Septuaginta* Senatores regiæ stirpis interfecerit, vxorem suam, & tres filios: denique moriturus, ex omni Iudæa nobilissimum quemque, quasi ob aliam caussam, euocari ad se iusserit, & cum

venissent

venissent, ambitiose ab amicis petiit, vt inclusos Circo, ad vnum interfici à militibus curarent. non ob noxam, sed (vt aiebat) quo verus iustusque dolor funeri suo exhiberetur, cum nulla familia immunis ab hac clade esset.

Quid TIBERIVM Romanum Principem loquar? res pernota est, bonum fuisse, donec *Germanicus ac Drusus* superfuere, mixtum virtutibus ac vitiis, matre incolumi, post in omne scelus, flagitium, & infamiam prorupisse, vt ipsum quoque interdum non factorum solum (animo torquente) sed vitæ pæniteret. IIII.

NERO in eadem re Romana notatur, magnus initio Princeps, magnum postea monstrum: & Traiani elogium de illo fuit, *Omnes etiam optimos Principes longe à primo quinquennio Neronis abesse.* Quod in aliis fortasse verum fuerit, sed domi tamen veneno frater sublatus, secundo statim anno, dedecorat hanc laudem. Plura exempla notare est: plura? imo plurima: sed fastidium paritatis vitandum est, & nihil hic, quod singulariter narretur. V.

DE FINE PRINCIPATVS:

Qui est, Publicum Bonum.

CAP. VII.

AT Princeps, ne inclinet sic & labatur, sed bonus sit & perseueret: quid magis eum

fulciat & firmet, quam Finis semper in oculis, quo spectet? Neque enim Principatus ipse finis est, absit, aut altitudo illa & splendor: sed populi bonum, id est directio eius & tutela. *Officium est imperare, non regnum*, ait Seneca noster. Græci ἄνακτας *Reges* dixerunt, vt Plutarchus interpretatur, ἀπὸ τοῦ ἀνακῶς ἔχειν: quod est, *curam gerere, & tueri*. Certe debent. ipsum *Regis* nomen apud Latinos eodem vocat: vt ordinem seruet, composite imperet: quod qui neglegit, non regit ille, sed dissipat & perdit. Cogitet secum Princeps: *Ego ex omnibus mortalibus placui, electúsque sum, qui Deorũ vice in terris fungerer: ego vitæ necisque gentibus arbiter: qualẽ quisque statum sortemque habeat, in mea manu est positum.* O dignitas! vicarium Dei esse, & non esse æmulum? Vide vt ille ab orbe condito dispenset, & regat æstates, hiemes, anni tempora, fruges, fructus, tot vsui nostro aut voluptati: cælos, terras, maria, omnia in statu & concordia, etsi maxime discordia, seruet: parcat plurimum, interdum puniat: verus pater simul & dominus generis humani: quid desideres, præter hoc exemplum? Subsequere: & à Deo reges, ad Deum eant. Sint igitur in assidua cura, sed cum tranquillitate & pace: & hæc vtraque suis, quantum potest, procurent. Absit otium. *Neque enim specie tenus* (ait Panegyristes) *ac nomine, fortuna Imperij consideranda est.* Sunt trabeæ, & fasces, & stipatio, & fulgor, & quidquid aliud huic dignitati adstruximus: sed longe maiora sunt, quæ vicissim nobis, auctoribus fautoribusque potentiæ,

Epist. xci.

Sen 1. de Clem.

debent. *Admittere in animum totius reipublicæ curam, & populi fata suscipere: & oblitum quodammodo sui gentibus viuere. Accipere innumerabiles vndique nuncios, totidem mandata dimittere, de tot vrbibus, nationibus, & prouinciis cogitare?* NOCTES OMNES DIESQVE, *perpeti solicitudine*, PRO SALVTE OMNIVM *cogitare.* En breuiter tuum munus, & in fine Finis, Populi salus. Exempla addamus, qui fecere, aut facturos se sunt professi. Inter istos. Ibid.

I. TIBERIVS Imperator. qui pulchra voce (vtinam & re!) testatus, in pleno Senatu: *Dixi & nunc, & sæpe alias P.C. bonum & salutarem Principem, quem, vos tanta & tam libera potestate instruxistis, Senatui* SERVIRE *debere &* VNIVERSIS *ciuibus: sæpe ac plerumque, etiam* SINGVLIS. *Neque id dixisse me pænitet.* Pulchra, inquam, voce, & quam sine Numine conceptam non reor, aut emissam. Quid verba facimus in instruendo Principe? ecce hic compendium. *Seruiat*, id est audiat obsequaturque *Senatui* & bonis consiliariis: *Seruiat vniuersis*, in bono omnium procurando: *Seruiat singulis*, in Iustitia administranda, iniuria arcenda. Sine istis, non est Princeps, sed tyrannus.

II. Quod TRAIANVS, item Imperator, considerans, cum Præfectum suum Prætorij, de more, gladio succingeret, daretque vitæ & necis potestatem: *Cape hunc*, inquit: *& si quidem recte &* EX VTILITATE OMNIVM *imperauero, pro me: sin aliter, contra me vtere* Optimam *Optimi* illius vocem! Viuam, si reipublicæ viuo:

si mihi, arma hæc in me verte.

III. Iam HADRIANVS Imp. quoties auditus est dicere? *Ita se rempublicam gesturum, vt sciret* REM POPVLI *esse, non suam.* Iterumque, quod eodem ducas: *Talem se præstiturum Imperatorem, qualem sibi optasset priuatus.*

IIII. VESPASIANI etiam cæleste dictum est. qui sanus valensque, semper in publicis occupatus, etiam æger perseuerauit: & reuocantibus amicis, vtque sibi parceret, *Imperatorem inquit stantem mori oportere.*

V. Inferiore æuo HENRICVS Imp. *Friderici* filius, ita assiduus in rebus, vt vix sero cibum caperet. Cumque idem moneretur, valetudinem & vires cordi habere, respondit: *Priuato quidem homini omne tempus cibi esse, cum id lubet, aut solet: at Regi, si nomen suum non abdicat, id solum, quo vacat.*

VI. Itaque rebus hominibusque se dant, etiam vilioribus: nam & ij Principatus membra. Insigni hic monito RVDOLFI Imperatoris *Austriaci*, qui cum submoueri à satellitio suo tenuiores quosdam videret, ad se affectantes, non sine stomacho edixit: *Per Deum* (ipsa eius verba sunt) *sinite homines ad me venire. Non enim ideo ad imperium sum vocatus, vt in arcula includar.* Melius nihil possum, desino, & hoc infigo.

DE EXEMPLIS PRINCIPVM.

Ea facere ad Virtutes aut Vitia subditorum.

Cap. VIII.

PRINCIPEM ob se bonum esse oportet, sed etiam ob alios: quos talis emēdat, aut alius deprauat. Nam homines inprimis ad alta ista flectunt oculos, & exempla sibi suis inde moribus sumunt. Sallustius: *Qui magno imperio præditi, in excelso ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales nouere. Ita maxima fortuna, minima licentia est.* Sicut igitur regulam maxime rectam esse oportet: ad quam cetera diriguntur: sic Principem. Et vt in corporibus grauissimus est morbus, qui à capite diffunditur: sic qui ab illo. Pindari, ad Hieronem Siciliæ regem, aurea dicta sunt.

> Ἀλλ' ὅμως κρείσσων γὰρ οἰκτιρμῶ φθόνος.
> μὴ παρίει καλά. νώ-
> μα δικαίῳ πηδαλίῳ στρατόν. ἀ-
> ψευδεῖ δὲ πρὸς ἄκμονι χάλ-
> κευε γλῶσσαν.
> εἴ τι καὶ φλαῦρον παραιθύσ-
> σει, μέγα τοι φέρεται
> πὰρ σέθεν. πολλῶν ταμίας
> ἐσσί. πολλοὶ μάρτυρες ἀμφοτέροις πιστοί.
>
> *Attamen (melior enim miseratione Inuidia.)*
> *Ne omitte honesta. guberna*
> *Iusto clauo populum,*
> *Veracemque ad incudem*
> *Fabrica linguam*

Si enim vel leue eruperit,
Magnum feretur
Abs te. multorum dispensator
Es: multi testes vtrisque fidi.

I. ALPHONSVS rex Aragoniæ & Neapoleos, cum de Subditorum motibus disputaretur, dixit: *Vt herbas quasdam ad Solis motum, sic populares in Principum mores verti.*

II. ALEXANDER MAGNVS ceruice leuiter incurua & panda fuit, quod certatim proceres & aulici imitati, quasi ipsum sic effingentes. Adeo & minuta obseruant, atque æmulantur: vtinam sic interiora & virtutes!

III. Luxus in conuiuiis, veste, supellectile, familia, ad VESPASIANI tempora nimis Romæ inualuit: nec vel legibus potuit coerceri, at statim, illo Principe, sponte exoleuit. Caussa in Tacito: *Præcipuus adstricti moris auctor Vespasianus fuit, antiquo ipse cultu victuque. obsequium inde in Principem, & æmulandi amor, validiora quàm pœna ex legibus & metus.*

III. Annal.

DE IVSTITIA.

Quam Princeps in se, & suis, seruet.
CAP. IX.

INTER omnes autem Virtutes: sunt quædam velut Regiæ, & Principales, vt *Iustitia* primum. à qua Homerus Reges δικασπόλους appellauit, *Circa ius occupatos & versantes*. Nihil iis

conuenientius, nihil dignius: & seruata, regna seruat. Seruāda autem in iis quæ Principes, aut qui circa ipsos sunt, tangunt. Mali doctores, qui à legibus eximunt: qui cum Caligula censent, *Omnia ipsi, & in omnes, licere.* Siue cum Sallustiano Memmio. *Impune quidlibet facere, id est regem esse.* Abite qui docetis, qui discitis: imo qui præest Iustitiæ, ad eam præeat, & exemplo commendet. Theodosium imitetur, de quo Panegyristes: *Idem es qui fuisti, & tātum tibi per te licet, quātum per leges antea licebat. Ius summum, facultate & copia commodandi, non securitate peccādi experiris.*

I. Dixit sensitque ANTIGONVS Macedonum rex, cui cum blandiens aliquis suggereret, *Omnia regibus honesta iustaque esse*: Respondit: *Sunt hercules, sed Barbarorum dumtaxat regibus. at nobis ea honesta, quæ honesta sunt, & iusta quæ iusta* Retudit adulatorem, & docuit, non regulam iustitiæ regem, sed ministrum esse. Quid idem iterum? Scripsit ciuitatibus, vt *Siquid forte iuberet, quod aduersaretur legibus, ne admitterent: ac pro eo haberent, atque si inscio se scriptum esset.*

II. ZALEVCVS vero & insigni facto iustitiam asseruit. Legem, inter alias, Locrensibus tulerat, *vt Adulter oculis orbaretur*: iustissime, quia ij fere ad hoc crimen illices sunt, aut duces. At ecce filius paullo post adulterauit, & legis reus etiam pœnæ erat. quam tamen populus consensu, miseratione moti (vnicus enim erat) & in patris gratiam, remiserunt: sed patre abnuente & indignante. *Lex*, inquit, *Sancta, & pœna, etiam in nobis esto: sed viam repperi, qua illa salua,*

humanitati indulgeamus Ipse & ego, vnum sumus. mihi ergo vnus oculus, alter ipsi eruatur : atque id factum.

III. CHARONDAS autem Thuriorum legislator, in eadem magna Græcia, seuerior & in se fuit, aut vere dicam crudelior. Nam & ipse legem tulerat contra ciuiles factiones & cædes *Nequis cum telo in concionem venisse vellet : qui aliter, capitale id esset.* Accidit, vt ipse rure veniens, & indicta subito concione, vti erat, ad eam armatus accederet. cumque æmuli occlamassent, *Soluere eum legem, quam tulerat, ac palam cum telo esse* : ipse errore cognito, *Mehercule ita est*, inquit : *sed idem ego sanciam.* statimque stricto ferro incubuit. A fine aliquis laudet, à facto non probet.

IIII. At PHILIPPVS MACEDO, Magni pater, quam obnoxium se iustitiæ præbuit, & aures suas verberari vel conuicio passus est, quod ægrius quam gladio, Principes ferant? Dicebat apud eum caussam *Machetas* quidem: & Philippus parum intente visus audire, & re non bene tota cognita, damnasse. Machetas non tulit, & Macedonica ac militari libertate, *Appello*, inquit. Philippus miratus & iratus, *Tu à rege? & ad quem?* Machetas: *Ad ipsum te*, inquit, *sed vigilantem & attentum* : Siue, vt alij efferunt, *Ad Philippum sobrium.* Sed siue incuria, siue vinolentia regi obiecta, excussit vtramque, & re propius pensiculata, iniuriam Machetæ factam agnouit, & vindicauit. Quomodo? saluo tamen priore decreto : & æstimationem

litis ipse à se dependit. Dupliciter laudandus. & quod se, salua rei iudicatæ firmitate, immutauerit: & pænitentiam, pœnam etiam suam fecerit.

V.

Hæc in ipsis Principibus: circa ipsos, ista. ARTAXERXES Persarum rex, *Longimanus* cognomento, identidem obtundebatur (sic loquendum est. importune, & sæpe, alter ingerebat) cum, inquam, obtunderetur à *Satibarzane* gratioso satrapa, in re quapiam iniusta, quam alteri volebat impetratam: ille tandem resciuit *triginta Daricorum millibus* emptum Satibarzanem, vt confectum hoc daret. Vocat ad se igitur, atque vna Quæstorem: & *Heus tu,* inquit, *triginta millia huic illico adnumera: tu autem hæc cape, & tibi habe. Cum enim dedero, nihilo pauperior ero: at si tuum illud concessero, multo iniustior.* Laudo, laudo. neque amicum alienauit, fidei cognitum: neque Iustitiam vlla re violauit.

VI

PHILIPPVS iterum *Macedo* consimile: neque par tamen vndique. nam æquitate assidet, liberalitate non conuenit. *Harpalus* pro amico quodam, iniuriarum postulato, acer & multus apud Philippum intercedebat, & liberari volebat. Addebat, se pro eo mulctam, quanta esset, depensurum. Hic Philippus: *Quid tu igitur satagis, si mulcta dependitur?* Harpalus: *Nempe vt fama sit ei salua.* Philippus: *Quid tu ais? & non æquius illum male audire, qui male fecit, quam me innoxium, eius caussa?* Bonum factum, bonum dictum.

VII.

Nostri aut patrum æui vnum adiungam. Erat CAROLO AVDACI, Burgundiæ & nostro Duci, vir nobilis in feruēti gratia, atque ei præ-

fecturam opidi in Zelandia dedit. Ipse ibi in otio, amorem concipit in fæminam corpore scitam & moribus, animo meliorem, vt docuit euentus. Primo aspectus, obambulatio, suspiria, & quæ solent amantes: mox audacior & verba miscet, & affectum aperit, & solatium orat. Neque promissis abstinet, & omnia tentat, quæ sint expugnãdæ. Frustra, munita vndique castitas erat. Igitur desperatione ad facinus se vertit. Præfectus erat, vt dixi, & *Carolus* noster in bello: maritum igitur amatæ fœminæ proditionis insimulat, & statim in vincula missum carcere custodit. Quo fine? vt vel hoc metu minisque illam moueat, & obnoxiam sibi reddat: vel maritum ipsum amoueat, remoram amori. Custodit igitur & mulier casta & viri amans statim ad carcerem, à carcere ad Præfectum, deprecatura aut liberatura, si possit. Præfectus: *Et tu ô mea me rogas? imperium, quod in me habes, ignoras? affectum saltem mutuum redde, & maritum ipse reddo. Detinemur enim vterque, ille in meo, ego tuo carcere aut vinculis: ah! quam facile vtrumque soluis! Quid renuis? amans peto, & per meam vitam. Præfectus peto, & per mariti tui vitam. Vtraque agitur: & perire si debeo, perdam. Atqui miserere, & mulierem te, & coniugem ostende.* Mulier rubere ad ista, & stupere: & tamen pro marito etiam timere. Constat magis animo, quam corpore: & trepidat, & pallet. Atque ille, quia moueri visa, & leuiter vim verecundanti adhibendam ratus (soli erant) in lectum impellit, fruitur fructum, vtrique mox acer-

bum. Nam mulier confuſa & lacrimabunda abiens,pudoris magis quam peccati ægra, iram & vindictam coquit : quam magis etiam accendit barbarum (quomodo aliter appellem?) Præfecti factum. Nam ille voti potitus , & cetera prolixa autumans, ſi æmulum ſuſtuliſſet: maritum damnari curat, damnatum capite plecti. At id non in publico , ſed carçere ipſo factum : atque ibi cadauer in arcam ligneam incluſum , mox ſepeliendum. Venit interea mulier,ſiue accita ab ipſo (vt quidam tradiderunt) ſiue ſponte & ſuper ſalute mariti anxia: ſed venit, & vel ex pacto maritum recipere ſe ſperat. Ille benigne affatus, *Et maritum,* inquit, *quæris? habebis. Abi* (& digitum ad carcerem intendit.) *inuenies , & tolle.* Nihil ſuſpicata abit, videt & percellitur , & animo ac corpore lapſa ſuper cadauer ſe abijcit : ac diu lamentata, recipit animum atque iram, rediensque atroci vultu & verbis. *Et hercules*, inquit, *reddidiſti maritum* : *gratia debetur, exſoluam.* Retinere & placare conatur, fruſtra: non tigris magis ſæuiat, fœtu erepto. ſtatimque amicorum fidis aduocatis, rem denarrat, eius ordinem, & culpam ſuam non culpam : ac conſilium viamque vltioni exquirit. Cenſent omnes ad Principem eundum : qui inter alias virtutes (inſignes habuit, niſi ſuperbia & peruicacia corrupiſſet) eximius Iuſtitiæ cultor erat. Accedit duobus amicis comitata, auditur : vix creditur. & indignatur & dolet Princeps, hoc in ſuo ſolo, & è ſuis, quemquam auſum. Sed & mulieri edi-

cere minaciter, nisi vera & certa afferret, malũ habituram. Iubet manere in Aula, & in vicinũ cubiculum secedere, dum Præfectum vocat: nam forte & ipse in Aula erat. Venit, introducitur & mulier. *Hanc nostin'?* ait Princeps. Colorem homo mutat: & Princeps exsequitur: *At querelas, quas super te defert, etiam nosti? Atroces sunt, & quas nolim esse veras. Quid ais?* Vacillat, perplexe loquitur, negat aliquid & annuit: donec Princeps ex vultu ipso & sermone culpam suspicatus, vt tamen certior esset, remotis omnibus solum alloquitur. *Quam fidem mihi debeas, & quam beneficijs meis gratiam, non nescis. Per hanc & illam te adiuro, vt quid in hac re sit, liquido & sine ambagine denarres. Fatenti gratia, aut aliqua securitas, non deerit: nec abnuenti tormenta.* Ibi ille ad genua se abijcere, factum agnoscere: denique mulierem culpæ omnis liberare, se onerare: sed in gratia Principis refugium & solatium ponere. Quam vt magis impetret, illicitam libidinem purgaturum matrimonio offert. Princeps, quasi aures præbens & iam mitior, mulierem reuocari, quosdam è suis adsistere iubet. *Et heus tu, quoniam huc ventum est mulier, placetne maritum hunc habere?* Illa abnuit: & tamen voluntatem aut iussa Principis timens, adspicit circumstantes. Qui certatim innuunt aut suggerũt, accipiat conditionem viri nobilis, diuitis, apud Dominum gratiosi. Victa dat manus. quas Princeps iungi cum Præfecti iubet. & solennibus verbis matrimonium firmari. Firmato, iterum Princeps: *Tu noue marite hoc iamnunc largire, vt si prior*

sine liberis obeas, hæc coniux heres omnium bonorum tuorum sit. Libens concedit, testes audiunt, tabularius scribit. Et his iam peractis, noster *Carolus* ad fæminam: *Dic sodes, animo tuo factum iam satis? Satis,* inquit mulier? *At nondum meo*, ille subijcit: & ablegata fæmina, iubet Præfectum in illum ipsum carcerem duci, in quo maritus cæsus, & pariter cæsum in arcam ligneam siue capulum deponi. Facta sunt. tum mulierem ignaram eo mittit: quæ inopinato iterum casu conterrita, duobus maritis eodem fere tempore, eodem certe supplicio amissis, mox in morbum incidit, & fato obijt. Hoc solum alteris nuptijs lucrata, vt liberos ex priore coniugio diuites relinqueret, noua hereditate. Tragœdiæ exemplum est: sed gratulor Belgicæ talem exitum, sub tali Iustitiæ vindice: & vos successores seruate.

VIII.

Atque hæc circa Amicos breui, sed memorabili, facto claudam MAHVMETIS *Secundi* Turcarum Principis, quem verius *Muchemetem* scribi, gnari, linguæ persuadent nobis. Memorabili, quia circa filium: & quid propius tangat? Is igitur *Muchemetes* filium habuit *Mustafam*, imperio destinatum: & cetera bonum, libidinibus pronum. Hic *Achmetis* Bassæ vxorem, insigni forma, adamabat, & blanditijs diu peruincere conatus, cum non succederet, insidijs tentauit. Speculatus est tempus, quo in balneum mulier iuit (& sæpe lauant se Turcæ:) & mox secutus cum paucis suorum. ibi nudam & frustra renitentem compressit. Illa ad maritum, maritus

ad Imperatorem flagitium detulit, pœnas poposcit. *Mahumetes* primo cunctari, tum asperioribus verbis (sed alius in mente sensus erat) Bassam excipere: *Et quid*, inquit, *sic grauiter de filio quari tibi visum est? An nescis te, & tuam, iuris mancipijque mei esse? Si filius igitur illam amplexus est, & animo suo morem gessit: nempe ancillam meam amplexus est. sine vlla quidem culpa, si me volente. Hæc cogita, atque abi: cetera mihi permitte.* Sed ista iuris tuendi caussa magis, quam quia sentiret, dixit: atque animi æger & saucius, filium ad se vocatum primo examinauit; tum confessum pessimis verbis minisque acceptum dimisit. Et mox minas in rem confert: ac triduo post, cum aliquamdiu in pectore filius & Iustitia pugnassent, hac vincente, fauces Mustafæ neruo arcus iussit effringi, & morte Pudicitiæ litare.

DE IVSTITIA.

Quam Princeps erga Subditos seruet.

CAP. IX.

QVid enim potius faciat? prima institutio & admissio regum ab hoc fine fuit. Sine Iustitia viuere inter nos, id est in Societate non licet: ergo aliquis, aut aliqui eligendi, qui huic administrandæ præsint. Liuius bene: *Multitudo coalescere in vnius populi corpus, nulla re, quam legibus, potest.* Plane nulla. hæc vinclũ est, & vt sic dicã, coagulũ: solue, dissipamur, & vt feræ solitariæ,

Lib. 1.

vagamur. Homerus, qui omnia sciuit, de Iustitia istud:

Odyss. β

Ἥ τ' ἀνδρῶν ἀγορὰς ἠμὲν λύει, ἠδὲ καθίζει:
Quæ cœtus hominum cogit, soluitque vicißim.

Cogit & seruat: si seruas, soluit, si neglegis & seponis. Mirum & breue, sed verũ est: nulla re (ad vsum prouoco) quæcũque Resp. magis florebit aut floruit, quam rigida & immota Iustitia: nulla re magis flaccesset & deficiet, quam illa tali. Hæc felicitas regnorum & statuum, interna & externa. Interna quidem. nam quis nescit scelera & flagitia per eam remoueri, virtutes promoueri? Externa. quia agri, viæ, maria frequentantur, & securitas vbique ac tranquillitas regnant. Boetius egregie: *Annum bonum, non tam de magnis fructibus, quam de iuste regnantibus, existimandum.* Quid iterum Homerus?

1. De Consol phil.

Odyss. T.

Ὥστε τευ ἢ βασιλῆος ἀμύμονος, ὅστε θεουδὴς
Ἀνδράσιν ἐν πολλοῖσι καὶ ἰφθίμοισιν ἀνάσσων,
Εὐδικίας ἀνέχῃσι· φέρῃσι δὲ γαῖα μέλαινα
Πυροὺς καὶ κριθάς, βρίθῃσι δὲ δένδρεα καρπῷ,
Τίκτει δ' ἔμπεδα μῆλα, θάλασσα δὲ παρέχῃ ἰχθῦς,
Ἐξ εὐηγεσίης· ἀρετῶσι δὲ λαοὶ ὑπ' αὐτοῦ:
Ut cum Rex bonus imperat, & metuens Diuorum,
In multis populis & fortibus. ille quoque idem
Iustitiam colit: obserues & tunc sola terra
Fructus ferre suos, & fruges fundere, itemque
Fœtificare armenta, & pisces exundare:
Nempe ex Iustitia. populisque bene atque beate est.

Si attendas, & dilates: quam laudationem vberẽ Iustitiæ non scribas? Ergo felicia regna reddit:

eadem alia, si languet aut perit. O pulchrum, cum licet gloriari aut dicere, quod GVILIELMI, quem *Acquisitorem* vocant, temporibus in Anglia: *Totum regnum puellam onustam auro posse peruadere!* Vt possit, Iustitia.

An. 1. XXXV.

MON. I. *Seuere administranda.*

I. Etiam in paruis rebus, aut iniurijs. Quod fecit ANDRONICVS *Comnenus*, Imperator Byzantij: qui nullo discrimine nobiles aut nouos: tenues, diuites, suos, aut alienos, solitus culpæ conuictos damnare. In his *Theodorum* quemdam è suis caris, quem agricolæ detulerant, diuertisse apud se cum seruitijs, nec in discessu quidquam soluisse. Res erat (vt hodie) non nimis noua aut insolens Palatinis. Tamen Imperator hominem statim corripi, fusti duodecies in publico cædi iussit, tum agricolis damnum largiter rependi.

II. Scripsit IDEM ad Præsides & Magistratus hisipsis verbis: *Aut iniurias, aut vitam relinquite. nam vos iniuste agere, & viuere, nec Deo gratum, nec mihi eius ministro ferendum est.* Tu vero nunc viue Imperator, & mapalia nostra ordina.

III. LEO ARMENVS ibidem Imperator, cum Palatio digressus adiretur à tenuioris sortis homine, qui vxorem suam diceret à Senatore raptam, stupratamque: & id se facinus ad Præfectum detulisse, nec ius adhuc sibi dictum: *Leo* confestim mandauit, vt reuerso sibi actor, reus, Præfectus sisterētur. Quos deinde auditos, cum noxæ reum, negligentiæ Præfectum comperisset: hunc dignitate, illum vita exuit. O factum,

Dei

Dei hominumque fauore dignandum.

Neque aliter in caussa simili TOTILA rex: eo laudabilior quod barbarus patrauit, & in militem, non sine metu seditionis militaris. Accessit eum Calaber quidam, incusauitque è satellitio eius militem filiæ suæ per vim compressæ; TOTILA statim in vincla hominem dat, pœnas sumpturus, quas tamen milites remorantur, miseratione, an cupidine similis licentiæ: atque agmine adeũtes petunt dimitti, & sibi donari, cõmilitonem notæ virtutis, & facinorum clarum. Totila auditos acri oratione castigat: *Quid agitis parum prouidi, aut vobis vultis? Sine iustitia rem ciuilem, aut militarem, stare non posse, satis vos Theodahadas rex docuisse debuit: qui prætio aut gratiæ eam largitus, quas clades ipse passus est, & per eum gens Gothorum? Nunc me rege, & illa reuixit, ac statim caput sustulit vetus illa gloria nostra ac fortuna: & vultis illam & hanc iterum (nexa ea sunt) labi? Vnus scelus commisit, & vos venire in consortium eius vultis? Nam assident inter se & pæne paria sunt, delinquere, & tueri delinquentes. Nisi quod hic etiam maius peccatum, viam aperire & struere peccaturis. Summa est, milites: ego non feram, & me potius auferte.* Moti sunt, & animos ponunt, rem ei permittunt. qui hominem carcere eductum audit, ac capitis damnat, damnati bona vitiatæ velut in dotem donat.

ALFONSVS rex Hispaniæ sed *Imperator* cognomento. quia huic dignitati destinatus, insignis æqui iustique cultor fuit. Exẽplum. Nõ-

bilis quidam in Galæcia, stirpe sua fisus, & temporum perturbatione confisus, rusticulum bonis omnibus spoliauit. Prætorem ille adit, hic nobilem monet desistere & reponere: non audit, rex aditur. Iubet idem, nec obtemperat, in locorum longinquitate spem etiam ponens. At rex, ceteris omnibus omissis, priuati habitu, quo res occultior esset, Toleto in extremam Galæciam pergit. Militis ædes obsidet, dilapsumque comprehendi è fuga, & pro ipsis foribus laqueo suspendi, & cum ignominia strangulari mandauit.

VI. In nostra vero Belgica BALDVINVS *Septimus* Comes Flandriæ, *Petrum* virum nobilem, & *Orscampi* toparcham, ob duos boues paupercule viduæ reclamanti abductos, re ad eum delata, subito arripi iubet, & atroci morte puniri. Forte lebes aquæ feruentis in medio Brugensi foro erat, monetario puniendo destinatus: hunc sine mora hominem conijci iubet, sic vt erat, ocreatum, vestitum, gladio accinctum. Quid ais? sic calide, & an non temere? Nihil. nam inquisitio præcesserat, & culpæ conuictus, per aliam caussam euocatus, pœnas sic luit: meo animo, recte & salubriter.

VII. Ille IDEM vndecim equestris loci viros, quod tres mercatores per viam bonis, & deinde vita exuissent, vocatos in Palatium damnauit. Statimque se coram laqueis iniectis, destitui super tabulam annexos ad trabem iussit: ac manu tum sua tabulam subduxit, ac pensiles fecit suffocauitque. Rem laudo, modum improbo:

ac potuit debuitque manibus hoc alienis.

MON. II. *Sine affectu vel aspectu administranda.*

Quod nobili exemplo præiuit C. MARIVS, ille septimum Consul. Cimbricum terribile Romanis bellum erat, & ei, postquam aliorum ducum pertæsum esset, Marius præfectus. Fecerat Tribunum in legione sororis suæ filium, militiæ fortasse fortem, libidinis impotentem. Amare cœpit in legione sua. *C. Plotium*, tironem militem, & in flore adhuc æui: nam Romani ab anno decimo septimo eos scribebant. Igitur aliquoties tentare, & de stupro eum apellare: iste adspernari, & conuicio mox repellere. Tanto flagrantior, & ad imperij vim versus, noctu adolescentem in tabernaculum vocat: & capitale erat non parere Tribuno. Venit, & solita, audit & flagitij tentamēta, aut præmia: quæ cū fortiter reijceret, manus Tribunus iniicit, & vim parat. cum ille boni sanguinis gladio educto, *Virum me scito*, inquit: & Tribunum transadigit. Clamor in tabernaculo, tumultus in castris: nouum & atrox facinus omnes concitat, Tribunum à manipulari occisum. Ducitur mane ad C. Marium, qui forte ea nocte non fuerat in castris, qui tribunali conscenso, voces & præiudicia militum audit, disciplinam castrorum, & suam etiam cognationem cogitat: atque omnia prædamnabant militem: sed eius innocentia, & Marij firma æquitas, eripiunt. Nam cum ille ægre & inuitus, sed victo pudore denique,

rem explicasset: Marius nihil cunctatus, sententiam & infamiam in defunctum vertit, & hunc noxæ absoluit. Absoluit tantum? imo: & laudatum corona donauit, cum elogio *Quod pulcherrimum facinus eo tempore edidisset, quo fortibus exemplis opus esset.* Macte Mari! Pudicitia te amat, atq; ipsa Disciplina amat: quam soluisses, nisi sic soluisses.

II. Talis ANDREÆ regis Hungariæ iustitia, nec in caussa nimis dispare. Iuit in terram Sanctam cum copiis, religione impulsus, & curam regni *Bancbano* commisit, fidei eius & vxore *Gertrude* commendata. Quæ apud eum sancta, non ipsam fuit. nam cum frater Gertrudis; adolescens lasciuus & petulans, absente rege, visum ad sororem venisset: illa iuueni gratificatura, vxorem Bancbani, pudicam ad id formosamque fœminam, fraudibus & pellaciis ei substernit. Quæ post facinus pænitentia ducta, rem omnem marito exponit, & simul reginæ fraudes, & iram à se in illam vertit. Qua iustissima Bancbanus accensus, vt erat doloris recens, reginam adit, exprobrat factum & gladio vlciscitur. Cæde patrata Byzantium abit, Andreæ regi occursurus, illac in Syriam tendenti. quem mox reperit, & rem aperit: illum vnum iudicem, &, si meruit, vindicem poscit. Rex differt in suum reditum, & vultu atque animo composito: *Tu vero abi,* inquit, *& in regnum redi: vicem meam, vt ante, functurus. Nam reduci mihi, si Deus annuit, stat hanc caussam cognoscere & decidere. Si innocens es, tunc*

libens absoluero: sin autem nocens, ne nunc quidem damnatum volo, nec expeditionem hanc in hostes fidei sumptam, Christiano sanguine auspicor & perfundo. Vterque abiit: ille in Asiam, hic in Hungariam. & cum rediisset, caussa serio inquisita & cognita, pronunciat, *Vxorem suam iuste cæsam videri.* O multa in hoc facto insignia: Quod nihil sacræ expeditioni anteposuerit: quod suspectum, si non conuictum, iterum regno præposuerit: quod amorem coniugalem Iustitiæ postposuerit. Salue vel hoc facto magne rex: & tu CROYORVM inclyta familia, ramus ab illa stirpe.

III.

At OTHONIS *Tertij* Imperatoris affectus, etiam in suo capite & salute, domitus Iustitiæ cessit: si vera est narratio, quam ab illo æuo plures scriptores tradunt. Aiunt vxorem ei fuisse, parum casti corporis: & hanc cum ad *Mutinam* Italiæ Imperator, esset, cuidam Comiti in iis locis copiam vsuramque sui obtulisse, sed repulsam tulisse. Id perdolitum fæminæ (veteres ab eo iras & calumnias scimus:) atque ausa est ipsa crimen vltro struere, & tentatæ pudicitiæ suæ Comitem accusare. Imperator calide audit, credit, damnat, occidit. Comes tamen ante mortem rei seriem vxori suæ aperit: & rogat vt mortuum vindicet, & famam, quoniam vitam non potest, seruet. Dat consilium, vt iudicio candentis ferri, Deo freta, rem committat: qui mos tunc frequens, nuper & hodie merito exoleuit. Ille ita moritur: & paullo post dies aderat, qua sollenniter Cæsar ius dice-

bat viduis maxime & pupillis. Vidua igitur Comitis, mandatum exsecutura, venit ad tribunal, & caput mariti occultum in sinu gestat. Stat ante Cæsarem, & veniam præfata rogat: *Ecqua pœna dignus esset, qui vitam alteri iniuria ademisset?* Hic Imperator: *Is quidem, liquet mulier,* inquit: *morte.* Tum illa, *Ergo pœnam hanc tu, Cæsar, te iudice subibis, qui innocentem maritum meũ sustulisti. En caput, quod recidisti. Innocentem autem esse, quoniam testes & alia desunt, tractatione igniti ferri probabo.* Dixit, & sine noxa fecit: miraculum Imperatorem & adstantes commouit: sed hunc maxime, qui Deum etiam vindicem timebat. Itaque permittit se fæminæ, vt sua voce damnatum: sed veniam vitamque quattuor castrorum donatione redemit. Ea sunt in Etrutia, Lunensi tractu, & *Decimum, Octauum, Septimum, Sextum* appellant: à numero dierum, quibus prorogationem supplicij à fæmina, ante plenam veniam, impetrauerat. Haud negauerim, à fabula quam historia hoc hoc videri propius: sed bonis tamen auctoribus scripta, quæ culpa est describere.

IIII. Minus aspera, & vt sic dicam, Tragica sunt, quæ subiungam: sed in quibus affectus tamen egregie calcati. ARISTIDES Atheniensis, qui merito, & à pluribus caussis, cognomẽ *Iusti* vindicat, iudex inter duos captus sedebat: cum aduersarius, vt illum aduersario suo alienum redderet, sibi propitium; multa dicere de hostili eius in Aristidem animo, & documenta adiungere. Sed ille interrumpens,

Quin tu, inquit, *si quid te læsit, hoc dicis, & alia mittis? nam huic rei nunc sedemus.*

V.

GRATIANVS Imperator Romanus lepide etiam hic lusit, & ablegauit mulierem stulte importunam. Accessit, & de marito questa est, & aspera multa dixit. Ille placide, *Quid hoc ad me mulier?* At enim subiecit ipsa, *etiam in te male animatus est, & loquitur.* Ille iterum, *Quid hoc ad te mulier?* & confusam irrisamque sic dimisit.

MON. III. *Subtiliter interdum vel sagaciter inquirenda.*

I.

SALOMONIS regis Hebræi factum innotuit, celebratæ subtilitatis in eruenda veritate: cui æquitas comitem se dedit.

II.

GALBÆ Imperatoris. qui, cum de proprietate iumenti quereretur, incertis vtrimque argumentis, ita decreuit, vt ad lacum, vbi aquari solebat, capite inuoluto duceretur: atque ibidem reuelato, eius esset ad quem sponte se recepisset.

III.

Sunt alia huius generis: sed omnia æquat aut superat RVDOLFI Austriaci istud. Agebat Noribergæ, & rebus imperij ac publicis intendebat: cum ad priuatas eum vertit leuiter mercator quispiam, ius & vindictam petens in hospitem siue diuersitorem ibi notum, à quo grandi pecunia fraudatum se aiebat. Nam bona fide deposuisse apud eum in sacculo *ducentas argenti selibras* (Marcas appellant:) quas ille impudēter abnegabat, iniuriose retinebat. Impe-

rator de fide dictorum rogat: ille affirmat, sed sua fide, nec aliis (vt solet fere in Deposito) argumentis. Igitur Imperator, re perpensa, astum adhibendum censuit, & vestigiis verum indagandum. Quærit ab homine, ille sacculus siue vidulus cuiusmodi esset? Describit formã: nec aliud Cæsar, quam secedere eum in proximum cubiculum, & præstolari iubet. Habebat in animo euocare hospitem, sed Fortuna commodius instituit, & vltro ad eum mittit. Nam veniunt primarij vrbis ciues, vt solet, gratulatum Principi, & salutatum: inter quos iste infidus hospes. Norat adeo iam ante Cæsar, & vt comitas eius erat, benigne & per facetias appellat: *Heus tu, scitum illic pilleum habes. mihi dona, & permutemus* Ille arrisit, pilleum libens dimisit, & honori hoc factum duxit. Cæsar secedit paullum, quasi publicum negotium auocaret: & fidum ac notum eius opidi ciuem, cum ipso pilleo illo, ad vxorem hospitis mittit cum mandatis. *Heus matrona, maritus iubet vt sacculum illum talem ad eum mittas opus habet: & ecce tesseram fidei meæ hunc eius pilleum.* Mulier agnoscit pilleum, & sacculũ descripserat: itaque nihil ambigens ascendit, tradit, quasi ad maritum deferendum. At ille recta ad Cæsarem. qui vidulum vocato tunc denique mercatori ostendit: & *Hicne est? & agnoscis?* Affirmat, exsultat: tum & Hospitem Imperator adhibet, & *Hic*, inquit, *de te queritur, & perfidiam accusat: quid ais, & refellis?* Audacter ille, *mentiri eum dicere, aut dementire: nihil sibi rei cum eo*

esse, aut fuisse. Denique Imperator sacculum profert: ad cuius aspectum ille confunditur, & animo ac lingua labitur. Quid multa? mercator pecuniam, hospes infamiam recipit, atque etiam damnum. nam grandi pecunia alia Cæsar eum mulctat. At Rudolfus omnium ore & sensu laudem: & decantatum in Germania satis hoc factum fuit. Sed quoniam nunc, & ante, Principes dedi, qui ipsi & suo ore, statim & de plano ius dixerunt, oriri pro moribus nostris potest

QVÆSTIO:

An ergo deceat, aut expediat, ipsum Principem ius dicere, reddere?

Ego putem dicere, expedire, debere. Non alia res imperium magis asserit & ostēdit, quam hæc in bona vitamque nostram potestas: & cur Princeps cunctetur exercere? Expedit etiam. quia contra potentes sæpe caussæ aguntur: nec minores illi aut delegati iudices, satis in eos oris, aut roboris, semper habent. Seuerior igitur ita, sed & breuior Iustitia: & tricis remotis supremus ille decidit. Addidi, debere. quidni? In *Politicis* docui, reges iustitiæ fruendę caussa primitus institutos. Si hoc fine, cur munus suū refugiant? Homerus audiatur:

> Εἷς βασιλεύς, ᾧ ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω
> Σκῆπτρόν τ' ἠδὲ θέμιστας, ἵνα σφίσιν βασιλεύῃ.

Vnus rex, cui concessit Saturnia proles
Sceptrumque & leges, vt iudicet & dominetur.

Leges & iura Deus in manu eius, cum sceptro posuit: hoc ostendit & præfert, illas aliis demandet? Non debet: & vel veteres ab omni euo in omni fere orbe, reges videat: ius ipsi dixerunt. Hęc & plura in ista parte sunt: sed & alia acres habet assertores. Aiunt incommoda multa fuisse, & esse, si Princeps iudicet, iisque animaduersis, ad hodiernam hanc rationem ventum. Primum ecce, da imperitum Principem, qui par erit? qui non faciet recta curua? Item, da ineptum in sermone, in gestu: quid nisi irrisui se exponit? Amplius, cræbra hęc ostentatio sui, & in populo locutio, nonne vulgat Principem, & detrahit maiestati? Quarto, vel seuere iudicabit, & Odium pariet; vel remisse, & Ius violabit. Melius ergo res asperas, & sine bona gratia, in alios inclinari. Quinto denique, sunt nunc Curiæ maiores minoresque, & cuique rei stata sua iudicia: quid Principem in nouas curas arcessimus, varie & affatim distractum? Quin melius tutiusque nil nouare, & siquid in iam statutis labat, firmare & vincire. Ista nec male, nec abs re prorsus dicuntur, fateor: sed responderi tamen potest, & iustitię caussa, debet. Primum de Imperitia, dico. plurimum & Principem, & quemcumque alium, natura duce in magnis aut enormibus caussis iudicare posse, nec opus grandi sciẽtia (ad hanc rem) Iuris & Legum.

Da ſimplicem, da probum, affectuum expertem: audeo dicere, rara cauſſa erit, in qua verum, aut quod iuxta verum, non videbit. Imo Deus plerumque inſpirat, & talibus mentem mouet. quod ſacer ille ſcriptor voluit: *Diuinatio in labijs Regis: in iudicio non errabit os eius.* Et tamen fac interdum caligare: quid? nõne in aperto remedium, & damus ei Adſeſſores? damus, commitentur eum ad hęc talia exeuntem, nec auxilij ſolum cauſſa, ſed decori. Atqui in Sermone aut geſtu, aliquis ineptus eſt. Scio eſſe, & tamen ſi alibi loqui eos deceat; hic vel maximé in re ſeuera, graui, paucorum verborum. Itaque aut Principem talem mutum, niſi forté in cubiculo, faciant: aut patientur & hic loqui. Et ſi talia exempla rara ſunt: cur adducimus, aut inſiſtimus: Ad tertium, Vulgat ſe nimis ita Princeps. Fortaſſis, ſi in rebus alijs: at hęc per ſe talis eſt, vt reuerentiam ſui gignat, vel terrorem. Videmus in cottidianis iſtis iudicibus, quam plebecula eos veneretur & timeat, etiam illa innoxia, & cui nihil cum ijs negotij eſt aut fuit. Bené à Deo ita facti ſumus, vereri hoc numen & nomen ipſum Iuſtitiæ, & quicunque ei adminiſtrant. Quanto magis in Principe, ſi ſe non mandare tantum (in occulto id fit) ſed exercere, cum ſumma poteſtate, oſtendat? Et ſane nihil hic familiariter aut comiter fit: verba, geſtus, aſpectus, apparatus, omnia triſtitię aut ſeueritati propiora. Ergo hoc faceſſat: quartum videamus, de Odij metu. Incurret in id, inquiunt, ſi ſeueré iudicat? in Iniuſtitiam, ſi re-

Prou. cap. XVI.

misse. Extrema accipiunt, & eunt extra ipsas Iustitiæ metas. Quid? an semper damnationis materia? fac esse: in ea ipsa certe alter sic deprimitur, vt alter alleuetur. Hunc lædis, illum iuuas: ergo ab illo Odium, ab hoc Gratia, paria sunto. Sed nego etiam in Seueritate crebra, odia excitari populariter: & contra est in rectis animis, qui acclinâtse magis ad tales & attrahuntur. In aspectu illa offendunt; cogitata & cum vsu publico collata, delectant. Videsne vt in medicina quoque tristia & tætra sæpe propinentur, sed salutis caussa? itaque ab hoc fine, adeo non odimus medicos, amamus & laudamus. Simillimum in Iustitia: à cuius acerba sectione aut vstione salus generis humani pendet: & quis id vel è plebe nescit? Iam de Remissione, non abnuo naturas quasdam ad mitiora semper inclinare: & quid mali erit? imo sit nobis talis Princeps. Nam hunc sic clementem ratio tamen reget, & norma iuris & legum excitabit: nec deerunt, qui ad vtiliora & tristiora, cum opus erit, flectent. Aliqua vero interdum remissio, plane ex vsu erit, si tamẽ terror iste, & sub magno Iudice, præiuit. Ignouit illi Princeps: sed metu, sed ignominia perfuso. Ignouit illi Princeps: sed Princeps, id est sine corruptela, aut affectu alio sordido, humanitatis tantum amore. Hoc ipsum quam Amorem omnium conciliet? & verum est, si opportune adhibeatur. Vltimo, nobis Mos opponitur, & Consilia ac Curiæ iam definire. Equidem cum More haud temere pugnem: sed

quam vetusto? Aui vel proaui nostri aliter fecerunt: vide quam longinqua repetamus. Quin totum hoc de perpetuis Curiis iudicum, nuperum est, & è Gallia ad nos manauit.. Concludimus, & moderamur: Principem decore & vtiliter ius dicturum, sed aliquando: id est, vel certis temporibus, vt id sciri possit; vel in caussis grauibus, siue atrocibus? vel denique, contra potentes aliquos, & partibus graues, *Caroli Magni* legem quæ extat, traxerim in exemplum: *Hoc missi nostri notum faciant Comitibus & populo, quod nos in omni hebdomada vnum diem ad causas audiendas sedere volumus. Populo autem dicatur, vt caueat de alys caussis ad nos reclamare, nisi de quibus aut missi nostri, aut Comites, eis iustitiam facere noluerint.* Ecce erant illo æuo passim in opidis & pagis etiam *Comites* siue *Grauiones*, qui communiter ius dicebant: interueniebant extra ordinem & *Missi* siue Delegati à Principe, qui idem. At *Carolus* ipse tamen audire caussas voluit, idque hebdomadatim: caussas scilicet grauiores, aut in quibus læsio aut iniuria interuenisse ab ipso iudice videbatur. Si non alius in hac re fructus, quantus iste esset? Coërcere hoc modo iudices, & vigilantes attentosque reddere: cum Principem cogitarent iudicij sui iudicem, & forte vindicem mox futurum. Sed exempla, pro instituto, hic addamus.

PHILIPPVS MACEDO, de communi tunc more, crebro ius dixit. Sed cum forte in via, & alio festinantem, mulier de re sua appellasset, ne-

I.

gauit *Sibi vacare*. Tum illa audacter: *Noli igitur regnare*. quasi admonens, siue exprobrans, regium hoc ita munus esse, vt sine eo legitimus rex non esset. Admisit, & mulierculam statim audiuit, & siquis alius inibi vellet.

II. Aliter DEMETRIVS *Poliorcetes*, in eadem Macedonia rex: qui per proteruiam illusit etiam supplicibus. Nam cum libellos adeuntium benigne in via accepisset, quasi lecturus, & cogniturus: mox cum ad pontem Axij fluminis venisset, excusso chlamydis sinu, omnes in subiectam aquam abiecit. Non impune. nam Macedones, qui talem *Philippum* suum non viderant siue audierant; mox spreto illo ad *Pyrrhum* transierunt, & Iustitiæ desertorem deseruerunt. Merito, merito. sic habeant, & luant.

III. AVGVSTVS Cæsar, quàm aliter: *qui ius dixit assidue* (ait Suetonius) *& in noctem nonnunquam*. Quod si infirmior etiam esset, & à corpore minus valeret; lectica pro Tribunali posita, & in ea recubans, vel etiam domi, ius reddebat. Quid ad hanc diligẽtiam addi potest, præter *Euge*, & *Belle*?

IIII. Iam CLAVDIVS Imperator item assiduus, imo & suis suorumque sollennibus diebus, atque adeo festis & religiosis, non abhorruit iurisdictionem.

V. Omitto vetera. in ipsa Gallia vicina, CAROLVS *Octauus* patrum æuo rex, sub finem vitæ rebus iam attẽtior, omnibus septimanis bino dies destinauit iuri in publico reddundo: idque

aditu tam libero, vt nemo vel è fæce plebis regio conspectu & affatu arceretur.

VI. Sed dixi, vtiliter imo necessario (quid enim si res subtilis, aut in legum ambiguitate sit?) Adsessores adhiberi. quod plerique Romani Principes, aut prouinciarum Præsides, fecere. Imo ALEXANDER *Seuerus negotia & caussas prius à scriniorum principibus, & doctissimis Jurisconsultis, & sibi fidelibus, quorum primus tunc Vlpianus fuit, tractari ordinarique, atque ita ad se referri præcepit.* Prouide. ius ipse dixit, sed inquisitum prius & euolutum. Sed alia hic etiam

Lamprid. in eius vita.

QVÆSTIO.

An curias, & ordines Judicum perpetuos esse conueniat.

Hodie sic habemus, nec cum Princeps intendit, & velut censuram interdum exercet, improbemus. Tamen suæ etiam rationes sint improbanti. Vt, quod tempore omissiores segnioresque fiant: & assidua Iustitiæ tractatione, minus eius reuerentes. Redditur enim cottidianum opus, & cum tædio aliquo aut fastidio vsurpandum. Secundo, factio aut coitio facile oriri potest, & superba etiam quædam dominatio. quod Liuius notat in *ordine iudicum perpetuo* apud Carthaginienses: & *qui vnum eius ordinis, idem omnes aduersos habebat.* idque inter caussas lapsæ illius reip. quidam habēt. Tertio, corruptelæ interueniunt: & quibus ex diutur-

Lib. XXXIII.

nitate securitas adest, facile aures & manus iis laxant. Itaque vt in aliis imperiis, breuia plerumque meliora, & peccare minus obnoxia: ita quidā hic cēsent, & mutandos esse. Romani ita. qui Decurias Iudicum scribebant, ex honestissimis, & ex censu (ne paupertas ad culpam impelleret:) sed non eas omnes adsidue iudicare volebāt, dumtaxat quotannis certum & necessarium numerum sorte legebant, reliquis tunc feriatis. Sed re tamē bene examinata, cum iam ad hanc multitudinem legum, & ex ea tricas aut captendulas ventum: bonum est perpetuos esse eosque iuris bene peritos. Quod ad *Omissionem*, aut *Coitionem*: Princeps facile arcebit, si, vt dixi, iis intendit. Quod ad *Corruptelam* idem, si stipendia & præmia digna donat. Operæ est ex Annalibus Turcarum inserere, quod huc mire facit. BAIASITES *primus*, cum fraudes & iniurias *Cadiorum* suorum (ita Iudices vocant) sæpe iam audiret: commotus denique *Neapolim* omnes ad se venire iubet, ibi in domum quādam includi, & igne iniecto comburi. Faciendum erat: cum *Alis* Bassa, vir prudens, rationem quæsiuit, & repperit, Principis molliendi. Habebat Baiasites Æthiopem puerum, garrulum & lepidum, inter delicias: hūc instructum quid diceret, faceretque, ad Principem misit. Venit igitur in meliore veste, & ornatu omni: *Quid hoc rei?* inquit Princeps: *quid extra morem hic vestitus?* Æthiops: *Vt peregre eam, & ableger à te ad Imperatorem Constantinopolitanum.* Princeps, *Ad illumne hostem nostrum?*

nostrum? quid facturus? Æthiops: *Nempe* * *Calogeros aliquos arcessiturus, vt nobis ius dicant: quoniam Cadios tuos omnes vis occisos.* Princeps: *At ô mi Æthiopille, numquid isti periti legum nostrarum sunt?* Hic Alis Bassa opportune interloquitur: *Et non sunt ô Domine: cur peritos igitur tollis? Nam,* inquit, *cur male iudicant?* Iterum Alis: *Ego Domine caussam edam. hi nostri stipendium è publico nullum accipiunt, capiunt igitur mercedulas à priuatis. Hoc corrige, eos correxisti.* Placuit consilium Baiasiti: vitam illis dedit, Alii potestatem in hac re, quod ex vsu esset, statuendi. Ille decreuit (& postea mansit) *Ut cuicumque hereditas tot millium Asprorum obuenisset, is in singula millena Cadio suo daret Aspros vicenos.* Amplius: *Ut in matrimoniorum, & eiusmodi contractuum, instrumentis, item vicenos.* Ita inopiæ subuentum, & simul Iustitiæ quæ laborabat. Alia munera nefas accipere, nec certe, quocumque colore aut velo, decet. Ægyptius rex Iudices sculpi fingique iussit, velatis oculis, truncos manibus: significans, nec affectu flecti, nec muneribus capi debere. Aliquid laxant quidam. vt dumtaxat leuia munera, & cibaria. item post sententiam latam: quæ talia, quid nisi rimam primo, tum ianuam patefaciunt corruptelæ?

* Sunt monachi Græcorum aut religiosi.

DE LEGIBVS.

Eas nec multas, nec item lites, probari.

Cap. X.

LEges in republica, vt medicamenta, esse debent: atqui nec hæc multa aut varia probētur: non item illæ. Plato verissime: Ὅτι παρ' οἷς πλεῖστοι νόμοι, καὶ δίκαι παρὰ τούτοις, καὶ βίοι μοχθηροί: *Quod vbi plurimæ leges, ibi &* LITES, *itemque* MORES *improbi.* Deus bone, quam rem tetigit! & vsus vbique gentium, aut temporum, hoc affirmabit. Maneamus in Romana republica. paucas ea initio habuit: paullo plures Decemuiri addiderunt: & ita ad Principes fere mansit. Tunc sane plures: & à Iustiniano plurimæ, quibus vtimur: *Lothario* Imperatore, cum diu siluissent, eas reducente. Nam Gallia, Hispania, Germania, earum ad id æui fere expertes erant. Receptæ igitur sunt: & quo fructu? Certe illo litium, nemo negauerit: quæ ex eo nimium quantum succreuerunt. Europam vide, & mentior, nisi maxima eius pars circa istas occupatur. Alij iudicant, alij instruunt, alij agunt, & , qui miserrimi sunt, eas habent. Bone Lothari, manes tui per me quiescant : sed rosæ aut lilia sepulchrum tuum non ornent, qui tot tricas & spinas nobis seuisti. Nam quæ tam clara caussa est, quæ non aliqua lege, lege? imo interpretatione (nam

& has admisimus) obscuretur? Quæ tam improba, cui non dent colorem? Ars enim facta est Caussidicina, & perite captare aut capere laudem habet. Atqui opus est, inquiunt, multitudine: vt varij factorum euentuumque velut vultus & species discernantur. Nam si paucæ leges, quid? an iudici libera pleraque relinquentur? fenestram siue ostium ad iniquitatem pandemus? Non ego censeo: sed neque sic iudicem coerceri. Obsecro, quæ illa copia est, quæ omnia comprehendat, aut distinguat? Ipsum Iustinianeum ius vide: hic deficit, & multa ex similitudine, aut obscuris ex eo argumentis, iudicantur. Imo vbi copia, plus intricati erit: & semper argutia aut calumnia in sinu aut recessu huius illiusque legis latebit, & se defendet. An non videmus cottidie? præter ius illud Romanum, Statuta & Decreta opidatim, pagatim, populatim habemus: claudimur vndique, & velut obsidemur, à legibus: at litium tamen copia, quanta non alio æuo, & controuersiæ assidue super ipso iure, aut querelæ. Pulcherrima Strabonis nota est, & vel aureis litteris signanda: *Zaleucum illum Thurijs olim* PAVCAS & SIMPICES *leges dedisse, sed secutos, alias per subtilitatem & nimiam curam addidisse ex quo factũ sit, vt celebres magis quam boni redderentur.* Additque dogma quantiuis pretij: Εὐνομεῖσθαι γὰρ, οὐ τοὺς ἐν τοῖς νόμοις ἅπαντα φυλαττομένους τὰ τῶν συκοφαντῶν, ἀλλὰ τοὺς ἐμμένοντας τοῖς ἁπλῶς κειμένοις: *Bonis enim vti legibus, non qui omnes ijs sycophãtias aut calũnias cauẽt*

Lib. VI.

& excludunt, sed qui SIMPLICITER LATIS *firmiter inhærent*. Oraculum est, oraculum. non multæ leges bonos mores, bonum ius faciunt: sed paucæ, fideliter seruatę. Atqui interueniunt calumniæ. Quid igitur? quo fine iudex? quo fine Princeps est? ille vir bonus, & os Iustitiæ: iste potens, & viua ipsa lex, an non verbo vno decidet? Et da, quod alibi male: quid magni mali est? primum in re obscura, & in qua haud valde intersit, Titius an Seius vincat Deinde (vêra dicam) in re parua: in agello, in prædiolo, in pecuniola: habeat, cui iudex donat. Absit tantum aperta iniquitas: neque aliter in maxima orbis parte hodie viuunt. Alterum in Platone, de Moribus malis palam verum. Improbitas huic Caussidicinæ adhæret: excipio semper eos, qui ex dignitate & veritate ius habent. Ecce, vbi lites nonne discordia: nonne odia deinde iniuriæ. & sæpe cædes? Platonem iterum aduoco: Οὐκ εἶεν ἄν ποτε πολῖται φίλοι, ὅπου πολλαὶ μὲν δίκαι ἐν ἀλλήλοις εἶεν, ἀλλ' ὅπου ὡς ὅτι σμικρόταται καὶ ὀλίγισται: *Non fuerint concordes vmquam aut interamantes ciues, vbi mutuæ multæ lites iudiciales sint, sed vbi eæ* BREVISSIMAE, ET PAVCISSIMAE. Nota hęc vltima: vult non Paucas solum lites, sed Breues. Ego tecum: nunc vbi sumus? vna aliqua lis Metonis annum tenet. Fit inuolucris legum, fit sordibus aduocantium: & comperendinationes istæ ad quæstum & lucellum eunt. Per Symplegadas, nauigatur Colchos & aureum vellus. Quid iam in ipsis litigantibus? peruica-

v De Legib.

cia est, & sæpe impostura, aut improbitas: *neque enim bona Conscientia* (ait scite Celsus) *sed victoria, litigantis est præmium.* Enimuero nec publice sic expedit. nam quanta pars hominum in istis dedita? in scholis, in foris, in curijs: & pulchrius meliusque sit, in agricultura, in mercatu, in militia, & quæ maioribus nostris studia fuere. Vt concludam (& satis fucos irritaui) Princeps lites minuat, Princeps & leges minuat, pro meo sensu. Vt imputata vitis late se spargit, & infructuosa est: sic Ius profecto illud vetus, & labruscas iam pro vuis gignit. *Iustinianus* ipse olim reformauit, & nouauit: ante eum *Theodosius*: post vtrumque *Carolus Magnus*, & tum *Fridericus*, Imperatores: denique in Hispania rex *Alfonsus*. Quid Principibus hodie potentibus & magnis, non idem ius sit? habent, sumant. His Monitis robur ab exemplis etiam demus.

I. C. IVLIVS *Cæsar destinabat* (ait Suetonius) *ius Ciuile ad certum modum redigere, atque ex immensa diffusaque legum copia,* OPTIMA *quæque &* NECESSARIA *in paucißimos conferre libros.* Fata inuiderunt.

II. VESPASIANVS, post bella ciuilia, cum *litium series vbique maiorem in modum excreuissent* (iterum Suetonius) *ipse sorte elegit, qui iudicia, quibus peragendis vix suffectura litigatorum ætas videbatur,* EXTRA ORDINEM *diiudicarent, redigerentque ad* BREVISSIMVM *numerum.*

III. Et vero extra ordinem sic eligi, vbi reformatione opus, vtile: fecitque IVSTINVS *Curopa-*

lates Imperator Byzantij. Cum enim ipse morbido corpore esset, ac raro ius diceret: iniuria & lites creuerant, adeo vt pro desperata res pæne (Byzantij præsertim) videretur. Ecce adit eum quidam, & ingenium operamque obtulit ad coercendum, ea lege, vt ipse Præfectus plena potestate in tempus certum esset. Annuit Imperator, sumit potestatis infulas, & pro Tribunali sedet. ac primo accusatur ex composito apud eum vnus ex illustribus Senator, in Aula ipsa gratiosus: accusatur, spernit se sistere, & contemptim, præter ipsum Tribunal, in Aulam pergit. Pergit extemplo & Præfectus, videt Principem in conuiuio, & ibidem hunc reum. Nihil deterritus: *Imperator*, inquit, *iuri dicendo Præfecturam à te habeo: & ab ipso te auxilium & præsidium merito sperabam. Nunc quid? vides his oculis homines palam iniurios, & legum non fractores solum, sed spretores aut illusores, in tua domo, gratia, mensa esse. Itaque insignia hæc tibi habe irritæ potestatis: ego abdico.* Imperator mirari, & excitari: *Tu vero,* inquit, *quod es esto: & ius tuum vel in me, quidni meos? exerce. Duc si peccaui, sequor: duc si quis hic alius, & sequetur, aut trahetur.* Præfectus iam animi erectior, oculos & manus in illum Senatorem conijcit, per apparitores renitentem etiam trahit: atque in iudicio conuictum damnatumque, primum verberibus afficit, tum & grandi pecunia mulctat. Hic ictus, qui tam validum illum concusserat, multos terruit: & in paucis diebus vim & vitam Iustitia recepit.

IIII. Sed de ijs, qui lites aut leges minuere voluerunt, CAROLVS etiam *Nonus* in Gallia nuper fuit. is prurigini sistendæ, vectigal iudiciarium excogitauit, *Ut quicumque litem ordiretur, deponeret et dependeret in fiscum Regium duos aureos, recipiendos si iure litigasse iudicatus esset: si aliter, omittendos.* Sed non diuturnum id fuit: & leue etiam remedium in grandia & vetera mala.

V. ∞.CCC.XXVI. Seuerius, & fortasse vtilius, illud IACOBI Aragonum regis, qui litibus & litigiosis semper infensum se præbuit: & ex ijs *Semenum Radam*, insignem & primarium ea ætate Iurisconsultum, quod eius argutia aut malitia multi se afflictos quererentur, Præuaricatoris lege postulatum, regni finibus eiecit.

VI. Quid GALEACIVS Dux Mediolanensium? cum aliquoties audisset vafro ingenio Caussidicum esse, qui lites serere, & satas producere atque alere, etiam in liquido iure posset: hominem ad se accitum affatur. *Debeo*, inquit, *Pistori meo centum aureos. non lubet soluere: tu ecquid tueri me in iure, & rem protollere potes*: Annuit largiter, & Principi prompte se dedit: sed iste ei malum. Nam fraudis sic confessum, verbis prius increpitum, laqueo publice necari iussit.

VII. Heu, percutiunt hæc aures rabularum! desino: si MAHVMETANVM siue *Turcicum* iudiciorum morem, & in ijs breuitatem, explicaro. Qui alium in ius vocat, ne lictorem quidem aut publicum apparitorem adhibet ad vadandum: sed ipse aduersarium adit, & coram testi-

bus *ad Dei Justitiam* (sic loquuntur) vocat. Hic nec verbo refragari ausit, sed statim vna ad Iudicem siue *Cadium* suũ eunt. Ille autem semper paratus, totum diem ante ædes, sub tecto aliquo sedet, & copiam sui facit. Isti, nullo aduocato aut caussidico, quisque rem suam narrat: testes, si eos habent, adhibent: iudex, ibidem re pensitata, in hanc aut illam partem decidit. Quod postea aliud alleges, aut approbes, nihil est. arbor ea cecidit, releuari aut erigi vltra non potest. Quid? inquies. non interdum Iudices improbe, aut improbi: credo esse: sed in rebus humanis nihil sinceri est, & eligenda quæ minus noxæ habent.

DE IVSTITIA DIVINA.

Atque eam rebus interuenire.

CAP. XI.

PRincipi Iustitiam commendauimus: sed vt magis, discatà Deo interdum asseri, si quis violat, aut contemnit. Exempla mira, & supra fidem videantur, sed fidis, aut certe priscis, auctoribus scripta.

I. ∞ C LIIII.

Friderico Ænobarbo Imperatore, Antistes Moguntinus fuit HENRICVS, vir pius, tranquillus, inarum rerum: & ideo Romæ accusatus vt ineptus siue inutilis muneri, quod gerebat. Accessit *Arnoldus* qui postea in locum eius venit, & fertur ab ipso Henrico missus ad purgãdum,

ſgni oleum addidiſſe: & purpuratorum quoſdam patrum corrupiſſe, & in ſe vertiſſe. Eo ventum, vt Cardinales duo Moguntiam miſſi, de cauſſa quæſiuerint, Henricum damnarint, abdicarint, Arnoldum illum ſubrogarint. Henricus patienter id ferens, hactenus queſtus eſt, vt diceret: *Iniuſte iudicaſtis. appello igitur ad* IESVM CHRISTVM, *æquiſsimum iudicem, ibi me reſponſurum exhibebo, venite.* Illi ioco eludentes: *Cum præceſſeris, nos ſequemur.* Profecto factum eſt. nam ille poſt annum fere & dimidium fato conceſſit: & rumore ad aures Cardinalium delato, iterum illudentes, *Ecce præceßit*, inquiunt, *nos ſequemur*. Secuti ſunt, & vno die vterque ſubito obierunt. Addunt Annales de genere mortis, quæ ſileo: nec aſſenſum huic narrationi firmiter etiam dono.

Firmius *Lamberto Schaf naburgenſi*, egregio, vt illa tempora tulerunt, ſcriptori: qui narrat BVRCHARDVM Epiſcopum Halberſtadienſem, iniquam diu litem cum *Abbate Herueldenſi* fouiſſe, ſuper decimis Saxoniæ, quas Epiſcopus monachis ereptum, ſibi vindicatum manu magis, quam iure ibat. Neque ſpes aut ratio erat valenti aduerſario reſiſtendi: cum Abbas, paucis ante mortem diebus, Comitem Palatinum *Fridericum* ad ſe vocat, & extrema hæc mandata ferre Antiſtiti rogat: *Se quidem lite imparem, lege meliorem, cedere: atque etiam vita cedere. ſed Deum iudicem futurum, ad quem appellaret. Pararent igitur ſe ambo, vt cauſſam in Tribunali dicerent, vbi gratia & potentia ſpretis, ſola Iuſtitia poſſet polleretque.*

II. ∞.LIX.

Neque diu post Abbas ipse febri obiit, statimque Antistes, cum equum conscendere vellet, vt fulmine ictus, concidit: desiitque in vocibus, *Abripi se ad diuinum tribunal, ibi iudicandum.* Hæc mira quamquam, fidem merentur à tradentibus, & ex vsu etiam vitæ est credi.

III. ∞. CCC. XIII.

Certissimum vero habetur, quod CLEMENTI *Quinto* Pontifici max. euenit. qui cum *Templarios*, cœtum religiosum, & diu bonum atque vtilem, Viennæ in concilio damnasset, & in sodales ferro atque igne passim vel animaduertisset, vel (vt alij) sæuiisset: à pluribus eorum citatus ad Tribunal superum, paullo plus anno post obiit, quasi ad vadimonium obeundum à supremo Prætore arcessitus.

IIII.

Sub idem tempus (quod admirationem auget) in eadem caussa PHILIPPVS rex Galliæ: cui bono damnationes illæ fuisse putabantur, opibus ad eum translatis & confiscatis. Si à casu, miremur: si à Deo, vereamur.

V. ∞. CCC. XII.

At res etiam nota, & cognominè prodita in FERDINANDO *Quarto* Hispaniæ rege, ipso illo æuo, si non anno. Bello & pace bonus habebatur, sed in iudicando præceps aut rigidus, & ad sæuitiam inclinare videbatur. Fuit vt *Caruaialij* duo fratres, *Petrus* & *Ioannes*, suspecti essent in occulta cæde *Benauidij*, primarij viri inter nobiles. Sed suspecti: neque testibus, aut aliis probationibus conuicti, neque crimen sane, vel in vinculis, fassi. Tamen, vt rex erat, duci eos iubet, & de rupe alta præcipites dari. Cũ id fit, clamãt & vociferantur, *Innocentes se mori: & quoniam regis*

aures iustißimæ defensioni obstructæ essent, sese, igitur ad summum Judicem prouocare, & regi diem dicere, ab isto (qui sibi vltimus esset) trigesimum. Dicta nihil valuerunt, sententia tenuit: etiam ipsorum vadatio, nec tempore nec die fallax. Nam cum rex, animi securus, *Alcaudetem* in castra abiisset, contra Mauros: ibi morbo statim tentatus, sed leui, *Giennium* se contulit: atque ecce VII. Idus Septembris, id est, ipso trigesimo à supplicio die, in lecto exanimatus repertus est, in ipso ætatis flore, annos natus XXIIII. menses nouem. Quis neget diuinum, aut Geniale aliquid, hic interuenisse, sed supremo Numine consciscente?

Discite Iustitiam moniti, & non temnere diuos.

DE CLEMENTIA.

Eam quoque Principi decoram vtilemque esse.

CAP. XII.

DECET sane magnos animos & fortunam lenitas: &, quod notes, non nisi in eos cadit. Barbari aut viles homines, vbi licentia adest, plerumque sæui sunt: mites in ea & moderati, ingenui sanguinis & stirpis. Sed quid? inquies: ad hanc ego Principes inuito, quæ aduersa Iustitiæ, & soluere eam videtur? Videtur: in re non facit, imo eumdem vtraque finem & scopum habet. Iustitia seueritate & metu emendat: Clementia benignitate & remissione.

Illa pœnam, hæc veniam dat: sed cum iudicio vtraque, & vbi debet, & addam, à quo debet. Non enim quorumuis est Clementia, sed eorum qui in suprema potestate constituti sunt, & temperare aut flectere ex vsu aliquo leges possunt. Est, vt verbo dicam, Principum. Itaque definitur à Seneca, *Clementia, lenitas superioris in inferiorem, in constituendis pœnis.* Ais, *constituendis*? in parte verum est: sed adde & partem alteram, *in remittendis*, nam & Clementia hoc solet. Sed est *Superioris*: & *nihil pulchrius*, ait idem Sophus, *in fastigio collocatis, quam multarum rerum veniā dare, nullius petere.* Quarum autem rerum? nec enim omnium, & multas lex adstringit non resoluendas: sed earum fere, quæ Principem ipsum tangunt, vt sunt Iniuriæ, Calumniæ, Violentia: & quæ alia meritam pœnā habeant, sed contentus potestate, remittit & donat. Cogitat publicum se parentem esse. vt autem priuati isti parentes liberos peccantes sæpe castigant, interdum virgas modo ostendunt, & metum incutiunt pro pœna: sic ille facit, & faciendo sic emendat. Mirum enim & varium ingenium hominum. quosdam benignitas, & ex ea reuerentia, quosdam seueritas, & ex ea terror, meliores faciunt: Princeps vtitur omnibus, ad dictum hūc vsum. Est & communiter illud dogma verissimum: *Verecundiam peccandi facit ipsa clementia regentis*: & in domo mea ac familia sum expertus. Plura super hac Virtute liceat: sed pudor sit post Senecam, cuius aurei libelli duo, & Principibus merito legendi, satis eam reuelant. Nos Exēpla,

II. De cle. cap. III.

pro more, demus: & quam multa ea sunt? & nemo magnus laudatusque Princeps sine istis.

Sed agmen ducat diuinus ille dux, MOSES. Qui cum populum ex Ægypto cælesti voce & monito, claris miraculis adstipulantibus, eduxisset: isti tamen identidem ingrati, refractarij, rebelles erant. Nunc carnem, nunc panem aut aquam petebant: & ita petebant, vt voces proteruas, & pœne lapides ac manus in illum mitterent: sed tamen illa, & veniam etiam dedit. Nec vulgum modo procacem habuit: etiam proceres, etiam proximos. & ecce *Aaron* frater, & soror *Maria*, in mitissimum virum insurrexere: qua caussa? priuata, & leui, quod Æthiopissam quæ animo eius collibita esset, vxorem duxisset. *An huic soli,* inquiebant *Dominus locutus est: nonne & nos cælestem vocem auribus his accepimus?* Et iã se Mosi nõ opponebant solũ, sed æquabãt: cũ Deus pro *viro mitißimo super omnes homines* (ita Scriptura appellat) iratus est, & Mariã vitiligine ac lepra subito percussit. Quæ sic cũ fratre ad sanitatẽ mentis reuersa, ad Mosem respexerunt, ille ad Deum: & post septem dies, precibus eius sincera puraque à morbo apparuit. Quid plures seditiones enumerem? fuere enim plures: sed Moses ille semper in mansuetudine constans, vsque eo amans & ignoscens suorum, vt Dei iram vel hac voce sedaret, *Dele me*, inquit, *de libro vitæ, potius quam vt hos tollas.* O vere diuine vir! non nisi ab æthereo Spiritu hic spiritus: & venerari magis in hac parte te fas, quã imitari.

I.

Tamen & DAVID imitatus est: quis? ille

II.

quoque Deo & cælo plenus. qui, cum *Absalomus* filius fratrem *Ammonem* proterue in conuiuio interfecisset, & triennio apud auum maternum in Syria exsulasset, fractus & misertus reuocauit. Quid tamen? ille à scelere ad scelus maius, quasi gradu facto, properat, & regno patrem pellit: vita quoque, si potuisset. Dauid arma necessaria capit, *Joabum* Præfectum militiæ cum dilectis viris in illum mittit, sed cum mandato, *Seruate mihi puerum Absalomum*. Adeo nec in iram, nec in vindictam exarserat, vt tunc quoque, cum ambiguo euentu arma caperet, solicitus de venia magis, quam de victoria esset. At Deus pro illo exarsit & vindicauit, & filius non filius interfectus est: scis quam inuito & dolente: Luctus eius in publico, & istæ voces: *Fili mi Absalome, Absalome fili mi! quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te Absalome fili mi, fili mi Absalome?* Proh superi! vbi Orientales vos Reges, & hodie Turcici estis, qui patres, liberos, fratres interficitis, prompti libentesque pro regno? iste nec insidiatorem sceptri & vitæ, vita vult exutum: & exutum veris lacrimis luget.

III. Exempla hæc pæne supra hominem: at nostræ sortis PERICLES fuit. qui morti iam vicinus, & spiritu ac vita abeunte, cum amicos assidentes queri & lamentari audiret, atque alium prudentiam, eloquentiam, victorias, alium alia laudare: ille modice erecto capite, *Et quid hoc est?* inquit: *aut parua aut fortuita laudatis: at illud maximum omittitis, quod nemo mea opera pullam vestem sumpserit*. Mirum iudicium! hoc vir ille magnus

in summis suis laudibus ponebat, quod comis in omnes & humanus, numquam acerbitatem aut vindictam exercuisset. Macte Pericles! vel hoc nomine cognomen *Olimpij* meruisti: qui sic extra istos turbidos affectus, vt nulla non dicam crudelitas, sed asperitas, mentem tuam obnubilarit.

IIII.

PHILIPPVS Macedo, non maior Alexandro: sed fortasse melior, & certe moderatior: is, inquam, Philippus famam & immortalitatem vel sola hac virtute meruit. Amici stomachabantur & deferebant, quod Peloponnesij tot beneficiis affecti, criminarentur eum, atque adeo ludis Olympicis exsibilarent: ille in iocum rem vertit, & *Quid ergo,* inquit. *facient, si læsi à nobis fuerint?* Idem, suadentibus, vt seuerius paullo cum Atheniensibus ageret palam ingratis: *Nihil agitis,* inquit: *an ego qui ad gloriam omnia refero, theatrum gloriæ meæ euertam?* Sciebat Athenienses ingenio & stilo valere: eoque (etsi alibi humanissimus) hic magis esse voluit, vt hanc quoque materiem & amandi & prædicandi præberet. At illud in hoc ipso incredibilis non clementiæ, sed & patientiæ. quod cum iidem Athenienses legatos super aliqua re ad eum misissent, atque ipse benigne audisset atque indulsisset, dimittens, pro cumulo adiecit, *Ecqua alia in re gratificari iis posset?* Hic Demochares è legatis, *Ita vero,* inquit, *si te ipse suspenderis.* Hem, vocem & conuicium importunum, & vt rem dicam, flagro aut cruce dignum! Itaque amici & adstantes exarse-

rant: sed compescuit se & illos Philippus, ac Thersitem illum nulla vel re, vel voce acerbiore, læsum dimisit. Tantum hoc ad legatos alios, *Nunciate Atheniensibus, impotentiores esse qui ista dicunt, quam qui dicta comiter audiunt.*

V. Ad Romanos flecto. inter quos M. MARCELLVS qui Syracusas cepit, iamtum cum cepit, clementissimi animi signa, in medio furore Martis, misit. Parci ciuibus, qua potuit, iussit: edicto, Nequis liberum corpus, manu, ferro, stupro violaret, seruitia modo & pecuniæ prædæ essent. Sed vel sic cum multa sæuitiæ aut libidinis exempla editum iri videret, vt in vrbe per vim capta, conscendisse editum locum dicitur, & subiecta ea oculis, casum eius, paullo ante sic florentis, humentibus illis defleuisse. Priuatim etiam cum de *Archimede* eiusque ingenio audisset, & vidisset, mandauit incolumem seruari, & curæ hoc omnes haberent. Non mirum in rudi adhuc æuo, & Romanis ad artes istas parum factis? Sed mandauit, etsi frustra. nam miles discurrens, cum Archimedem repperisset in puluere figuras describentem, & tota mente illuc versa ignarum publici fati, interrogat gladio super caput intento, *Quis tu*? Ille nihil, nisi puluerem suum manibus tegens, & *Oro ne turba*, inquit. Ita miles indignatus, & contemni ratus, occidit. Hæc in Sicilia, & victoria, post ipsam ista. Siculi parum grati, & ab inimicis eius impulsi, questum ad Senatum super eo venerunt, scilicet alienas etiam iniurias adscripturi. Consul tum erat, & collega *Valerius*

Læuinus

Lauinus forte in Senatu non erat. Itaque facile ei turbare aut disturbare rem & homines, & irritos illusósque dimittere. Non fecit, & audiri voluit, sed cum collega aduenisset: sedit in subselliis inferioribus, & finita accusatione, cũ Senatus illos facessere iuberet, ille vero retinẽdos censuit, & vt suæ quoque defensioni, non vt partes, sed velut iudices interessent. Qua absoluta, excessit curia, vt liberius sententiæ dicerentur: sed quid opus? clara eius innocentia, istorum impudentia omnibus, atque etiam ipsis fuit. Nam statim è partibus in fautores se transferunt, fiunt supplices, atque adeo Patronum illum Siciliæ adoptant: & suscepit, tam bona fide, vt pręsentium oblitus, aliis super alia beneficiis exornaret.

VI.

M. etiam BIBVLVS, etsi fortuna parum attollente aut prospera semper vsus, tamen virtute & hac animi clementia, excelluit. Duos filios præstantissimæ indolis, cum in Syria Proconsul ipse ageret, Gabiniani milites in Ægypto per sæuitiam an proteruiam, interfecerant. Eos *Cleopatra* regina, iram iustam magnatis viri verita, comprehensos ad ipsum misit, arbitrio scilicet eius puniendos: at ille, etsi in recenti dolore, patrem, & aliquis dixerit, hominem exuit, vt humanitatem retineret. ac seposita omni vltione, eosdem ad Cleopatram intactos remisit, vindicare potuisse contentus.

VII.

Quem autem *Bibulo* adiungam? veterem collegam, IVLIVM CÆSAREM: in omni quidem vita & proposito hostes, sed in hac virtute

geminos, nisi quod copia vincit, qui omnes vicit. Ecce iam adolescens, in freto illo æui, quam sustinuit se & moderatus est? Captus à piratis, iurauerat sæpius, se cruci omnes suffixurum, si in potestatem redegisset. Redegit, sed tamen æstuat, Homines crucifigat? crudele erat. Remittat? religio adstringebat. In hac pugna naturæ & fidei, clementia viam repperit: & iugulari prius iussit, deinde suffigi. Item sub hoc æui. *Cornelius Phagita* quidam fuit, ex assectis & emissariis Sullæ, homo nequam & ad bonorum cædem aut pericula factus. Is latitantem in ciuili dissidio *Cæsarem*, tamquam Marianarum partium acriter & sagaciter indagarat, & subinde mutantem latebras ægre, * pretio accepto, dimiserat: huic tamen in mutatione temporum, cum posset, fortasse & deberet, nocere numquam sustinuit. plane quasi post nimbum & tempestates, non Æolo non Austro vltra offensus. Ista priuatus aut impotens fecit: quid in imperiis? mitior seipso illo priuato. Initio bellorum ciuilium, cum quæri terror & adhiberi consilio solet, ad reprimendum aut reducendum: ipse diuersissima via veniam, libertatem, vitam omnibus non dabat solum, sed vltro offerebat. *Corsinij* quid euenerit, dignum memorari. Tenebat hoc opidum *L. Domitius*, vetus & acer eius inimicus, cum cohortibus triginta. Inerant Senatores plurimi, equites Romani, & flos aut robur Pompeianarum partium. Ipse obsedit: milites vim non exspectarunt, sed inclinatis in Cæsarem animis,

* Duorum talētorum.

transire ad illum, dedere duces & opidum parant: & iam colloquia erant. Domitius sibi prætimens, & ex conscientia diffidens, vitam ponere suo, quam Cæsaris, arbitrio (heu, quam ignarus eius animi!) elegit. Itaque seruum medicum aduocat, iubet venenum sibi dari. *Quid deliberas?* inquit: *dominus rogo, & armatus rogo.* Seruus quasi paruit, sed astu facinus discussit. nam soporem ei temperat pro veneno, & filio mox indicauit. Præuidebat scilicet futurum, vt hominem pæniteret præcipitis consilij, maxime si spes veniæ à Cæsare esset. Atque ea statim affulsit. Nã ille vir omnes honestiores ad se in castra vocauit, benigne affatus est, ad pacem & pacata consilia hortatus, dimisit cum rebus incolumes: & quo? stultitiam rideat aliquis: plerosque iterum ad Pompeium. Sed hæc illorum, non Cæsaris culpa. Domitius interea cum audisset, atque experrectus esset, torqueri & angi de veneno: donec famulus metum discussit, rem aperuit. atque ille quoque recta ad Cæsarem, vitam, libertatem, pecuniam recepit. Eodem bello, in Hispania ad Ilerdam, cum hostes ad pacis necessitatem adegisset, & iam conditiones ferrentur, milites sermones & conuiuia miscerent, & ex binis castris vna facta essent: en *Petreius* & *Afranius*, Pompeiani duces, subita pænitẽtia, an perfidia, arma capiunt, Iulianos inuadunt, occidunt: ipse, cum facinus reponere posset, & Pompeianos detinere vel item occidere, illorum dis-

similis, sui similis, summa diligentia conquiri omnes iussit, & remitti. In ipsa acie Pharsalica, medio ardore pugnæ, ita vincere voluit, vt perdere timuerit & vox eius obequitantis passim excepta, *Parce ciuibus*. Atqui non fecit, inquies. Imo ille fide optima: nisi in acie, nisi resistens, nemo occisus est: & seruare promptior, quam illi seruari. O inauditam, nec nisi cælestem, clementiam! è tanto numero, tam pertinacium aduersariorum, non nisi tres (*L. Afranius, Faustus Sylla, L. Cæsar*) interfecti post aciem, eius iussu siue permissu reperiuntur: atque ij sæui & crudeles in eum, & venia, quam ante impetrauerant, iterata rebellione, corrupta. Omnibus etiam suæ partis nominatim vnum, quem vellent, seruare & excipere ex hostibus concessit: denique tandem vno Edicto, etiam quibus nondum ignouerat, redire in Italiam, ad opes, honores, imperia, permisit. In ipsius *Pompeij* morte, qui alieno scelere & inuidia ceciderat, tantum à gaudio aut insultatione abfuit, vt lacrimas non tenuerit: & auersatus homicidas, bello etiam mox persecutus sit, & cæde ac sanguine manibus illius parentarit. Quin & memoriam statuasque eius, disiectas à plebe, restitui iussit: cauillemur aut interpretemur, vt volumus, magno animo, & (vt ego censeo) vere miti & clementi. Verba eius ex epistola quadam ad *Oppium & Balbum* notaui & amaui, ista: *Gaudeo me hercules, vos significare litteris, quam valde probetis ea quæ apud Corfinium sunt gesta. Consilio vestro vtar libenter, &*

hoc libentius, quod mea ſponte facere conſtitueram, vt quam leniſsimum me præberem, & Pompeium darem operam vt reconciliarem. Tentemus hoc modo, ſi poſſumus, omnium voluntates recuperare, & diuturna victoria vti. Hæc noua ſit ratio vincendi, vt miſericordia & liberalitate nos muniamus. Ex pectore ſunt iſta verba, & familiariter apud homines familiariſſimos prolata. Ego te Cæſar, ob alia tua & cauſſas belli, non nimis amo: in ipſo bello, & ob hanc clementiam, inter heroas numero, & meo calculo, hac quidem re DIVVS eſto.

VIII. Aliquid ab hac ſtirpe aut multum traxit OCTAVIANVS CÆSAR, adoptione filius, ſanguine eius nepos. Is in republica varium clementiæ ſpecimen dedit, adeo vt in theatro cum recitaretur *O dominum æquum & bonum!* vniuerſi oculos ad ipſum referrent, & voce geſtuque cõprobarent. Sed in priuata etiã vita (vbi natura maxime apparet, nec gloriam aut ſermonem ſibi proponit) præbuit inſignita exempla. Vt in *Diomede* ſeruo ſuo diſpenſatore. qui, cum vna ambularent, & repente ferus aper in eos incurreret, ipſe dominum obiiciens, manibuſque propellens, poſt eum latuit. Atque Auguſtus quidem fato, aut animo ſuo, ſeruatus eſt, ſed & hunc nihil læſit, timori potius factũ, quam noxæ adſcribens. Idem, cum in Hiſpania *Corocotta* quidam famoſus latro eſſet, & paci publicæ ac priuatæ diu infeſtus, præmium propoſuit, ſiquis hominem viuum adduxiſſet, * *decies ſeſtertium*. At ille, ſpe euadendi

* XXV. M. Philippicum.

aut latendi abscisa, magno animo ad Cæsarem vltro venit: & *Quæsitus tibi Corocotta*, inquit, *ecce adsum: facies, quod voles, huic capiti*. Cæsar ira omni deposita, & memoria tot facinorum, non solum ignouit ei, sed & præmium promissum (quia Corocotta Corocottam stiterat) appendit. Sed superat priora, hoc de *M. Bruto*: cuius statua ærea, adfabre facta Mediolani erat: credo monumentum virtutis & modestiæ, qua Galliæ illi Cisalpinæ, sub Cæsare, præfuerat. Hanc, diu post, transiens Augustus conspexit, & represso gradu substitit: vocauitque coram omnibus ad se magistratus, quasi in re graui: & cum venissent, *Quid vos?* inquit, *inimici nostri estis? & hostes meos apud vos habetis.* Illi timidi, nec gnari quo accusatio spectaret, negare, & mutuo sese intueri. Cæsar iterum, ostensa statua: *Nonne hic ille est meus hostis?* Tum vero illi serio trepidare, & mussitare: at Cæsar arridens, laudare etiam eos benigno vultu & verbis cœpit, quod iudicium aut animum cum fortuna non mutarent: & vt talis viri statua maneret, porro præcepit. Duplex clementia. & in defunctum Brutum, cuius memoriam honorat, & in Mediolanenses, qui rigide interpretantibus deliquisse in maiestatem Principis videbantur.

IX. An dignus est, qui inter hæc nomina locum habeat NERO CÆSAR? monstrum crudele, tetrum, sed vna voce meritum clementissimis accenseri. Initio imperij, cum duo milites deliquissent, & morte puniendi viderentur,

Burrhus Præfectus Prætorio, chartam de more ad Imperatorem tulit, vt is subſcriberet & mortem, & cauſſam *Nero* allatam aliquoties reiecit, & diſtulit: tandem cum repeteret & inſtaret *Burrhus*, nec vltra eſſet effugium, triſtis accepit, & cum hac voce: *Quam vellem neſcire litteras!* O dictum magnæ, vtinam diuturnæ, lenitatis! O dictum, quod laudes magni *Senecæ* illius meruit, & libros *De clementia* expreſſit! Amemus laudemuſque, vel hoc nomine.

Diuerſi ab iſto vterque VESPASIANVS, pater & filius: qui ante Principatum & ſub initia, multo ſæuitiæ & luxuriæ rumore, in ipſo mutati in melius fuere. Patris quidem quanta benignitas? qui & *Vitelij* hoſtis ſui filiam (adeo ſtirpem ex eanon veritus) ſplendidiſſime maritauit, dotauit etiam & inſtruxit. Atque idem, cum ſub *Nerone* interdicta ei aula eſſet, trepiduſque abiret, accurrit quidam ex Admiſſionalibus, qui aſpere eum compellans, & ſimul expellens, *abire Morbouiam* iuſſit. Hunc poſtea, & Princeps iam vitæ ſuæ anxium & deprecantem, non niſi ioco aſperſit, & pariter *abire Morbouiam* totidem verbis iuſſit. Denique communitèr hoc de illo Tranquillus: *Neque cæde cuiuſquam vmquam lætatus eſt, iuſtis ſupplicijs illacrimauit etiam & ingemuit.*

X.

At filius TITVS, amor & deliciæ generis humani, nil niſi bonitas & lenitas. Pontificatum maximum ideo ſe capere profeſſus eſt, vt in ſummo ſacerdotio, puras à ſanguine manus ſeruaret: & re præſtitit. *Nec auctor poſthac* (verba

XI.

Suetonij) *cuiusquam necis, vel conscius quamuis interdum vlciscendi caussa non deesset, sed* PERITVRVM SE POTIVS, QVAM PERDITVRVM *adiurans.* Duos patricij generis, conuictos in affectatione Imperij, satis habuit verbis monere, *vt desisterent. Principatus fato dari: à se siquid aliud vellent, peterent impetrarentque.* Et statim etiam ad alterius matrem, quæ procul agebat, ne tristiore nuncio percelleretur, cursores suos misit, qui & periculum filij nunciarent, & salutem. Fratrem *Domitianum* ex professo insidiantem, & exercitus in eum solicitantem, nulla re læsit aut minuit: imo precibus sæpe egit, mutuo in se animo esse vellet, & consortem successoremque imperij nihilo secius semper nominauit. Non fregit improbum. veneno eius paullo post periit, cum publico generis humani damno.

XII. CAROLVS vero MAGNVS inter nostros (nam ad propiora veniendum est) gloriam & gratiam hac quoque virtute collegit. *Pipinus* eius filius in patrem coniurauerat, res clara erat, ignouit: fecit iterum, ignouit: at ne tertium tamen tam lubrica mens laberetur, adstringendum religione censuit, & monachum eum fecit. Duplici beneficio, & veniæ, & viæ ad melius regnum ostensæ. Peccauit in eum & filia, sed ridicula narratio est, tamen expromenda. Erat *Eginhartus* in aula *Carolo* ab Epistolis, vir, vt illo æuo, doctus & prudens, sed non in Amorem. Concepit eum in Domini sui filiam, etsi impar erat, & ipsa vicissim arsit. Restinxerunt, vt solent

amãtes furtiua sui copia & cõgressu, qui aliquãdiu latuit: donec hiemante quadã nocte, cum in secretiore cubiculo *Eginhartus* fuisset, & sub ipsam lucem exire vellet, videt multam niuem cecidisse. Hæret, & timet ne à vestigijs deprehendatur vir in gynæcæo fuisse. Consilio & astu subuenit amica, & illum in humeros sublatum & pendentem, dulce onus, aliquamdiu tulit. Ecce (ô sortem iniquam pariter, & æquam!) videt hoc casu *Carolus*, & cum dolore suo & risu simul vtrumque bene notat. Dissimulat, die pleno conuentum Principum virorum habet, narrat iocosum & fœdum factum: rogatq; (sed nomina tacuit) famulus qui sic in dominum, filia quæ in patrem peccasset, qua pœna digni viderentur? Illi, *Mortis*, respondent. Tum igitur vtrumque aduocat, & coram se sistit. *En*, inquit, *isti sunt qui peccarunt. Tu Eginharte, tu filia, qui ausi hoc estis? Nec negandi locus est: me inspectorem, accusatorem, iudicem, vindicem habetis. Quid meruistis? isti dixerunt, Mortem: sed & animus vester vobis idem dicet. Tamen mitem tu Dominum, tu Patrem videte: ignoscimus, hac lege quam dicam. Eginharte hãc tuam latricem vxorem duces: concordes estote, & mutuum deinceps quoque inter vos ferte.* Dixerat, illi à summo metu in summum gaudium translati, grates agunt, gratulationes accipiunt: *Carolus* in gloria est, isti in fama.

XIII. Nec nimis seuerum est, quod addam. CAZIMIRVS erat Dux Sendomiriensium, potens Princeps, idemque postea rex Polonorum. Visum illi aliquando fuit tempus ludo fallere, &

domesticum quendam suum, *Jonnem Conarium* Equitem, ad aleam vocat Ille paret, ludunt, alternat fortuna: & tandem cum multa nox esset, atque incaluissent, placuit vno iactu de tota summa decidere. Is felix *Cazimiro* fuit: & pecuniam totam ad se attraxit. Indignatus *Joannes*, & sorti suæ iratus, per calorem Principem inuadit, & fortiter os eius depalmat. Clamor & ira omnium, famulus Dominum, eques hunc Principem? Capitale erat: sed beneficio noctis elabitur, & mane tamen captus reducitur, & *Cazimiro* sistitur puniendus. Ille re bene considerata, in prudentem hunc sermonem erupit: *Amici, iste minus, quam ego, peccauit: imo quidquid peccatum est, est meum. Calor & subita ira (cui nec sapientes semper pares sunt) transuersum eum egit, & mentem ac manum mouit: ego caussam cur præbui? cur oblitus conditionis & dignitatis meæ, quasi cum pari lusi? Jmo tu Ioannes, non veniam à me solum, sed gratiam accipe. vtili castigatione me docuisti, nequid in posterum indignum Principe committam, & intra decori ac grauitatis metas me sistam.* Ita dixit, fecitque. ô clementiam, ô patientiam, ô prudentiam! omnes hæ virtutes concurrunt, sed primas tamen prima, me iudice, ferat.

XIIII. At in LVDOVICO *Duodecimo*, Galliæ rege, spectabilis eadem virtus fuit Presserat eum *Carolus Octauus*, rex, vt heredem proximum: & qui doleret prolem, sibi non esse. Ita presserat, vt in custodiam etiam daret, & vitæ suæ parum securus videretur: plerisque procerum & vulgi pro præsenti fortuna stantibus, & aduer-

ſantibus, certe auerſantibus infelicem. Interea Deus in occulto alia deſtinat: *Carolum* ſubito tollit, hunc ad regnum euehit: attonitis multis, & vultum ſermonemque mutantibus, & ad gratiam noui regis ſe acclinantibus. Erant etiam qui ſuperbiebant, conſtantes antea in eius cultu aut obſequio: è quibus vnus magna fiducia ad eum accedit, & bona petit ciuis cuiuſdam Aurelianenſis, qui triſti illo tempore inter acerrimos Ludouici hoſtes fuerat. Hic rex, animo plane regio, effatur: *Tu vero aliud à me pete, & meritis tuis gratia erit. De iſto, omitte: nam rex Galliæ* (verba eius ſunt) *non exſequitur iniurias Ducis Aurelianenſis.* Optime. Dux enim antea, cum hoc titulo, fuerat: & ſignificabat argute, dignitatem ſe, atque etiam affectus cum ea mutaſſe. Ille vero eadem magnitudine animi (mater hæc ſemper Clementiæ) edixit publice: *Habiturum ſe eoſdem conſiliarios cum defuncto rege, miniſtros, ſtipatores, eodemque honore & ſalario.* Deus bone, eoſdem cum illo ſic infeſto, & iniquo? Fiducia virtutis hoc facit: & præſtari ſibi ſpondet, quæ ſcit deberi.

XV. Tempora confundere liceat, ſed re eadem. Quam enim geminũ eſt, quod olim HADRIANVS Imperator cuidam, qui ante imperium inimicitias ſecum geſſerat? Ille accurrit trepidus, & vix verba ad preces reperiens: cum ſtatim Hadrianus: *Euaſiſti*, inquit. Benigne ſimul, & acute. *Perieras*, inquit, *ſi pares contendiſſemus: nunc ſuperior omitto, & potentiam meam, non niſi beneficio, oſtendo.*

XVI. Te autem ALPHONSE silebo? qui totus bonitas & beneficentia, *Titum* nobis, sed diuturnum, repræsentasti. Obsidebas Caietam, pertinaciter in te rebellem. constabat obsessos inopia commeatuum premi: atque ipsi hoc fassi, senes, pueros, fæminas, & inutilem omnem turbam emittebant. Agitatum in consilio, vt reijcerentur & reprimerentur: dedendam enim ita mox vrbem. ille misertus, emitti eos maluit, & diutius assidere. Sed cum nec potitus ea esset, quidam ausi obijcere, *Nisi tu illos emisisses, vrbs iam tua fuisset:* ille constanter respondit, *At mihi pluris tot hominum incolumitas est, quam centum Caietæ.* Tamen nec ea diu defuit: & ciues tam insigni virtute moniti & resipiscentes vltro se ei tradiderunt. Simile in *Antonium Caldoram*, potentissimum regni Neapolitani, & peruicacem hostem. Is prælio deinde magno victus, itemque captus: cum omnes suaderent de tollendo importuno homine, & Aragonijs semper infesto: vnus restitit, atque adeo non vita solum, sed omnibus bonis redonauit. Quin & supellectilem atque instrumentum eius, magnæ elegantiæ & pretij, quod in manibus habebat, totum vxori eius dedit: vnica modo patera cristallina sibi asseruata. Hæc facta viri, & consonæ item voces. Interrogatus, *Cur erga omnes, etiam malos, ita lenis esset? Quia,* inquit, *bonos iustitia conciliat, malos clementia.* Iterum, cum de nimia eius lenitate quererentur ministri, nec decere Principem: *Quid ergo?* inquit, *vultis vrsos ac leones regnare? Nã hominum Clementia, belluarum Feritas est propria,*

Vera dixit. quo quis maior, & magis, vt ſic dicam, homo eſt, hoc virtuti huic pronior, quæ & *Humanitas* ideo eſt dicta.

DE FIDE.

Hanc quoque Principi conuenientem, vel neceſſariam potius haberi.

CAP. XIII.

POſt Iuſtitiam & Clementiam, Fidem commendamus: hanc quidem ex Iuſtitia natam. Quid enim magis ea dictat, quam promiſſa præſtanda? Et qui non facit, non ſolum iniuſtum, ſed ignauũ merito habeamus. Qui enim fallit & decipit, eo facit quia potentiæ aut viribus minus fidit: conatur igitur fidei ſpecie circũuenire, & hãc vilitati ſuæ prætẽdit, oſtentandã nõ ſeruandã. Turpe, & ſublimi omni animo indignum. Imo & natura abhorremus. pueros vide. Mendaciũ inter prima probra obijciũt, & quamquam leuitate quadam aſſumunt, tamen iudicij inſita rectitudine damnant. Admiranda Dei prouidentia, virtutes animo inſerentis, ſine quibus vita & ſocietas ſtare ægre poſſit: quod in Iuſtitia, & Fide, palam videmus. Tolle iſtam, aut minue: raptus, cædes, bella erunt: atque hæc, nullo fœdere aut pace terminanda. Quid enim adſtringet? Cole igitur, ô Princeps, *venerabile hoc Fidei numen, quæ dexteram ſuam, certiſſimum* SALVTIS HVMANÆ PIGNVS *oſtentat.* Iunge

Valer. Max VI. cap. 6.

tuam, si non dicam bonus, sed magnus & felix esse exoptas. Hoc enim quoque ab eadem Prouidentia, quod callidi isti & impostores, quantumuis subtilibus consilijs, raro aut numquam ad potentiam perueniunt: aut si, in ea, non sunt firmi. At aliter in candidis ingenuisque mentibus, qui Deum, qui fidem reuerentur: hi crescunt, florent, & perseuerant, cœlesti fauore prosequente & attollente. Q. Marcius hoc bene, apud Liuium: FAVERE PIETATI FIDEIQVE *deos, per quæ populus Romanus ad tantum fastigij venerit.* Bene, & opportune ad Persem regem, qui spem in astu & fallacijs ponebat, fœderum parum constans. Vtilitas igitur fidem approbat: & vel noxa à Perfidia possit deterrere. Nam, vt sapientissime Homerus:

Lib. XLIIII.

Iliad. δ.

Οὐ μὲν πως ἅλιον πέλει ὅρκιον, αἷμά τε ἀρνῶν,
Σπονδαί τ' ἄκρητοι, καὶ δεξιαὶ ἧς ἐπέπιθμεν.
Εἴπερ γάρ τε καὶ αὐτίκ' Ὀλύμπιος οὐκ ἐτέλεσσεν,
Ἔκ τε καὶ ὀψὲ τελεῖ· σύν τε μεγάλῳ ἀπέτισαν
Σὺν σφῇσι κεφαλῇσι, γυναιξί τε, καὶ τεκέεσσιν·

At non irritum erit iurandum, & fœdera pacta
Sanguine, nec dextræ, quis credere suadebamur.
Nam quamquam Deus haud pœnas in tēpore sumit,
At post sumet: & hi magno, mihi crede, rependent
Ipsi, atque vxores, & dulcia pignora, nati.

Audis vere vatem. semper mala Fides pœnas

ſtatim aut poſtea, in violatoribus, aut ſanguine eorum luit. Et vis præſentis aliqua commodi ſpecie adhærere? fuge: nam & Fama ſic te fugiet. & quiſquis vel hanc amat, Fidem amet. Cuius multa vel teſtimonia ſunt, vel Exempla.

I. ÆGYPTIIS quidem (& apud priſcos illos multa præclara inuenio) lex fuit, recitante Diodoro: *Periuri capite puniuntor. quia duplici ſcelere obſtricti, & Pietatem in Deos violant, & Fidem inter homines tollunt,* MAXIMVM VINCVLVM SOCIETATIS. Recte de *Pietate.* quis enim perfidus, non & Dei numen, & aduocatum nomen, ſpernit?

II. AGESILAI Spartani regis factum & dictum ſubiungam. qui cum exercitum in Aſiam traiecisſet cõtra regem Perſarum: *Tiſſaphernes* ſummus Satrapa, viribus imparem ſe videns, & celeritate præuentum, fallere per ſpeciem fidei quæſiuit. Itaque de inducijs cum Ageſilao egit, adſimulans operam interea ſe daturum, vt Rex cum Spartanis componeret. Dedit *Ageſilaus* trimeſtres. quas ipſe quidem optima fide ſeruauit: at alter copias cogere, loca munire, & bellum ſumma vi comparare. Quod vbi Laco ſenſit, & monitus eſt: nihil moueri. imo multum in eo ſibi profici dicebat, quod *Tiſſaphernes* ſuo periurio & homines alienaret, & Deos redderet iratos. Vtrumque in ſe aliter eſſe. quod & milites fidentiores redderentur, Deorum ope fiſi: & homines amiciores qui ijs fere ſtuderent, quos conſeruare fidem viderent. Et res atque exitus ita fuit.

III. Ex eadem Græcia fuit ANDRONICVS quidam à *Demetrio* rege præfectus Tyro. Cum autem *Demetrius* graui prælio victus à *Ptolomæo* esset: iste loca & regiones passim inuadebat atque occupabat, destitutas scilicet omni spe auxilij. In aliorum ignauia aut perfidia, constans mansit *Andronicus*, & aduentanti Ptolomæo, atque inuitanti, fortiter restitit: donec à militibus, seditione mota, desertus & vrbe eiectus est. Venitque in Ptolomæi manus. qui nihil vt in hostem & pertinacem fecit, sed fidem illam ipsam admiratus, quam oderat, donis cumulauit, & in cohortem amicorum transcripsit.

Apud Romanos plura & fortiora exempla.

IIII. Primum communiter in ipso SENATV, aut POPVLO. veluti, obsidione vrbis à Porsena, cum pax iam coisset, & datis vtriusque sexus obsidibus firmata esset: virgines, duce *Clælia*, transmisso Tiberi, hostibus se eripuerunt, & Romanis suis restituerunt. Poterat excusatio esse, & qui in custodia habentur, fallere posse custodes: sed noluit Senatus, & bona ac vere prisca fide censuit obsides remittẽdos. Iterum. *Faliscorum* ciuitas aliquoties rebellis, dedere se tandem *Q. Luctatio* Consuli coacta est. in quam cum sæuire populus Romanus cuperet, & asperius consulere: doctus à *Papirio*, Faliscos non potestati, sed fidei se Romanæ commisisse: statim destitit, & verbuli religione motus, iram omnem impetumque deposuit. Quam longe illi à cauillis, quos mala calliditas semper reperit? Romani etiam CONSVLES, bello Punico

primo,

primo, ſpecioſe hac fide ſe oſtentarunt. Victa erat circa Siciliam magna Punica claſſis, fractique duces conſilia pacis agitabant. Sed ex iis *Amilcar*, negabat ire ſe ad Romanos, ne eodem exemplo ſibi catenæ iniicerentur, quo ab ipſis *Cornelio Aſinæ* Conſuli fuiſſent nuper iniectæ. Sed *Hanno* melior Romani ingenij moriſque æſtimator, dixit fidenter ſe iturum, & iuit. Verba fecit, & facienti Tribunuſmilitum qui circa Tribunal adſtabat dixit, *Nonne tibi merito eueniat, quod Cornelo factum?* Conſules ſtatim Tribuno tacere iuſſo, *Iſto te*, inquiunt, *metu Hanno fides ciuitatis noſtræ liberat.* Verba grauia, verba veracia: & quanta gloria, nec ſpeciem violandæ fidei dare voluiſſe.

Quod & P. SCIPIO *Africanus* fecit. qui capta naue Carthaginienſium, in qua multi illuſtreſque viri vehebantur; illi ad effugium commenti ſubito ſunt, Legatos ſe ad eum veniſſe. Apparebat mendacium, & argui poterat: ſed magno Romanoque animo maluit decipi fidem ſuam, quam accuſari. Idem Carthagine iam obſeſſa, cum feſſi malis legatos pro pace in vrbem miſiſſent, atque interea naues Romanas & commeatum diriperent, contra fœdus *Scipio* nihil armis etiam tentans, ſuos Legatos in vrbem miſit conqueſtum, & ius petitum. At illi vix retenti ſunt, quin manibus eos violarent: niſi quod ereptos tamen è turba, primores ad mare deduxerunt, & præſidium triremium dederunt, quæ pro-

sequerentur redeuntes. Sed id quoque parum bona fide. certe abeuntibus triremibus, *Asdrubal* statim eos aggressus est, & in conflictu duo Legatorum perierunt, reliqui inter tela volitantia ægre se in castra & ad Scipionem receperunt. An non & hæc caussa soluendi iuste fœderis? non fecit: Legatos Roma exspectauit. Sed ij cum re infecta discedere à Senatu iussi essent, & ad suos statim se recipere, vt hostes: ecce tempestas detulit eos ad ipsa *Scipionis* castra. Et cum Præfectus maris à *Scipione* petisset, *Quid ijs facere deberet? Nihil tale*, inquit, *quale nobis Carthaginienses*: dimisitque intactos. Hominem hunc fidum dicam, an ipsam in humano corpore Fidem?

VI.

Dissimilis alia virtute, aut fortuna: sed hac par fuit SEX. POMPEIVS, is qui Sicilia & Sardinia occupatis, graue bellum fecit Triumuiris, & populo Romano. Et cum inedia atque inopia eos conficeret, coacti sunt ad pacē venire, etsi parum fidam aut diuturnā. Igitur *Octauianus Cæsar*, & *Antonius*, colloquium cum eo instituerunt, circa Misenum: quo ipse classe instructa appulit, illi terrestribus copiis succincti. Conuenit tandem certis conditionibus de pace: atque vt, illi firmandæ, inter se beneuole agerent ac cænarent. Prima cænæ sors *Sexto* euenit: qui rogante *Antonio*, *Vbinam cænaturi essent?* facete respondit, *In meis carinis*: ad nauem suam respiciens, in qua paratum epulum; tum & ad domum paternam, quam sitam Romæ in *Carinis* Antonius occupabat.

Igitur in naui conuenerunt, & iam epulæ, & ſermones, & cauilli in *Antonium*, & *Cleopatram* eius erant: cum ſenſim à tergo accedens *Menas* libertus, claſſis Præfectus, *Sextum* clam affatus eſt: *Viſne tu vt funes incidam, & nauim abducam, faciamque te non Siciliæ modo & Sardiniæ, ſed orbis terræ dominum?* Dixerat, & facere poterat. pons tantum nauim cum terra iungebat: qui ea mota ruebat: & quis hominum impedire, aut ſuccurrere potuiſſet? In duobus autem illis capitibus vniuerſa tunc res Romana nixa. Sed Deus & Fata noluerunt: nec ipſa Fides quæ *Sexti* mentem mouit: *Et te quidem, Mena, facere fortaſſe oportebat*, inquit, *non prædicere. Nunc autem præſentibus acquieſcamus*: NEC EST MEVM PEIERARE. Macte *Sexte*! quem vel ob hoc dictum factumque (nam cetera degenerant) nec Roma abdicet, nec pater.

VII. Atqui & in ſingulos fidei etiam exempla ſunt. vt hoc LVCILLII, qui vir & Senator illuſtris, in partibus *Bruti* atque acie Philippenſi fuit. Cum Brutus igitur altero prælio victus fugeret, & equitum manus inſectaretur, & iam in eo eſſet vt apprehenderet: ille ſtatuit vel morte ſua illum eripere, ac paullum velut fatigato equo ſubſiſtens, Brutum ſe ſimulat & præfert, ac capi ab illis eſt paſſus. Qui ingenti gaudio perfuſi, vt tam vbere præda adducebant cum reflexis habenis (nam id quoque petierat, quo magis falleret) ad *Anto-*

nium, non ad *Cæsarem*: quasi de eius benignitate melius speraret. Interea *Antonius*, per præmissos quosdã iam certior de capto *Bruto* prodibat scilicet obuiam; sed & alij cum illo, partim miserantes, partim incusantes, quod vitæ cupidine eo deductus esset. Iam propinquis, substitit *Antonius*, incertus quo vultu verbisque Brutum exciperet: cum statim *Lucillius*. *M. Brutum, Antoni*, inquit, *nemo cepit, aut capiet, spero, hostis: Dij meliora, quam vt in tantum Fortuna Virtutem calcet. Sed enimuero ille aut alibi viuus reperietur liberque; aut certe, vt illo dignum est, mortuus. Ego vero Lucillius sum, qui militibus tuis imposui, vt illi esset effugium: nec quidquam pœnæ hoc nomine recuso.* Obstupuerant omnes præsertim milites, qui sic sibi dolebant prędam ereptam: sed ad eos *Antonius*: *Comilitones* inquit, *bono animo estote, nec putate vobis fraude vel errore isto illusum. Imo vberiorem, certe gratiorem mihi prædam, quam putabatis aut petebatis, scitote adductam. Nam Bruto ipso quid facturus fuerim viuo, sum incertus: nunc dum hostem quæritis, amicum repperistis, & adduxistis: qui, tu Lucilli, semper mihi eris. Abite, præmium exspectate.*

VIII. Laudabilis & ille Cæsaris CENTVRIO qui captus in mari Africo, cum paucis veteranis, & ad *Scipionem* deductus, cum is vitam & pecuniã proposuisset omnibus, si militare secum vellent: ipse respondit, *Pro tuo summo beneficio, Scipio (nec enim Imperatorem appellabo, qui vnus mihi Cæsar est, gratias ago, qui vitam offers belli in-*

re capto. Sed huic beneficio quia ſcelus coniunctum eſt, non vtor, Egone contra Cæſarem, apud quem ordines duxi, vigintiſex amplius annos militaui, aduerſus armatuſque conſiſtam? Ne fides hoc ſinat, aut virtus: & te magnopere hortor, vt de incepto deſiſtas. Contra cuius enim copias contendas, ſi noſſe vis; age, elige ex tuis cohortem vnam, quam voles: ego ex meis, quos nunc habes, non amplius decem ſumam: tunc ex virtute & ſucceſſu noſtro intelleges, quid ſperare de copiis tuis debeas. Ita militariter Centurio. quem ſtatim ante pedes ſuos *Scipio* interfici iuſſit: quo crimine damnatum? fidei, quod inter deſciſcentes grauiſſimum eſt.

IX.

Sed nec ſuperior aut noſtra ætas huius laudis ignara eſt. vt in Hiſpania cum rex *Ferdinandus Primus* tres filios reliquiſſet *Sanctium*, *Alphonſum*, *Garciam*, regna quoque inter eos diuiſit, ſed voluntate aut pace non firma. Nam ſtatim ab eius morte *Sanctius*, ingenio violentior, fratrem *Alphonſum* bello aggreſſus vicit, cepit, & monachum profiteri coegit. Non diu perſeuerat coacta pietas, abdicat. & clam cum *Petro Anſurio Comite*, ad regem Toleti, *Almenonem* confugit. Maurus is erat, & religioni hoſtis, ſed cum patre Alphonſi *Ferdinando* amicitia ei & pax fuerat: eoque electus à profugo, cui ſe crederet: & iſte cum fide recepit, habuitque. Dum illic eſt, euenit vt coram *Almenone* capilli eius ſubrigerentur, & manu aliquoties compreſſi non ſubſiderent: quod Mauri vates triſte prodigium interpretati ſunt, & hunc

∞.LXX.

esse, qui ad vrbis Toletanę imperium erigeretur. Itaque de nece suadebant. non fecit Rex, & potior ei metu fides fuit. Quod mirum in barbaro, satisque habuit, iuramento *Alfonsum* adstringere, ne se viuo regni sui terminos infestaret. Ecce autem paullo post interficitur ex insidiis, ad *Zamoram*, rex *Sanctius*: & soror *Vrraca* benigne in hunc fratrem affecta nuncios litterasque statim mittit, quibus ad regnum euocat, & suadet astu aut celeritate euadere barbaros fines. Æstuabat *Alfonsus*. faceret? ingrati animi notam mutuebat; tum etiam ne non celaret, & reduceretur merito non dimittendus. Non faceret, & rem aperiret? ne vinclis, aut conditionibus adstringeretur ab eo, quià tam vicino & potenti rege haud frustra timeret. Vicit tamen fides in honesto animo, & gratitudo: ad *Almenonem* venit. *Quod tibi gloriosum*, inquit, *mihi felix sit, ad regnum à meis vocor, ereptum in parte à fratre nuper, nunc eius fato vniuersum relictum. Culpare illum mortuum, pietas me vetat: eadem, vt tuum beneficium prædicem, incitat. qui profugum, ab hominibus & fortuna relictum recepisti, fouisti: qua spe aut præmio, nisi quod ab ipsa virtute est? Et tamen animus agnoscendi soluendique non deficit, fortasse nec occasio aut materies, si per te mihi datur ea vti. Age Rex magnanime, imple tua beneficia, & pro cumulo, Regē me in regnum remitte. Hactenus vita tui muneris est, fac vt inparte sit & regnum.* Ita noster: quem Maurus amplexus, incolumem regemque gratatur, & promittit. *Neutrum*, inquit, *futurum, si me inscio, non iter, sed*

fugam tentasses. Nec enim te celo, notam mihi mortem Sanctij fuisse, & tacitum exspectasse tua consilia, vt aut laudarem ea, aut vindicarem. Istud facturus sane erã, si fallaci & ingrato animo te subduxisses: & exploratores subsessoresque viarũ dispositi à me erant, qui. sed taceo, & gaudeo opus non fuisse. Virum bonum fidumque te, erga me talem, ostendisti: fac & in regno, quod omnes dij tibi fortunent. Nihil stipulor, nisi illud vetus, Amicum te fore mihi & maiori filio Hissemo, quamdiu vita vtrique erit. Dixit, & pecuniam comitesque dedit, atque ipse, honoris caussa, aliquãtum spatium deduxit. Clarissimum hercules exemplum Fidei in Afro, quod miremur religionisque diuerso: sed & diuinæ Prouidentiæ, quę id regnum & vrbem ab eo voluit capi, qui perfugium ibi habuerat & tutelam. Quod nouem circiter annis post euenit, sed mortuo *Almenone* & filio maiore.

X. ∞ CC. XLIII.

Habet & iterum Hispania Fidei exemplum, in Lusitania, sed in homine Christiano. Is fuit FLECTIVS vir nobilis, arci *Conimbricæ* atque vrbi à *Sanctio* rege præfectus. Sed enimuero is *Sanctius* male & improspere regnum administrabat, aulicis quibusdã nimis credulus, & inprimis *Menciæ* vxori suæ addictus mancipatusque. Igitur querelæ, & mox conspiratio procerum in illum fuit: denique eo ventum, vt Põtifice ipso, quem adierant, (is *Innocentius* fuit) auctore, curam tutelamque regni ad *Alphonsum* transferrẽt, *Sanctij* fratrem. Inde bellum, & plerique à Rege veteri alieni: sed constans pro eo *Flectius* iste fuit, & oppugnationem & arma-

etiam *Alphonsi*, ac totius gentis, excepit. Nec flecti potuit, donec ei nunciatum *Sanctium* in exsilio *Toleti* mortem obiisse: *pro quo pugnaret vltra, aut fidem obtenderet? Daret se & verteret, quo Fortuna & omnes; nec pulcherimam laudem, titulo Peruicacis aut Insani mutaret.* Audit flectius, nec satis credit. petit veniam ab Alphonso, vt ipsus Toletum ire, & coram arbitrari possit. Facile impetrat: & interea ab oppugnatione cessatur. Cum venit, Regem suum fatofunctũ, sepultumque inuenit: atque vt in animo suo, non solum opinione hominum, liber esset, aperto sepulchro, cum suspiriis & lacrimis, ipsas claues vrbis Conimbricẽsis in manus dat, his verbis: *Quamdiu, ô Rex, viuere te iudicabam, extrema omnia sum perpessus coriis pellibusque famem toleraui, sitim lotio: ciuium animos ad deditionem inclinantes, & conantes, erexi aut repreßi: denique quidquid à fideli homine, & in tua verba iurato, exigi exspectarique potuit, id præstiti, & perseueraui. Unum superest, vt clauibus tuæ vrbis tibi traditis, solutum me iuramento omnibus, & ciuibus te vita ceßisse, denunciem Deus tibi bene faciat, in alio & meliore regno.* Ita abiit, & legitimum iam alterum Regem agnouit, & adhæsit.

XI. TRIVMPARA etiam in Orientali India, qui rex *Cochini* erat, cum eo Lusitani venissent, fœdus pacemque panxit. Mox in nouam & suspectam gentem conspiratio omnium, & maxime *Calecutiensis* regis, qui opibus & milite inter vicinos pollebat. Ille igitur copias amicosque iungere, & hunc inprimis *Cochini* regem

pertrahere, & suadere vt eiectis aut potius traditis pauculis Lusitanis, quos fidei suæ creditos acceperat, se culpa, omnes metu exsolueret. Ille vero obniti, & aperte dicere, *Omnia se potius, quam fidem amissurum. Siqui è subditis aut amicis id suaderent eos vero magis hostes se ducere ipso Calecutiense: quoniam ille regnum modo aut vitam eripere. isti pulcherrimam virtutum conarentur. Et vitæ spatium breue ac definitum, perfidiæ maculam sempiternam esse.* Hæc & similia dicta factis affirmauit. oppugnat eum vndique *Calecutiensis*, tandem & sui deserunt, vincitur, pellitur regno, in vicinam quandam insulam se recipit, sed nullius rei maiore cura, quam vt secum paucos illos Lusitanos seruaret. quid? ignotos & exteros? cladẽ & pestem sui regni? Tanti fides fuit. quinetiam cum *Calecutij* rex iam victo pulsoque offerret veterem fortunam & statum, ea lege si illos traderet; abnuit, fortiter professus, *Sceptrum & vitam eripi posse, fidem non posse.* Hunc hominem barbarum ego dicam? solo & gente fortasse, animo non possum.

XII.

Haud magis quã SOLEIMANVM Turcicũ Principẽ cuius classis, ducibus *Lustibeio* & *Barbarossa*, in Salentinos exscenderat. Ibi *Castrum* opidum arcemque, vicinum Hidrunti, subito terrore, in deditionem acceperant, incolis & ipso Domino *Mercurino* salutem & libertatem pactis. Sed barbari, & præsertim nauales socij, nihil pensi habentes, omne maleficium inferre; & idoneæ ætatis captiuos, cum ipso *Mercurino*, ad classem deduxere. *Lustibeius* tamen, non dubia

perfidiæ infamia, ad minuandam, *Mercurinum* liberauit: ceteros paullo post ipse *Soleimanus*. qui inter grauiores curas, *Corcyram* Venetorum obsidens, audito rem parum bona fide cum *Castrensibus* gestam; ingenuo pudore perfusus, statim conquiri captiuos omnes iussit, & in naues impositos, ad penates suos remitti. Ipsos quoque præcipuos auctores supplicio affecit, non hic tantum Fidei amator & cultor.

XIII. Nam & in Pannonia, cum Budam cepisset. metu vacuam, eiusque arcem oppugnaret, in qua Germanus miles, eique præfectus *Thomas Nadastus*, curabant: ille quoque metu perfusus, colloqui cum hostibus cœpit, & de arce dedenda pacisci. Quod ægte *Nadastus* ferens, ipse plenus animi & constantiæ, compescere conabatur, & diremptis colloquiis tormenta verti in hostem iubet. Enimuero hic illi ignaui ad scelus etiam versi, ipsum in vincula conijciunt, & frustra reclamante & minante, rebus corporibusque suis saluis, arcem dedunt. Intrant barbari, isti exeunt, vt pacti erant: sed cũ *Nadastum* vinctũ repperissent, & rem, vti erat ex ipso auditam, ad Imperatorem suum detulissent; ille perfidæ ignauiæ obiratus, statim immissis in abeuntes Genitzaris, omnes interfici iubet: ipsum *Nadastum* vinclis liberatum & ad se adductum, laudat & liberali stipendio inuitat. ac renuentem dimittit.

XIIII. Claudamus inclito exemplo, quod magnus rex Galliarum FRANCISCVS nobis donet. Ille *Carolum Quintum* nostrum, sola fide regis

& sua fortuna nixum, in Belgas & turbidos tunc *Gandauenses* properantem, sine copiis, pęne sine comitibus, comiter & regaliter excepit, apud se habuit, deduxit. Sermones inter eos varij & de pace etiam fuerunt, donando ducatu Mediolanensi (vti iniectum erat) *Carolo* Regis filio. Sed cum Cæsar iam apud suos pacatique domestici motus essent; tardior in hanc rē videbatur, siue quia nec ante serio cogitasset. Tum igitur vapulare multorū sermonibus regia comitas, aut credulitas. *cur non hominem, in quo rerum omne momentum, tenuisset? ecquando tam bella vmquam occasio? & inuidiæ aliquid aut & infamiæ, pro tam spectabili vtilitate, subeundum fortiter fuisse. Saltem leges firmiores certioresque ei dixisset: nunc, quid nisi inanem gloriam apud vulgus, apud prudentiores risum quæsitum?* Neque nesciit *Franciscus:* & in conuentu procerum celebri, cum alia in purgationem sui dixit, tum hęc ipsa in clausula: *Etiamsi Fides toto orbe exsularet, tamen Regibus tenendam esse, qui ea sola, & nullo metu, cogi adstringique possent.* Notabile dictum, & res sic habet. nos alios Lex aut Pœna coercet, Principes solus Pudor aut Fides.

XV.

Quid claudam? Gallus rex alium eius gentis, & vetustiorem subiicit, IOANNEM *Primum*, qui ingenti clade ab *Eduardo* VValliæ Principe victus, captusque, in Angliam abductus fuit. Ibi quattuor annis in custodia liberiore habitus, ad suos rediit, certis conditionibus cum hoste depactus. quæ tamen cum grauiores subditis viderentur, nec ciuitates An-

glis dedendæ, facile nouum iugum præsidiumque admitterent; ipse placando hosti, & fidei testandæ, iterum in Angliam traiecit, ibique ex morbo decessit. Clade accepta famosus, sed sic lata clarus, & fide clarissimus.

XVI. Sed heus vos, date veniam boni Reges & Principes, ac liceat illustri choro vestro seruile nomen inserere: non maculam, sed lucem & splendorem merum, quatenus hic quidem spectabuntur. Nam & Fidei illorum in dominos aut patronos mirifica exēpla sunt, nec nisi cum virtutis damno silenda. *Hasdrubal* in Hispania res gerebat, & magnam eius partem vi aut astu subegerat: sed cum nobilem aliquem Hispanum interfecisset, SERVVS natione Gallus id non tulit, & mortem Domini certa sua morte vindicaturus *Hasdrubalem* occidit. Rapitur, torquetur, cruci affigitur: inter omnia mala eo vultu, vt ridentis etiam speciem præberet, expleta vltione, sui securus.

XVII. *M. Antonius* inter Romanos oratores, & in dignitate viros, nobilis fuit: atque is fœdo crimine (puto falso) incesti publice postulabatur. Accusator SERVVM maxime in quæstionem flagitabat, quem dicebat præluxisse hero suo ad flagitium eunti, & laternam prætulisse. Aderat ipse seruus, cum hæc in iudicio dicerentur, & videbat rem ad suam pellem, quod dicitur, suosque cruciatus pertinere. Addo, quod iuuenis erat, imberbis, & in ætate adhuc minus aut patienti, aut constante. Tamen cum do-

mum ventum esset, & herum suum animi anxium videret: *Quid diffidis here?* inquit. *In meo robore & constantia, si vis & expedit, spem audacter pone. nullus metus, cruciatus, mors me adiget, vt te & honorem tuum prodam. Minus arcto vinculo anima hæc corpori illigata est, quam affectus tibi: nihil diuidet, nullus dolor aut carnifex vocem lædendi tui ex ore isto extorquebit. Adeo non diffugio, deposco hoc certamen, in quo tibi annis tiro, animi veteranum robur probem.* Erexit, & fiduciæ impleuit *Antonium*: qui iterum poscentibus seruum, præbuit. atque ille flagris virgisque laceratus, eculeo impositus, laminis adustus, mira patientia perstitit, & omnem vim accusatorum fregit atque elisit. Accessit facundia *M. Antonij*: sed heus, quæ tanta, vt hunc conditione seruum, animo heroem satis celebret.

XVIII. Quid ille *Vrbinij Panopionis* SERVVS? qui cum proscriptus in villa sua Reatina lateret, nec satis lateret (alij serui prodiderant:) ecce aduenientibus militibus, ipse vestem heri subito induit, suam illi dedit, anulo etiam in digitum inserto: atque ita, hero per posticum emisso, ipse in lectulum se reposuit, & pro illo occidi fortiter passus est. Cito id dictũ: non tam cito suscipi, aut susceptum fieri, verus iudex dicet. Magna fides, quæ vltima est, & post quam nec gratiæ, nec vitæ, vltra locus est.

XIX. *Antistij* vero *Restionis* SERVVS (qui & ipse miserabili illo Triumuiratus tempore, inter prof-

criptos erat) ad fidem ingenium quoque adiunxit. Nam fugientem suum herum, & vt putabat, ignotum assecutus est, & apprehendit: primo territum, quoniam hic erat stigmatum perpetua iniuria ab eo affectus, eoque in re trepida vindictam timebat. At ille primum confidere eum iussit. & *Ego te lædam?* inquit. *qui tot annos aluisti, benigne fecisti? absit nec ista stigmata plus apud me posint, meo merito imposita, quam vetera tua beneficia in nec meritum collata. Confide. ego vero & tegam, & vel vitæ huius periculo tuam seruabo.* Dixit breuiter fideliterque. & herum in speluncam abduxit, atque ibi ex operis & mercede diurna aliquamdiu aluit. Sed cum milites, omnia ab præmium rimantes, ad speluncam quoque, aliquid suspicati tenderent; ille subito senem viatorem abreptum occidit, & exstructo rogo superiecit. Superuenientibus in re militibus, & ferociter rogantibus *Quid ageret? Quin*, inquit, *scelestum meum herum interfeci, & crudelitatis huius ab eo* (stigmata ostendebat) *pœnas exegi.* Persuasit, & herum seruauit.

Singulorum hæc fides, plurium illa simul in eadem proscriptione. Nam *Pomponius*, audaci astu, arreptis insignibus Prætorijs, ipse in prætexta, serui instar lictorum, & cum fascibus exculti, vrbem mediam transiere: arctius dominum stipantes, ne ab obuijs posset agnosci. Ad portam sumpsit conscenditque vehiculum publicum, vt Prætor, & per totam Italiam sic incessit, quasi legatus à Triumuiris ad

Sex. Pompeium iret: itaque & triremi publice præbita in Siciliam, certissimum miseris tunc portum, transmisit. In tot hominibus tot occasionibus & locis admiranda plurium fides, & mente magis quam stilo pensanda.

XX. ∞ CCCC. XXXIII.

Addatur his non seruus, sed cliens *Roderici Dauali*, Magistri equitum in Hispania. Is *Rodericus*, cum aliis aliquot, postulatus maiestatis fuit, & litterarum ad *Josephum* regem Maurum scriptarum, quasi patriæ prodendæ. Plura exempla prolata, & res in consilio Regis cognita, atque ipse aliique damnati. Hæsit in herili isto crimine ALVARVS NVNNIVS FERRERIVS, Cordubæ natus, qui Præfectus aulæ & domui *Dauali* erat. Sed is strenue se herumque defendens, non prius quieuit, quam falsas litteras ostenderet, earumque auctorem *Joannem Garsiam* conuinceret ac damnaret. Et ipse quidem se expediuit, sed magni illi mansere exsules: cum ecce *Ferrerius*, ad heri egestatem subleuandam, omnia bona sua (quæ beneficio patroni acceperat) diuendidit, & *octo aureorum millibus* confectis, textrinæ lignis excauatis ea indidit; atque asino imposita, agente in viliore veste filio, clam ad *Daualum* misit. Dignus, quem illustrissima ea gens etiamnunc in memoria & laude habeat, & posteros, siqui exstant.

DE MODESTIA IN SENSV.

Hanc Principi decoram, & vtilem esse.

Cap. XIIII.

DIximus tres virtutes & commendauimus, plane Regias, & quæ in publicum spectant: sunt aliæ velut Priuatæ, quæ magis ipsum. Inter eas Modestia, quę vario adspectu Principi adsumenda. Primum, quia omnes homines decet submitti, & ab Arrogantia fugere, scopulo virtutum. Sed magis Principem, qui in alto est, & caussas plures siue occasiones Superbiæ habet. Natura quidem hæc corrupta eo vocat, & vani aut tumidi per eam sumus: quid cum Fortunæ ille ventus obsecundat, & vela implet? auferimur. Adde Educationem, quæ in aulis. molliter, indulgenter, splendide habentur; obsequia & demissio omnium, etiam apud pueros: qui non inflentur? Denique Adulatio accedit, ô Aulæ certa pestis! blādiuntur assidue, & laudant, honoribus ac titulis afficiunt, id est dementant. Non iure sic loquar? vide *Alexandrum* illum, à tali patre, tali præceptore: fastidit homo esse, nec iā *Philippi*, sed *Iouis* filius audit. *Iulius Cæsar*, ille animi & ingeni magnus, impingit: & omnium victor, Adulationi succumbit. Voces emittit *debere iam homines consideratius secum loqui, ac pro legibus habere quę dicat*. Itane pro legibus omnia

nia dicta? difficile est credere, virum talem sic elatum & ablatum. *Caligulam, Domitianum, Commodum* omitto, & hæc portenta: qui palam salutari & haberi, *Dominus Deusque noster*, volebāt. Vide an temere ad Modestiam vocem: & quæ hodie peccentur, non dicam. Caue, caue Princeps: & cogita supra homines te, sed hominem esse. Quamdiu autem esse? mors imminet, & æquabit. Quamdiu etiam esse? tristis aliqua sors imminet & demittet. Regnas? potes subijci. Dominaris? potes seruire. Quidquid alte se sustulit, opportunum est ad casum. Seneca noster: *Nulli Fortunæ minus bene, quam optimæ creditur. alia felicitate, ad tuendam felicitatem, est opus.* Videsne histriones in scæna, personam Agamemnonis aut Priami gerere: & mox, cum fabula peracta est, ad habitum & sortem veterem redire? Date veniam Principes, tales estis. Deus personam in orbis theatro hanc imposuit: sustinete, agite, sed qui introrsum & apud vos sitis, cogitate. Choragus ille est, qui dedit ornamenta: & nisi refertis ad eum, aufert. Huc vocant magnorum regum Dicta, vel Exempla: & vtraque ex magna copia, cum dilectu quodam, habe.

De Breuit. vit. cap. XVII.

SARDANAPALVS rex Assiriæ à delicijs, & purpurata, vt ita loquar, vita innotuit. tamen idem ab ebrietate longa sobrius, sepulchro incidi curauit symbolum, quod ad Modestiam altissimos vocet. Erant digiti duo, qui collisi inter se * crepitum edebant: signantes, omnia regna, omnia votiua aut magna, NEC TANTI esse.

I.

* ἀποκρότημα.

II. Sine alijs verbis ille hoc docuit: at ARCHIDAMVS Spartæ rex paucis,& pro Lacone, *Philippo* enim Macedoni,post victoriam ad Chæroneam, qua libertas Græciæ concidit, insolentius se efferenti,scripsit: *Metire vmbram tuam, nihilo reperies auctiorem*. O sapienter! Quid attollis te in hostibus victis,in finibus propagatis? tibi nil accessit.Numquid animo? curæ maiores,aut metus. Numquid corpori? *metire vmbram*,videbis.

III. Sensit ipse PHILIPPVS, cum aliquando in palęstra,inter luctandum,prolapsus surrexisset, & corporis vestigium in arena vidisset: *Papæ*, inquit, *quam paruam terræ partem sortiti, orbem appetimus.*

IIII. SEVERVS Imperator Romanorum, diu in ambitione, & ob eam bellis, senio confectus ac moriturus,vrnam ad se deferri iussit, in qua cineres(prisco illo more) erant recondendi. Et diu contrectans & contemplatus,vocem misit: *Tu virum capies,quem orbis terræ non capit*, Ita, ita ——*mors sola fatetur, Quantula sint hominum corpuscula*. Attollere in vita, manus & spes ab Oriente ad Occasum mitte: illa contrahet, & te intra te coget.

V. *Seuerus* hoc sub mortem: diu ante eam MAXIMILIANVS *Primus* Imperator *Austriacus*. Nam ille memor fragilitatis huius, triennio (alij biennio) ante morbum, non solum mortem, capulum funebrem è querno ligno, arcæ viatoriæ inclusum, circumferri secum iussit: cauitque testamento, vt exanimum corpus

suum, rudi linteo inuolutum, sine vlla exenteratione, illi imponeretur, naribus, ore, auribusque viua calce oppletis. Quid sibi voluit magnus vir? nisi monumentum illud assidue in oculis habere, quod diceret, *Cogita mori.* quod amplius diceret, *Quid te dilatas & extendis? quid multa possides, plura appetis? Quem tot prouinciæ & regna non capiunt, loculus iste capiet.* Cur autem & calcem cauis illis partium immisit? en aromata, quibus condiretur! Sed hoc spectauit, vt corpus putredininatum, ea quoque exedente & consumente materie, citius consumeretur, & iret in suam terram. *Maximiliane*, magnus fuisti! & res tuæ dicunt, tum & hæc circa mortem.

VI.

Sed amplius, ille idem, pluribus diebus ante mortem nil nisi *Maximilianus* appellari voluit. quod imitatus nepos eius CAROLVS, cum raro & miro exemplo, Imperio se vltro abdicasset. & in filium, iam validum æui & animi, curas contulisset. Secessit enim in Hispaniam, & in Diui *Iusti* monasterio, septem à *Placentia* milliaribus, se abdidit, cum duodecim dumtaxat familiaribus, Deo & quieti vacaturus. Interdixit autem, aliter se quam *Carolum* appellari: *Cæsaris* atque *Augusti* illa nomina, cum rebus animo exuens, & totum hoc honorari contemnens.

VII.

Sed inter mundanos istos externosque Principes, fas sit locum dare & Ecclesiæ Principi ac capiti, CLEMENTI *Quarto* natione Gallo: qui incredibile est, quam etiam summo illo cul-

mine modeste gesserit & temperanter: Ante Pontificatum Iurisconsultus fuerat, & filias ex vxore susceperat duas. Harum vni in monasterium collocatæ, non nisi *triginta libras* Turonenses semel dedit: alteri quæ maritum habebat, *trecentas*, loco dotis: idque hac lege, nequid vmquam plus peteret. Nepoti quoque tria Beneficia, vt loquimur, habenti, optionem detulit vnum retinendi, cetera statim dimittendi. Mirantibusque & instantibus amicis, vt & illa permitteret, & alia daret: in claram hanc vocem erupit, *Non esse dignum Petri successorem, qui plus cognationi, quam pietati largiretur.* Exstat epistola viri sancti ad nepotem quemdam suum, ab Antonio Augustino prouulgata, in qua & voces & sensus videre est, ab ipsa Modestia conceptos.

In Onufrio.

VIII. Sed CANVTI etiam Anglorum regis insigne ad Modestiam documentum est. qui cum obsideretur ab Adulatoribus, id est coruis aulicis, & sortem eius attollerent, dicerentque omnia seruire, & *ad nutum eius vultumque* (verba Annalium) *conuerti:* ille fœdam adulationem sic repressit. Spectantibus ijs, sedem regiam in litore maris posuit, in ipso accessu eius & fluxu. Tum dixit: *Tu mare ditionis meæ es, & terra, in qua sedeo, est mea. Impero tibi & denuncio, ne in terram meam ascendas, nec membra, nec vestem domini tui madore perfundas.* Ille dixerat, mare tenorem suum tenebat, veniebat, alluebat. Tum resiliens: *En,* inquit, *quam ego omnibus imperito! Quin sciant omnes, qui terram incolunt, vanam & falsam esse regum*

potentiam: atque vnum eo nomine dignum, qui vere imperium inhibet cœlo, terræ, mari. Neque intra verba Modeſtia hæc ſtetit. in omni actione talem ſe præbuit, atq; adeo coronam vltra in caput non admiſit.

IX.

Hæc inuitent & excitent, ſed Mutationum exempla, quæ addam, fortius etiam percellant. Quot enim ea ſunt? & quam paucis Fortuna currum à carceribus ad metam, ſine offenſa aut euerſione, perduxit? In omni æuo, & in omni orbe occurrent. In Ægypto SESOSTRIS rex hoc didicit, & imbibit. Victor erat vicinorum, & imperium longe protenderat: ſed & animum euexerat, & quattuor reges, equorum vice, currui ſuo ſubiungebat, quo vehebatur. In eo cum ſublimis ſederet, regum illorum vnus capite reflexo identidem rotam currus aſpiciebat, & capi ac paſci videbatur. Quid rei ſit, Seſoſtris rogat: ille libere, *Intueor volumen hoc aſsiduum rotæ, in qua viciſsim ima ſumma, et ſumma ima fiunt: quod exemplum capio, & applico noſtræ fortunæ.* O bene! potuiſſet tamen addere, *& tuæ.* ſed Seſoſtris ipſe fecit, & ſtatim illos à iugo, ſe à faſtu liberauit.

X.

SOLONIS etiam monitum tale, ſed non apud talem: neque doceri, niſi malo ſuo aptum. Apud CROESVM erat Lydiæ diuitem illum regem. qui Solonem comiter, vt peregrinum, excipiens, & gazam omnem atque opes oſtentans, *Et quid videtur? habes dicere hominem me beatiorem:* Habeo, inquit Solon: & *Tellum* quendam, hominem modicæ ſortis, ſed in ea

quietum, nominauit: tum & duos alios, qui vita bene acta essent defuncti. Risit Crœsus: *& nos quo loco sumus? Haud dixerim*, ait Solon. *nec fas beatum etiam censere, qui in his vitæ fluctibus iactatur donec sit in portu. Nonne tempestas interuenire potest, & turbo qui euertat?* Nec sic hominem docuit, sed fecit mox Cyrus. Nam ille acie victum, & vinctum rogo imposuit exurendum. Cum Crœsus clamare incœpit, *O Solon, Solon!* Miratus Cyrus, rogari iubet, *Quem in extrema illa sorte hominum deorumve inuocaret?* Dixit, *Solonem sibi in mente esse, qui sapienter monuisset, non fidere præsenti fortunæ, nec beatitudinem ante finem vindicare. Nisi*, inquit *nunc probo & miror.* Probauit & Cyrus. statimque ad modestiam etiam ipse flexus, liberari Crœsum iussit & in amicos transcripsit.

XI. Addamus quamquam æuo dissitum, sensibus exemplum assitum, GILIMERIS regis in Africa Vandalorum. Diu felix fuerat, opes terrasque victoriis quæsiuerat: vertit se Fortuna, & *Belisarius* à *Iustiniano* Imperatore missus, cum exigua manu, hominem euertit. Acie igitur victus, fugit in Numidiæ excelsum montem *Pappum*, atque illic obsidione aliquamdiu tolerata, desperans ad *Pharam* misit, qui mandato Belisarij obsidebat. actum super deditione, simulque petitum. *Panem sibi mitti, spongiam & citharam.* Panem, fami releuandæ: spongiam, siccandis oculis: citharam, leniendo animo. Dedit ea Pharas, & mox sese Gilimer. qui ad Belisarium deductus, nil nisi risit Desipere cum è cla-

dibus homines censebant: vera sapientia erat, qua incerta hæc rerum, vsu edoctus, ridebat. Idque apertius in ipso triumpho ostendit. cum per pompam Byzantij, ad *Iustinianum & Theodoram* coniugem in sublimi solio sedentes adductus, hoc tantum effatus est, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* O bone Gilimer, felix tua infelicitas, quę mentem hanc dedit! nec vita deinceps infelix, quam in Galliæ angulo priuatus quietusque duxisti.

XII. In eadem Africa, sed vetustiore æuo, non alium regem video vinci, capi, triumphari? IVGVRTHA is fuit, Masanissæ nepos, opibus & ingenio validus, sed tamen à Mario deuictus. Romam ducitur, & post triumphalem illusionem in carcerem coniectus, veste spoliatur, inaures, quas more gentico ferebat, detrahuntur, sic ferociter, vt partem imam auris senserit auelli. Tum denique nudus in carcerem infimum abiectus, tætrum & horridum, *Papæ*, inquit, *quam frigidum est vestrum balneum!* atque inibi fame obijt.

XIII. Quid Rex è Macedonia PERSES? is quoque victus à Romanis, & animo fractus, ad religionem templi in Samothrace confugit: quasi sacra tueri possent, quem non arma. Inturum igitur asylum: fraude vel vi eductus est, & cum vxore & liberis ad *Æmilium Paullum* Consulem perductus. Ibi solutus in lacrimas, & humiles preces, ad genua etiam se submisit: miserante Paullo, & simul indignante, quod homo sic vilis & degener victoriæ suæ decus delibaret. Trium-

phatus deinde est, cum duobus filijs, & filia: ipse in carcere, & duo mortui: tertius seruatus, quid nisi iterum ludibrium? Regia illa stirps primo fabrili arte vitam tolerauit: & vsu iam Latini sermonis aliquo, scriba & assecla magistratuum fuit. Vbi es Confidentia, aut Superbia?

XIIII. Ante illum, & maior illo PHILIPPVS, eiusdem Macedoniæ rex, & *Magni* pater, quam sensit infidam sortem? Græciam ferro vel auro suam fecerat, spes in Asiam mittebat: & iam conuentus indictus erat, vbi caput & Præfectus eius belli legeretur. Quem vt celebriorem lætioremque faceret, nuptias in eum contulit filię suæ *Cleopatræ*, cum *Alexandro* Epiri rege. Ludi & theatra parãtur, etiam sacra & duodecim Deorum statuæ in pompa ferendæ: quibus ipsius (ô cæca mortalitas!) decimatertia adderetur. Quid lætitiæ aut gloriæ abest? diuturnitas. & dum securum se putat, & theatrum ingreditur, *Pausanias* ex amicis (& hoc inopinatum) à tergo consecutus interficit. Vis iterum inopinatum? conscendit ille celerem equum, & euaserat, nisi pes eius in vite adhæsisset: vbi à Satellite Philippi confectus est.

XV. Sed quid ego talia memorem? vna illa Græcia, præsertim à *Constantino Magno*, qui imperium in eam transtulit, tot exempla casuum istorum det, vt non sit opus alio theatro. Quid in Italia? ab *Augusto* ad eundem *Constantinum* numerantur IMPERATORES *quadraginta tres*. Dispice. vix decẽ ex istis certo dabis, qui sua morte

ſint defuncti. Alios ferrum, venenum, laqueus abſtulit: à filio, fratre, vxore, amico, inimico: quid niſi ſingulos iuſtæ tragœdiæ argumentum.

XVI.

Iam & fati alia genera miſeranda. POLYCRATEM in cruce mori video, BAIASITEM in cauea, DIONYSIVM in ſchola, BOLESLAVM Poloniæ in culina. Quid ANTIOCHVM Syriæ, nonne à latronibus occiſum? PYRRHVM à fæmina? HENRICVM nuper Galliæ à monacho?

XVII.

In ſola Hiſpania tria hæc demus: & quartum alij. HENRICVS *Primus* puer ſceptrum ceperat, nec diu tenuit, poſt biennium miro caſu, & vere caſu, ſublatus. Nam dum Palentiæ, in area domus, cum æqualibus ludit, tegulæ lapſæ ictu repente caput comminutum: & ex vulnere vndecimo poſt die obiit, IOANNES itidem primus, in flore rerum & ætatis (annum *Trigeſimum tertium* agebat) dum equum iuueniliter calcaribus incitat, & ad curſum admittit, cum eo labente lapſus, inibi exſtinctus eſt. Magis tragicum eſt de PETRO. qui cum aliquamdiu ſæuiter, & multa procerum cæde, regnaſſet, *Henricus* frater arma in eum cepit, & auxilia è Gallia etiam conduxit. Pugnatum acriter, quam odiis pertinacibus, exitus docuit. nam victus *Petrus*, cum in conſpectum Henrici captus adductus eſſet, iſte pugione faciem eius percutit: atque alter dum vindicare parat, fœde colluctati, vterque ad terram proſternitur. Sed aliis quoque ſuppetiantibus Henricus ſuperior,

∞. CC. XVII.

∞. CCC. XC.

∞ CCC. LXIX.

fratrem multis vulneribus conficit, & regnum capit. Nonne hoc Thebanum vetus illud par fuit? Quartum exemplum in mente habeo, nondum in stilo.

XVIII. In isto, quintum. & est SEBASTIANI nuper Lusitaniæ & Indiarum regis, *Indole, proh, quanta iuuenis!* sed Fata eum euerterunt, & ipsum regnum verterunt. Iuuenis erat, animorum plenus: & accedebant, qui etiam Pietatis specie illos tollerent, & arma in Mauros, exque iis victorias, suaderent aut sponderent. Acrior stimulus *Mahumetes Abdalæ* filius, profugus è Fessæ regno, qui ius suum & amicos ostendebat, & largiter promittebat, exsulum ingenio & more. Ergo excitatur, & omnia parat, naues, milites, commeatus, præter consilia, quorum inops tunc & postea fuit. Vetus regnum, & alta pace, commouetur. insolens armorum nobilitas, & facta maiorum facilius, quam sua ostentans. Additur & mercenarius miles: Dux nusquam, nisi in titulo & splendore regis. Mare transeunt, regna Fessæ & Marocci, vt destinant, occupaturi: sed rex illorum ex aduerso prodit, *Moleius Moluccus*, corporis æger, animo melior. Disponuntur acies, pugnatur, *Moleius* interest, etsi per ægritudinem vix in equo hærens. videt autem fluctuare suos aut fugere, & generosa ira in hostem ipse equum concitat, exemplo aut terrori futurus: sed proximi retinent, gnari virium. Qua re ita excanduit, quasi in ordinem redactus, aut proditus, vt gladio eos petierit, & mox animo linquens,

in lecticam repositus, illic in ipsa acie obiit. Sed mira fides aut prouisio amicorum fuit. silentium de morte, cursus & recursus ad lecticam eius, quasi à viuo mandata peterentur: quæ res victoriam parti illi dedit. Nam Christiani pauci in plures paullatim fatigari aut cedere, multi cadere: postremum ipse rex, qui in mediis hostium pugnabat, cum videt omnia aduersa, cinctum se sine spe effugij, verba de pace aut deditione facere: ah, quam sero! Hostes inuadunt, & occidunt, siue inter plures ignotum (& quidam aiunt regia insignia sibi detraxisse:) siue cognitum, sed rixa inter ipsos orta, quorum præda esset, per iram interemptum. Addunt, equestri sellæ cadauer impositum, & in tentorium noui regis Afri (frater defuncti erat) delatum abiectumque ostentui fuisse, donec à captiuis bona fide agnosceretur. Ita ille obiit: & simul rex tertius *Mahumetes* exsul, qui fugere & fluuium vadare conatus, verticibus siue voragine haustus mersusque est. O acerbi fati adolescens, quæ tulisti, & quæ dedisti! nam tecum regnum corruit, & quod seorsim diu luxit splenduitque, velut radius rediit ad suum Solem.

XIX. Assiduus hic ludus: & ideo non sit finis narrationum, nisi reprimam. quod facio: sed vnicum insigne exemplum Mutationis effatus, in qua & manus carnificis interuenit. CONRADINVS imperatoria & regia stirpe iuuenis, vltimus Ducum Sueuiæ fuit. Pater ei *Conradus*, rex Neapoleos & Siciliæ, mater è Ducibus

Bauariæ, auus, *Fridericus Secundus* Imperator, auia, *Constantia* filia *Ferdinandi* Hispaniæ regis fuit. Quam amplum, & illustre hoc stemma! quos animos non faciat? quæ fata non promittat? Sed spes vndique destituit: & statim à puero aduersa sorte, regna Neapolitana & Sicula, iure debita *Manfredus* patruus fraude inuasit, vi tenuit: Cum ille abiisset aut pulsus esset, auctoritate Pontificis (*Clemens quartus* tunc erat, Gallici sanguinis, & genti fautor) *Carolus Andegauensis* aduocatur & inuadit. Quem *Conradinus* dum pellere conatur, copias contrahit, è Germania in Italiam venit, multa nobilium manu: inter eos, *Friderico* Duce Austriæ, cognato suo. Sed & Itali se iungunt, quidam ius eius, plures commoda vel affectus suos spectantes. Pugna cum *Carolo* commissa, primo victor, denique vincitur: & fugit cum eodem *Friderico Austrio* per ignotam Italiam, trepidi & agasonum habitu se occultantes. Ita Asturam ventum. vbi consilium capiunt nauis conscendendæ, & Pisas dirigendæ, sociam & fidam vrbem. Conueniunt cum nauiculatore: & iam in naui erant, sed panis & commeatus deerat, quem mittunt eumdem illum præstinatum. Pecunia etiam deerat: ergo annulum alter à digito detrahit, siue pignus nauiculario, siue pretio ab eo permutandum. Is annulus gemmam raram & æstimatam habebat: itaque aurifex miratus à sordido homine deferri, & suspectans, *vnde habeat?* quærit. Ille candide, *A duobus iuuenibus, ingenui vultus & sanguinis, sed habitu & veste squallidis:*

neque vltra se scire. Defertur res ad Dynastam vrbis (qui tunc illi proprius erat) *Ioannem*: è gente *Frangipanum*: atque is ex euentu prælij, & fama, tale suspicatus, nauem instrui iubet, adolescentes retrahi, & ad se duci. Dictum, factum: sistuntur, agnoscuntur: & putabant extra periculum se, quia extra hostile solum erant, esse. Aliter accidit prauitate, siue auaritia Dynastæ. nam is *Carolo* indicat: qui statim cum copiis terra marique aduolat, & captiuos suos Neapolim abducit. Quid exspectas? aliquid regium? pudor est Andegauēsis stirpis aut macula, quod dicā. Diu deliberato cōcluditur, tollēdos, adolescētes & publice capite minuēdos. Quid? vt sicarios aut prædones? qui ius suum repetierant? qui bellum intulerant, & iure ac more gentium administrarant? Omnia in hoc facto sæuitiam & barbariem habent: etsi Pontificem etiam obtendunt, atque illum consensisse, aut suasisse. Alterum potest, vix alterum: sed æstimatio aliorum etiam esto, in re autem istud. Producuntur in scænam publicam, concursus ad tale spectaculum è tota Italia, plerique omnes miserantur & illacrimātur, sed nemo, nisi inani fauore, iuuat. *Conradinus* animose loquitur, *Carolum* accusat, se excusat: Deum vindicem inuocat, & ius suum in hæc regna *Henrico Castellano*, amitæ suæ filio, donat. Huic rei tesseram, chirotecam exuit, abiicitque. Tum *Fridericus* primus ingeniculare iubetur, & caput inciditur: quod sublatum è tabulato *Conradinus* (quis sine motu audiat?) pectori appressum, deinde ori applicuit: & fortem

miseram eius defleuit, cui auctor ipse esset. Tum & ipse in genua prouoluens, fortiter carnificem exspectat: qui caput amputat. & cum fecisset, statim alius hunc interficit, ne exstaret qui iactaret generosum illum sanguinem à se sublatum. Hoc vnum *Carolus* magno in speciem animo: cetera feritatem habent. etiam illud, quod ipse spectator supplicij esse sustinuit, in alta quadam turri occultus. Illi obierunt: nec diu victoria aut regnis *Caroli* posteri gauisi sunt, & Hispani (an non morituri voce & voto?) eiecerunt.

DE MODESTIA IN CVLTV.

Et hanc conuenire, elegantiam aut pompam non conuenire.

CAP. XV.

ET præcipuum quidem est, animum sic affectum esse: sed vt corpore idem prodatur, quidni decorum sit? Aurum, gemmæ, serica, non digna sunt ornamenta magno Principe: & negotiator aliquis aut mango ea vsurpet. Quis etiam nescit, Principi in mundo hæc esse? habet gestatque, si velit, sed maioris animi est, seposuisse. Sane egregios aliquot Principum sic factitasse video, & plebi virtute eminuisse, cultu consensisse.

AVGVSTVM apud Romanos: de quo Sue-

tonius. *Instrumenti eius & supellectilis tenuitas apparet etiam nunc, residuis lectis atque mensis, quorum pleraque vix priuatæ elegantiæ sunt. Ne toro quidem cubuisse aiunt, nisi humili, & modice instrato. Veste non temere alia, quam domestica vsus est, ab vxore, sorore, & filia neptibusque confecta.* Vt alia omittam, vide an vestis illi trans mare petenda, qui non nisi domo sumptam, & confectam, gestauit.

II. ALEXANDER *Seuerus*, plane inter bonos Imperator, gemmas lapillosque omnes, quos in Palatio repperit, vendidit: addens, *Gemmas viris vsui non esse.* Idem nec apparatu, nec pompa multum vtebatur, hoc vsurpans: *Imperium in virtute esse, non in decore.*

III. Quod sensit sane AGESILAVS, Sparta dignus rex. qui iam senex in Ægyptum *Tacho* regi suppetias iuit. Nauibus vehebatur: & cum appropinquaret, ingens Ægyptiorum turba in portum se effudit, ad celebrem ducem spectandum. Præceperant animo magnificum virum, veste, comitatu, ipso corpore spectabilem: at ille prodiit cum vili palliolo, par gregalibus, & nec aspectu verendus, nisi siquis nosset. Itaque palam cœpit contemni, aut irrideri: *Hunc esse, qui res lapsas instauraret? anchoram suæ spei? Omnino iactatum illud in eo verum conspici, Montes parturire, murem nasci.* Hæc & talia plebecula: sed plebecula. virum & ducem se mox exhibuit, non parem famæ, sed maiorem.

IIII. Talis in eadem Græcia PHILOPOEMEN,

quem scite & vere dixit aliquis, *Vltimum Græcorum.* Post eum, vix sane alius magna virtute, & laude fuit. At hic & corpore parum decens, & cultus omnis negligens fuit: at dedit sane modestiæ huius (sed apud fæminam) pœnas, *Megara* ibat, & præmiserat nunciatum amico cuidam, affuturum se vespere, & hospitem conuiuamque ei futurum. Gauisus ille, vt cocti aliquid esset, recta ad forum properat, vxori denuncians, vt domi interea paret, verrat, sternat: & quæ tanto hospiti conueniant. Illa satagit, & *Philopœmen* opinione maturius adest, & comites post se reliquit. Salutat hospitam. illa resalutat: & de cultu eius & corpore suspicata antecursorem aliquem esse, & ex famulitio: *Heus tu,* inquit, *Festinamus. adde manum & adiuta, atque hæc ligna mihi scinde.* Vna porrigit securim: & facit opus sedulo *Philopœmen*, donec amicus de foro superuenit, & attonitus, *Quid hoc rei est Philopœmen? ita te & me dedecoras?* Ille subridens, *En pœnas,* inquit, *vultus & cultus mei luo.* Adeo non indignatus pro seruo se habitum, vt vltro iocatus in se sit: & credo materiam bellam sermonum ea die, hoc factum fuisse.

V. RVDOLFO nostro Austriaco non aliter Moguntiaci euenit, & à pari caussa. Nam vestitu, nihil à plebeio differebat. Mane igitur egressus solus (& aura frigidior erat) videt in pistoris domo carbones de fornace recentes, ignitosque. Intrat fidenter, adsistit, calefacit: cum mulier eum adspicit, & ex vestitu æstimans, *Heus,* inquit, *mi homo, parum decet vos ad mulierculas, & in*

alienam

alienam domum sic venire. Rudolfus, *Mea mater, miles sum, qui meas res in obsequio & comitatu Imperatoris contriui: at ille parum benigne me nunc habet, nec pro spe aut meritis muneratur.* Mulier ad illud Imperatoris nomen cœpit stomachari, & multa mala in *Rudolfum* dicere: *Quin iste vir est*, inquit. *Qui nos & nostra perdit, pauperum scopulus & exitium. Merito hæc vobis eueniunt, qui adhæretis & sequimini: atque vt plura eueniant, opto.* Rudolfus delectatus procacia mulierculæ, *Sed Mulier*, inquit. *de me missum face: vos proprie qua re læsit?* Ibi mulier exclamare, *Illene? qui omnes pistores huius vrbis, lautos satis antea, fortunis euertit: nec facilè resurgemus. At tu bone vir fabulari desine, nec vltra molestiæ aut impedimento nobis esto, abi.* Aliquid voluisset etiam Rudolfus, sed illa Amazon vas aquarium in prunas accensas iecit, & fumo, vapore, cinere perfusum eiecit.

VI. Sed iste cultus eius priuatim, & non publice fortasse fuit. Publice? vide. Quis dies lætior, & magis pompæ aptus, quam cum victum *Ottocarum*, Boëmiæ regem, ad se vocatum excepturus erat, & fidem ab eo (Homagium dicimus) accepturus? Ille venit cum magno & splendido comitatu: & viri & equi auro, gemmis, serico nitebant. Dictum Rudolfo, aduentare: & sedulo à quibusdam additum, *Pararet se, veste & cultu ornatiore & Imperatorio, talem regem admissurus.* Rudolfus renidens: *Imo rex Boemiæ*, inquit, * *griseam meam vestem* (verba fuerunt) *sæpe derisit: nunc ipsum vestis mea grisea deridebit. At vos arma & equos expedite, & accincti instructique,*

* Leucophæam Græcis: cineream, aut murinam Latinis;

vt ad pugnam; state. Decus Teutonicorum armorum, non vestium, aduenis istis ostendite: hoc me vobisque dignum est, Dixit *Rudolfus*, neque aliter fecit. *Ottocarus* illi vili cultui se & aurum suum submisit, & ad genua accessit: non sine ludibrio etiam. cum Imperator iussisset tentorium, in quo res gerebatur, subito pandi & reuelari, vt ab omnibus geniculans *Ottocarus* conspici posset.

VII. CAROLVS *Quintus* Imperator, vt sanguinem ab eo, sic hanc virtutem traxit. In omni vita modicus, vel potius tenuis, in cultu fuit. quod notarunt Itali, & mirati aut calumniati sunt, in primo eius & solenni ingressu Mediolanum, Insubrum vrbem. Ciues nouo domino omnia instruxerant, plateas aulæis, tabulis, frondibus, sese quisque vestibus exornauerant: vmbella aurea parata, quæ ingredientem tegeret. cum ille & Imperator, & non semel Rex ac Princeps, in lanea atra penula, & vili pilleolo, sub eam se dedit. Videbant eum, & requirebant: matronæ præsertim, & virorum vaniores. qui trabeas, & illusas auro vestes, & fulgentes in capite & collo gemmas exspectabant.

VIII. O quam dispares isti à Græcanicis Imperatoribus, quos luxus & deliciæ ad cultum vix virilem traduxerunt! In qua re lepidum est, quod *Nicetas Choniates* denarrat de ALEXIO ANGELO, Principe Byzantino. Erat in Italia tunc *Henricus Quintus* Imperator, filius *Frederici Ænobarbi*, qui Sicilia & Neapoli subiecta spes suas lon-

∞. c. XCVII.

gius porrigebat, & Græciæ imminebat. Misit igitur legatos, qui magnum auri pondus poscerent, velut tributi nomine: aut si negaretur, caussam belli: *Alexius*, quem dixi, audito aduentu exterorum, vt opes suas & splendorem iis ostenderet, & oculos veneratione aut metu præstringeret, iussit suis omnibus quam ornatissimos adesse, auratos, gemmatósque: ipse autem à capite ad calcem nil nisi splendor, & nitor erat, rarum vel in templo aliquo spectaculum. Veniunt legati, sed Germani, id est viri. qui tantum abfuit (ait Nicetas) vt spectaculo eo ad metum mouerentur, vt contra ad cupidinem: & nihil magis vellent, quam cum istis quamprimum ad manus venire, effæminatis: nec nisi ad prædam natis. Cum interim Græculi etiam accedentes eos cubitis tangebant, & digitis præibant, vt *Imperatoris vestem & gemmas aspicerent: quibus ille, vt floridum aliquod pratum, aut Alcinoi hortus, varie nitebat. En,* aiebant, *vel in media hieme, Veris opes & gratias vsurpate, & oculos iis pascite atque hilarate.* O belli parasiti! & quid ad hæc Germani? *Nihil capi aut affici se istis muliebribus spectaculis aut ornamentis. atque adeo iam tempus esse, vt his sepositis Græculi ferro aurum commutarent. Nam si irriti legationis suæ redirent, pugnandum iis cum viris esse, qui non vt prata lapillis niteant, neque vestibus variegatis, vt pauones, glorientur: sed qui veri Martis alumni, flammas nitoremque ex oculis in acie iaciant, & quorum sudor splendidis guttis defluens referat margaretas.* Hæc nostri Germani ad

Græcos, iam verbis terrefactos: quid si ad rem ventum fuisset, & fuisset nisi *Henrici* mors subsecuta consilia hæc & incepta turbasset.

DE MAIESTATE:

Et salua modestia posse assumi.

CAP. XVI.

NEQVE enim inter se hæc pugnant, & conuenientia est etiam inter specie dispares virtutes. Appello autem *maiestatem*, venerationem aliorum animis insitam, cui à magnitudine est origo. Et ipsum etiam nomen maiestatis est à Magno. Ouidius decenter aperit:

Donec Honos placidoque decens Reuerentia vultu
Corpora legitimis imposuere toris,
Hinc sata maiestas.

Proles igitur est Honoris & Reuerentiæ, sed & matrem siquis horum dicat, non aberret. Origo ei præcipua ab interna magnitudine, id est virtute: etsi externa etiam species, gestus, cultus, aliquid addunt. Orientales in his talibus magis curiosi aut affectati: minus Europæi, & veteres Principes diademate & purpura fere contenti fuere. Hodierno æuo, illis abolitis, sceptrum & corona successerunt. Parum est. arbitraria sunt: leue adiumentum ad maiestatem, nisi aliunde ea adsit. Sunt & insignia quædam nouitiæ inuentionis, vt Aurei velleris, Conchæ

Sancti Iacobi, & talia: è quibus primum, omen habuisse videtur aut præsagium plusquam Iasoniæ nauigationis, qua nouus orbis, & in eo aurum, sunt retecta. Aliquid & Aulæ pompa, & ministeriorum varietas aut copia, item satellitium huc faciunt: & *Julianum* Imperatorem, vulgo *Apostatam*, culpatum in his memini, qui sustulit aut recidit: ὅτι (ait Socrates) παυομένη ἡ ἐκ τοῦ βασιλικοῦ πλούτου τοῖς πολλοῖς ἐγγινομένη κατάπληξις εὐκαταφρόνητον ἐποίει τὴν βασιλείαν: *Quoniam cessante admiratione opum & potentiæ, quæ plebeis animis hoc aspectu inseritur, vilem & contemnu facilem reddidit Principatum* Plebeium iudicium est, nec magni hæc momenti: magis mores, si ij compositi & graues. Talem *Periclem* Plutarchus describit, *vultu serio, nec ad risum facili, incessu moderato, voce & sermone sedato.* Alacritas illa nimia vix conuenit, sed nec dicacitas, etsi ingenij notam dicas. Liuius in *Philippo* vltimo Macedone hoc notat: *Et erat dicacior natura, quam regem deceret, & ne inter seria quidem risu temperans.* Iam corpus & species si adest, valde iuuant. atque ita de *P. Scipione Africano* idem Liuius: *Præterquam quod suapte natura multa maiestas inerat, adornabat promissa cæsaries, habitusque corporis,* NON CVLTVS MVNDITIIS, *sed virilis ac vere militaris.* Postremo, secessus & abductio iuuat. Vt enim ille ait, *Parit conuersatio contemptum, raritas conciliat ipsa rebus admirationem.* Sed nimia ne sit: aut tollit munus & officium regis. Neque enim Persæ laudandi, *apud quos persona regis, sub specie maiestatis,*

Eccles. Hist III. cap. I.

Lib. XXX.

Lib. XXVIII.

Apul de Deo Socr.

seculitur. Non item qui eos imitati, *intra secretum Palatinæ domus inclusi, tamquam aliquod Vestale secretum consuluntur:* tumida & odiosa sunt, nisi gentium aliquis receptus mos (nec is bonus) ita habet. Quid tamen de regibus dicam? ecce olim libertum, qui huc superbiæ & fastidij deuenit. Is fuit *Pallas* Claudij, qui venerationi asserendæ, *Numquam domi aliquid, nisi nutu aut manu, significauit, vel si plura demonstranda essent, scripto vsus, ne vocem sociaret.* Examina hoc, & ride seruilia illa portenta tam impotenter regnasse.

Panegyr. ad Theodos.

Tacit. XIII. Annal.

DE CASTITATE:

Quam Princeps extra connubium, & in eo pro parte seruet.

CAP. XVII.

ADDIDI denique alias virtutes, quæ ex decoro aut vsu sunt: & quattuor præsertim, *Beneficentiam, Castitatem, Patientiam, Animi magnitudinem.* De prima, alibi dicendum commodius: nunc de Castitate, dignissima Principe: cuius proprium est, alta & seria cogitare. Non facit libido, quæ in sordidis cogitationibus & cæno suo hæret. Bene ille veterum: *Nihil est tam mortiferum ingeniis, quam libido.* Nec animi solum, sed corporis robur minuit: & perplacet illud Augustini, *Pudicitia est*

De Ciuit. Dei, lib. I.

virtus, quæ comitem habet fortitudinem. Omitto pericula ex ea & contemptum, alibi dicenda. Habeas igitur ante matrimonium: neque enim ab eo te arceo. imo *quod honestius* (ait ille) *Imperatoriæ mentis leuamen quam assumere coniugē, prosperis dubiisque sociam? cui cogitationes intimas, cui paruos liberos tradas?* Cogitationes, nec tamen omnes. Illæ de republica, non bene semper infirmo, & interdum infido sexui, committuntur. Spernimus, qui referunt ad istas pleraque omnia, & qui audiunt: etsi Aristoteles notat, *Feroces & militares sæpe populos ita subiici, & nominatim Lacedæmonios.* Quod idem de istis Plutarchus, scribitque: *Lacedæmonios vxoribus suis semper addictos esse, plusque cum his, de negotiis politicis, quam has cum illis, de priuatis communicare.* Turpe est, ne fiat. Quis *Claudij* imperium non nouit, hoc nomine famosum, quod semper aut *Messalina* aliqua, aut *Agripina* regeret, aut vna cum his, quispiam è libertis? Quis & *Alexandri Seueri*, boni alias Principis, non misereatur: qui per pietatem nimis matri se addixit, & se sic euertit? Herodianus obseruat: *Quippe illi mater supra modum imperabat, atque is dicto audiens semper fuit. idque aliquis solum in Alexandro reprehenderit, quod mansuetudine nimia, & reuerentia maiore quam oportuit, matri etiam in iis quæ displicebant, obsequeretur.* Atque idem scriptor proprium muliebre vitium tangit, quod instillant. *Alexander*, inquit, *ipse ad prælium cum Partho non venit, incertum metune proprio, an quia mater retinuerit, feminco pauore. Omnes enim illius* (hæc nota)

Tacit XII. Annal.

II. Politic. cap. VII.

Lib. VI.

GENEROSOS SPIRITVS *retundebat, suadens alios potius periclitari pro se sineret, quam vt ipse in acie consisteret.* Talia fæminæ, & deteriora, solent: ac bonarum rara exempla, animosarum pauciora sunt. Mihi vero, siquæ Principis fæminæ partes in republica esse possunt, eæ sint quas Homerus in *Arete Alcinoi* describit: *quam, inquit, maritus honorat & ciues: quid ita?*

> Οὐ μὲν γάρ τι νόου γε καὶ αὐτὴ δεύεται ἐσθλοῦ,
> Οἷσιν εὖ φρονέῃσι, καὶ ἀνδράσι νείκεα λύει.
> *Nam neque mente animoque ea deficitur sapienti,*
> *Atque inter ciues & amicos iurgia soluit.*

Hoc bonum germanumque fæminæ opus, pacare, mitigare: amplius, ex eodem Homero, afflictos iuuare. Ita enim Minerua *Vlyßi* suadet, adire inprimis & blandiri *Aretæ*: quia per eam in patriam restituendus esset. Plura quæ facit, plurimum male facit. & pulchrum elogium de *Maria Emanuelis* Lusitani vxore. quæ (ait scriptor eius gentis) *erat moribus & vita grauis, humanitate comis, otij inimica, & ipsa manibus suis opera muliebria, è lino aut serico, faciebat, & virgines suas eodem ducebat.* NEGOTIIS PVBLICIS *numquã se admiscebat, summũ mulieris decus in modestia ponens, & vitæ perturbationẽ cẽsebat, munerũ confusionẽ.* Hęc magnanimæ illius *Isabellæ* filia fuit: sed nõ in virilibus curis ei par: & vt verũdicã, *Isabellæ*, vt Phænices, vix quingẽtesimo anno gignũtur. Siquis tamẽ talẽ nactus, vtiliter audiat: vel minorẽ ea, sed audiat,

non semper auscultet. Exempla porro *Castitatis*, atque etiam deinde *Caritatis* inter coniuges, demus. ac primum illud, quod de

I. CYRO Xenophon, siue vere siue decore, scripsit. Cum, inquit, *Panthea* formosissima fœminarum capta esset. atque ad eum adducenda, vetuit: ne vel oculis scilicet castitatem matronalem, & suam, violaret. Atque *Araspo* ex amicis suadenti adire eam & alloqui: *esse enim mulierem insigni forma, & Regis plane oculis dignam*: *Ob istuc ipsum*, inquit, *magis est vt abstineam. Etenim si nunc illam adiero, cum vacat: fortasse illa efficiet vt adeam, etiam cum non vacat, eique assideam neglectis rebus serijs.* Bona oratio, & ratio. ac sane si non alia noxia in vsu fœmineo, ista certe est, auocari à melioribus curis.

II. Itaque iure PERICLES, cum Atheniensibus Prætor, collegam *Sophoclem* poetam haberet, atque is in communi officio forte districtus, prætereuntem egregium puerum intentius intuitus esset, impensiusque laudasset: grauissima ista voce corripuit, *Oportet, ô Sophocles, Prætorem non solum manus à lucro, sed oculos à libidine habere puros.*

III. Quod fecit rex ANTIOCHVS tertius. qui Ephesi in sua vrbe, conspecta Dianæ sacerdote, supra alias forma decora, continuo illinc soluit: veritus scilicet, ne amor aspectu paullatim auctior audaciorque, eo impelleret, vnde pius castusque non rediret. Laudari meritissimo posset, & contra impios quosdam Principes: quibus Deo dicatas virgines violare aut ince-

ſtare, idque ſub velo (ô nefas!) ſacrorum & religionis, ludus iocuſque fuit.

IIII. At ALEXANDRI *Magni* in hac re continentia, cui non innotuit? Is magno prælio *Darÿ* victor, eiuſque gazam, coniugem, & filias etiam potitus: non ſolum benigne & regie habuit, ſed ſic caſte & ſancte, quam ſi eodem, quo ipſe, parente genitæ forent. Darij quidem vxorem, exſuperanti forma fœminam, nec oculis attingere vmquam voluit: quod ipſe de ſe in epiſtola quadam ad *Parmenionem* ſic ſcripſit: *Ego enim non ſolum non vidiſſe inueniar Darÿ vxorem, aut* VIDERE COGITASSE, *ſed nec verba facientes de eius forma audire ſuſtinuiſſe.* O raram in ea fortuna, & ætate, laudem! quam factum ſequens cumulat.

V. Cum aliquando enim idem, natura incitante, vſum fœminæ voluiſſet, & miniſtri formoſam noctu adduxiſſent: ille rogauit, *Ecquid tam ſero veniſſet:* Ibi mulier excuſare mariti vigilias, & expectaſſe donec cubitum iuiſſet. Quod cum audiſſet, quaſi telo ictus, & calore omni remiſſo, mulierem omiſit: vocatiſque miniſtris, *Reducite*, inquit, *iſtam. & quam pæne imprudentem me adulterio illigaſtis?*

VI. Iam quæ verba EIVS & ira, aduerſus *Philoxenum* quemdam, maritimæ rei Præfectum ſuũ? qui ad eum ſcripſerat, *Eſſe apud ſe Theodorum, mangonem, & vænales habere duos pueros forma eximia, ecquid eos emeret?* Quibus lectis valde indignatus, & idemtidem exclamans amicos interrogabat, *Quid igitur in ſe Philoxenus tam fœ-*

dum vidisset, vt tantam maculam sibi inureret? Sed & in epistola ad ipsum, multis eum probris scidit, iussitque *Theodorum* illum cum mercibus suis in malam rem ablegari. Quod si sic alij Reges & Principes: faxo, vt talium rerum conciliatores & interpretes pauciores in Aulis essent.

VII.

Quid autem Romanus SCIPIO? nec robur eius in hostes magis, quam in libidines suspexeris: quas an non supra *Alexandrum* domitas habuit & compressas? Nam ille oculis suis parum credidit, & veritus est capi: iste cominus congressus, & vidit & vicit. *Carthago Noua* ab eo capta erat, vbi præter aliam affluentiam rerum, pueri virginesque nobiles reperti: & inter eos vna, quæ ad *Scipionem* deducta, oculos quaqua ibat, omnium in se splendore formæ vertebat. Donum dabatur iuueni Imperatori, vt putabant, gratissimum: sed ille oculis libatam modo, abnuit: & *Acciperem,* inquit, *fruererque, si priuatus, & non cum Imperio essem. Nunc respublica occupatum hunc animum tenet. Accipio tamen quasi depositum, reddendum cui ratio & humanitas suadebunt.* Simulque virginem percontari de patria, parentibus, & sorte cœpit: agnouitque principe loco natam, & principi item suæ gentis adolescenti (cui *Luceio* nomen) desponsam esse. Igitur parentes, & hunc, aduocat: cumque venissent, statuta apud se virgine, sponsum ex ijs priorem alloquitur: *Ego, vt hæc virgo ad me deducta à militibus nostris, ac donum data est; & formam eius libens vidi, & dotes animi corporisque*

laudaui. Nec enim cæcos, aut ignaros talium, Natura genuit: hæc quoque pectora amor tangere potest, sed non nisi honestus, & quem tempora resq. meæ permittunt: Hæc igitur etsi iure belli mea erat: tamen non lubet inter arma hos ludos ludere, nec deceat fortasse præripere, viro forti iam desponsam. Hoc enim ab ea didici, & ideo te euocaui: vt coram viderem, coram tibi hanc traderem (numina testor) castus castam. Sic pudice cauteque mea cura habita est, ac si apud soceros tuos, parentesque suos fuisset. Non esset me teque dignum donum, si aliquid ex ea vis aut occulta fraus libasset: intactam, inuiolatam accipe, & fruere. nec aliam mercedem, quam te volumus, id est animum tuum Scipioni & Romanis addictum. Attonito iuuene, & præ gaudio vix mentis aut linguæ compote: parentes interuenerunt, gratias agentes habentesque. & ad pedes Scipionis satis grande auri pondus deposuerunt, quod pro redimenda attulerant: rogaruntque, quoniam gratis redderet, ipse hoc munus ab sese haberet. At ille beneficentiam alia cumulans, sponsum tollere hoc aurum totum iussit: & super dotem, quam parentes daturi essent, hanc quoque à se habere. Quid laudes potius? libidinem victam, auaritiam victã? cum laude priuata, cum publico fructu? quia vno hoc facto magnam Hispaniæ partem ad Romanos & ad se traxit, certatim cupientes tali virtuti subesse.

VIII. Iam in IVLIANO quoque Principe, etsi à pietate & religione nostra abijt, admiranda hęc continentia fuit. quem fides certa habet, mortua *Helena* coniuge, nihil vmquam venereum

attigisse: celebrantem sæpe & recolentem Bacchylidis poetæ illud dictum: *Vt egregius pictor vultum speciosum effingit, sic pudicitia celsius consurgentem vitam exornat.*

IX. Libentius & Christianos hic insero, & laudo. primumque inter eos BALDVINVM, ex Flandriæ Comite Byzantij Imperatorem: qui annos XXXII. natus, in ipso illo ætatis æstu, sic continuit se & adstrinxit, vt toto illo tẽpore quo ab vxore abfuit, nec impudicis quidem oculis mulierem sit intuitus. quod de illo totidem verbis, hostis eius alioqui *Nicetas* in historia consignauit. additque, etiam in alijs hãc castimoniam exegisse, *& bis quaqua hebdomade, sub vesperam, proclamari iussisse, Ne quis qui alienam mulierem attigisset, dormisse aut cubuisse in Palatio suo vellet.*

X. MAXIMILIANVS *Primus Austrius*, quam castus à libidine fuisse censebitur, qui sic verecundus à contactu aut aspectu fuit? Inter alias dotes, corpore & omnibus membris pulcherrimus describitur: sed eorum quæ natura occultari voluit, ita celans, vt nemo vir aut fœmina nudum eum viderit, aut retectum. Subducebat se furtim, cum naturæ purgationes vocarent: ad lectum iturus, nec cubicularium quidem ad exuendum, deponendum, collocandumque se admittebat. adeo vt nulla virgo magis teneri pudoris fuisse videatur. Quid, quod testamento cauit, caligas & feminalia mortuo sibi induci? vt & tunc cura pudoris esset, cum iam non esset.

XI. Sed & CONSALVVM *Magnum*, Hispania

ſtirpe, merito celebrauerim. qui tot bellis, cum regnum Neapolitanum ſuo Regi vindicaret, cõſenſu traditur, nullam matronarum aut virginum temeraſſe, imo & oblatas aut offerentes ſe (nec nouum in tali potentia) comiter reieciſſe. Atque adeo cum pater quidam, vir nobilis ſed pauper, duas filias ſcitas & lepidas, ipſe ad eum perduxiſſet, ratus hac ſe via ad opes poſſe venire: admiſit quidem, ſed cauſſa facti cognita, vt ſuas filias, dote data nobilibus viris elocauit, à ſe tam integras, quam à parente.

XII. Addi fortaſſe meretur, etſi in vno facto, continentia, quam alij FRANCISCO *Sfortiæ*, alij CAROLO *Octauo* regi Galliarum adſcribunt. Sed huius nomen vſurpemus, vt dignius: & potuit tamen hoc ſimile in vtroque eueniſſe. Igitur *Carolus*, in reditu à regno Neapolitano (quod quæſiuit fortius, quam tenuit) cum opidum aliquod Italiæ expugnaſſet; in militum direptione & diſcurſu, virginem perhoneſta forma ad pedes eius accidiſſe ferunt, tutelam à vi militum & cuſtodiam pudicitiæ ſuæ rogantem. Atque illum à militibus quidem ſeruaſſe: ſed vt iuuenem & talium rerum ſatis liberum, ſtatim oculos & cupidinem ad eam adieciſſe, & ſeductam in lectum abieciſſe, iam imminuendam. Ibi ea toto animo anxia, videt tabulam in pariete ſuſpenſam, in qua Diua virgo puerum, mundi ſeruatorem, ſinu geſtabat: & ea oſtenſa, *Per intactam hanc Virginem*, inquit, *oro, adiuro, virgini mihi parce.* Mouit ita regem (non ſine Diuæ

illius numine) vt libidinem iam exsilientem coerceret: & lacrimis etiam profusis, solo amplexu prosecutus liberam dimiserit, cum dote quingentorum aureorum. Sed & propinquos aut affines captos, ei donauit.

XIII. Hæc exempla in regnis, aut imperijs: quis carpet vnum alterumq; prodi, in fortuna priuata? SPVRINA adolescens in Etruria, excellenti pulchritudine, matronarum virginumque in se oculos, sed & virorum trahebat. Illæ potiri auide, & in occulto aut palam, suspirabant: isti æmulatione tangebantur, & in suis quisque fœminis timentes, aut suspectantes. Optimus iuuenũ vidit. & vt se aliosq; metu vel molestia liberaret, faciem illam sic emendatam, plagis scissurisq; totam ipse deformauit. Quid addam? ludibrium postea, non irritamentum vixit.

XIIII. Addatur, addatur ille DAMOCLES, adolescens Atticus, tam insigni facie & corpore, vt vulgo ei cognomen *Formosi* esset. Itaque eoipso proditus *Demetrio* regi, qui tunc Athenis lasciuiebat, postulatur ad stuprum: impelliturq; donis, promissis, nimis. Nihil horum valuit, & vim aut insidias veritus, abstinere etiam cœpit gymnasijs publicis, & palæstra. Quod Rex cum aduertisset, positis obseruatoribus, euenit vt in balneas priuatas lauandi gratia iuisse cognosceret: statimque eo properans nudum deprehendit, quid nisi certam, vt putabat prædam? Etiam ira quoque accensa libido irruebat: cum ille non nisi in morte effugium videns, hanc elegit, reseratoque aheni operculo, in aquam

feruentem se demersit, & exstinxit. Triste fatum, etsi forte factum! sed iustius vndique laudandum, quod adiungam.

XV. DCCCC. XXI.

Pelagivs in Hispania fuit. qui in clade à Mauris accepta ad *Juncariam*, sub *Ordonio* rege, cum obses datus esset, siue pro auunculo *Hermogio* Episcopo Tudensi, vt plures certioresque volunt: siue pro patre Galiciæ Principe, qui captus Cordubam trahebatur: sed pro vtro, tamen obses *Abderamini* regi Mauro datus: ecce forma eius captus Barbarus, florem hunc sibi destinat, & alludere cœpit, contrectare, & tentare. Ille reijcit, atque id sæpius: donec vim etiam parat amator. cui iste, ingenua ira, pugnũ impegit: & *Tolle canis*, inquit, *vitam, non pudicitiam mihi extorquebis*. Hic quoque in iram serio iam datus, iussit vt fundæ machinali impositus, trans Bætim fluuium vi emissus, rupibus illideretur. Quod factum: sed Pudicitia ipsa, opinor, alumnum suum tuita est, & cum miraculo viuus euasit. Non mutauit tamen Barbarus, nisi supplicium: & forcipibus membratim discerpi lancinarique iussum, in flumen proiecit. Vnde Christiani nostri extraxerunt, coluerunt: nomenque eius in Diuorum numerum ab Ecclesia merito est relatum.

Satis sit iam talium: videamus & Caritatis inter coniuges exempla. Nam ea castitati fere semper comes.

XVI.

Vespasiani æuo turbæ aut rebellio in Gallia fuit, & dux partium *Iulius Sabinus*, cui vxor Eponina. victis Gallis, dux ad supplicium quærebatur:

batur: sed is in speluncam auiam se abdidit, & famam mortis suæ sparsit, quasi veneno sponte eum sumpsisset: ac rei fidem, villam, tamquam super se, iussit incendi. Ipsa vxor hæc ignorabat, eratque in multis & mæstis lacrimis: soli duo liberti sciebant. qui miserati mulierē, mori certam, & cibi iam triduum expertem, marito indicant, & suadent amanti subueniri. Factum, & illa rescíscit *Sabinum* suum sic viuere: venitque ad eum, fidem & silentium coluit per totos nouem annos, & liberos etiam in spelunca concepit ac peperit, sola Caritate obstetricante. Denique res euulgata est, capti sunt, Romam deducti: an non venia donati? laudem & præmium merebantur, certe ista. Sed *Vespasianus* (ah meo animo hic sæuus) iussit interfici. quamquam illa prolatis ostensisque liberis: *En Cæsar,* dixisset, *quos ego in monumento peperi atque alui, vt plures supplices haberes.* Indignor, non vel dicto huic indulgentiam donatam. sed nihil illa: & læta, opinor, cum marito periit, cum quo tot annos iamante fuerat sepulta.

XVII. Fuit & CABADIS Persarum regis vxor, ignoto nomine, mira in eum fide. Is regno suo spoliatus à subditis, quibus durius imperasse visus, & in custodiam datus erat: *Blases* frater in eius locum substitutus, consilium habuit, quid captiuo faciendum? atque ibi *Chanaranges* (magistratus & præfecturæ præcipue nomen) ostenso cultello, *Hic*, inquit, *tam exiguus statim perraget, quod postea viginti millia hominum non*

efficient. Significans, tolli ex facili nunc posse captiuum, daturum molestias aut clades, vti euenit. Nā cum mitior sententia in virū sanguinis & loci regij obtinuisset, vtque in carcere cui *Lethe* nomen, perpetuo adseruaretur: fuit ibi aliquandiu, vxore identidem inuisente, & focillante. Sed sors ita tulit, vt Præfectus carceris conspectā iam sæpius mulierē adamaret: quod illa ad maritū retulit: atq; hic eā iussit obsequi, vel salutis suę causa. Nō volēs paruit, sed volētior deinde Præfectus, & mulieri, cū vellet, ad maritum accessus fuit. Itaque opera tandem *Seosis*, veteris & fidi amici, equi parati in propinquo ad effugium: atque ipsa carcerem, de more, ingressa, viro suam vestem induit, illius accepit: qui egressus sic fefellit. Iam plures dies abierant, & *Cabades* in tuto, & apud *Euthalitas Hunnos*: cum fraus deprehensa, & mulier iussu regio pœnas dedit. Infelix hac parte, nec *Cabadi* suo prosperorum futura socia. qui vxore alia ducta, filia regis *Euthalitarum*, grandes à socero copias impetrauit, regnum recuperauit, & *Blazen* in custodiam dedit, oleo feruente super oculos infuso prius excęcatum.

XVIII. Simile est SANCTIÆ Hispanæ facinus. quę soror *Therasiæ* reginę regionensis, aut eius ex fratre neptis (nam dissentiunt) fidem & affectum erga sponsum, & mox maritum, ostendit.

DCCC.LVIII. Is erat *Ferdinandus* Castellæ Comes, cui infensa *Therasia* ob patris mortem, vlcisci eam fæminea fraude apparabat. Itaque nuptias *Sanctiæ*

ſororis offert, quę apud *Garſiam* fratrem, Vaſconum regem, educabatur. Placuit Comiti conditio, it modico & in pacis ſpeciem comitatu, ad ſponſam capiendam, & fruendam & deducendam: cum *Garſias*, inſidiarum gnarus & particeps, in vincla eum condit. *Sanctia*, audito ſua cauſſa & amore id eueniſſe, etſi amoris antea expers, honeſte eum concipit: occulte in carcerem venit, nuptias paciſcitur, & cum eo in Caſtellam, eluſis cuſtodibus, abit. *Theraſia* nec ſic mitior aut quieſcens, aliam iterum fraudẽ ſtruit: idque per filiũ *Sanctium*, Legionis regem. Qui conuentus regni indicit, quaſi de magnis publicis rebus, & eo Comitem, de more, vocat. Hæret nonnihil iſte, & dubitat: ſed vt ſolẽt generoſi animi, in fidei partes inclinat. Tamen cum veniſſet, immitiore ſtatim vultu & ſermone exceptus, in arctam cuſtodiam datur. Quid facis *Sanctia*? in ſororem, in nepotem, pro marito quid ſtruis? fraudem iterum, ſed piam. Simulat voti ſe ream, velle ad Diui Iacobi proficiſci: facit iter per Legionem, & ſatis benigne (quidni à nepote, matertera?) excipitur. Orat inprimis, viſendi obiter mariti copiã ſibi fieri: atque impetrat, ſed in noctem vnam. Ibi complexus, ibi lacrimæ; & domo allatum conſiliũ exſequitur, vt veſte permutata, vicariam ſe daret pro marito. Ita ille luce dubia emittitur pro *Sanctia*, equos ex compoſito repperit, inſcendit, euaſit. Ipſa Sanctia cum nepoti indicium fraudis factum, educitur: & quamquã

stomacharetur primo, & delusum se doleret, tamen impetu ad rationem reuocato, pietatem & robur fæminæ veris laudibus tollit, & honesto comitatu ad maritum remittit.

XIX. M CC. LIII.

Firmus etiam fundatusque ille amor, qui in BLANCA SCARDEONIA, Italica matrona, ad stuporem apparuit. Captum *Baßianum* erat, in agro Patauino municipium, ab *Actiolino* immanis sæuitiæ tyranno: atque ibi dum fortiter repugnat maritus *Blancæ*, interficitur; ipsa etiam in armis virilibus marito iuncta, & simul pugnans, capitur. Adducta igitur ad tyrannum, & armis exuta, formosissima mulier apparuit; & accẽsus libidine potius, quam amore, potiri statim voluit. Illa abnegat. precibus, minis, & terroribus immobilis: donec ad vim tyrannus se parat quod intellegens, astu ad fenestram se subducit, & præcipitem ex ea iecit. Nõ tamẽ vel sic obiit, ad aliud facinus superuixit, quod fuit tale. Cum enim sanguine fœdata & semianimis, sublata *Actiolini* iussu esset & in lecto reposita, curataque: post dies aliquot iterum tentata recusauit, & eumdem animum vitæ potius, quam pudicitiæ perdendæ, sibi esse testata est. Ab irato igitur constringi ligarique iussa, violata, non contaminata est qui enim posset illa castitas?) sed tamen de decori huic superesse noluit, & fortius quam aliqua *Lucretia*, cum ad mariti sepulchrum isset alleuato & suffulto lapide, super fœtidum cadauer se proiiciens, atque id amplexa, *Tencote*, inquit, *mi anime: quis ty-*

rannus vltra auellet? Maneo, accipe fidem tuam Blancam, corpore & funere nunc iunctam. Dixitque, & fulcrum reuellens, caput sibi contriuit, & spiritum tenuem & exiturientem emisit.

XX.

At hęc in fæminis sunt, quarum ad honesta aut praua maior sæpe impetus: sed nec viri destituimur huius Caritatis exemplis. Omitto vetera. sub rege *Emanuele* Lusitaniæ, in Africa bellum gerebatur, & *Ataidius* eius ibi Legatus, cum satis magna manu prædatum in agrum Marochiensem iuerat. Inopinantibus superuenit, atque ita RAHVM BENXAMVTIVM repperit, claro nomine inter Arabum duces: qui castra illic, &, de more, familiam habebat. Igitur ingens à Lusitanis cædes edita, præda item hominum pecorumque parta. Ipse *Rahus* tamen euaserat: & cum Christiani, onere graues, tardius iter facerent, collectis ad LXX. è suis equitibus, à tergo obequitabat minitabundus. Plures interea accedebant: & ipse tum suos cohortans, tum Arabas excitans (qui cum Lusitanis fœderati militabant) vt eos desererent proderentque: *En egregiam occasionem*, inquiebat, *Deo Mahumeti, gentilibus placendi, si istos canes & alienigenas, facto agmine ac nobiscū iuncti, inuaditis, & cinctos vndique trucidatis. Præda erit vestra, gloria, æterna erit vestra, patria liberata muneris erit vestri. Agite fratres, agite commilitones, expiate fœderis dedecus honestissima transitione.* Clamabat, non mouebantur: imo contra, quo fidem suam magis nostris approbarent, in pri-

M.D.XVI.

mum agmen cum præda se conferebant. Iam parabat, vt impar, discedere *Rahus*: sed vxor illius *Hota* nomine, singulari specie mulier, amata vnice & amans, ex agmine nominatim eum inclamauit. Substitit ille, & vocem agnouit, simulque fæminę fatum: atque ipsa à ducibus petito breui colloquio & impetrato, *Rahe*, inquit, *Benxamutie, vbi promissa & fides sunt? Quoties iurasti, captiuitatem meam & discrimen ipsa morte tua depellere? En trahor captiua, & pateris, perfide dicam an ignaue? Nec vtrum probrum viro indignius sit, scio. Vbi autem de robore tuo vaniloqua verba? pudet & famæ, quæ sic est mentita.* His vocibus, & ipsis amoris furiis, incitatus *Rahus*: *Dies*, inquit, *longa est*, *victoria in Dei manu, virtus in meo brachio. confide.* At illa puluerem manu è terra tollens, & in altum proiiciens, *Sic*, inquit, *verborum tuorum fidem aura dispellit. Abi ingrate, alia fruere, quam mihi, vt video, prætulisti.* Sed *Rahus* statim, vt in more gentis est, calceum sibi detractum, in illam iecit: quod signum & pignus sanctum erat seruatæ seruandæque fidei; & simul ad equites suos conuersus, *Si vmquam amor vos tetigit*, inquit, *mei atque huius miseremini, & adiuuate Per sacra nostra, per gloriam gentis, per vitam hanc meam obsecro, quæ diuturna esse non potest, si hæc aufertur. Insilite, dij audentes & amantes iuuant.* Fecitque ipse & alij impetum, quem egregie sustinebant nostri, donec *Ataidius* in extremo agmine propugnans & sustinens, cum guttur eius casu arma nudassent, hasta *Rahi* transfixus

occubuit. Duce amisso, confusio; & ea maior, quod æmulatio etiã erat & certamen de loco. Alij hũc, alij istũ sufficiebant, & id tanto certamine, vt pæne (ô fatalem insaniam!) ad manus inter se, relictis hostibus, venirent. Quod Arabes fœderati conspicati, & simul miseratione nobilis illius Ducis tacti, arma in nostros verterunt, & puncto temporis dissipata acie, cæsi plerique omnes aut capti sunt. Recepta ita *Hota*: quam secum ducens victor *Rabes*, omnium oculos, voces & laudes in se vertit, fidem & robur prædicantium, & vtriusque felicem affectum. Nec diu sine post, mulier pro se fidem quoque testata est: cum marito in prælio quodam mortuo, illa funus eius cum multis lacrimis magnifice curauit: & inedia deinde nouem dierum se vita exuit, & marito iunxit.

XXI.

Hæc tragica. mitius exemplum est, quo claudam, nostri PHILIPPI *Boni* cognomento: qui præcipuus auctor fuit magnitudinis huius, quam domus Burgundicæ appellamus. Is igitur annos natus vigintitres, patrem *Ioannem* Burgundiæ Ducem, scelere & perfidia (res dicenda est) *Caroli Delphini* interfectum amisit. Atque vt erat dolore & ira recens, ad vxorem venit, quæ ipsa soror *Caroli* erat: & *O mea Michaela*, inquit (id mulieri nomen) *frater tuus patrem meum occidit*. Mulier statim in lacrimas & clamores. (nam mirifice viri amãs erat.) & dissidium non frustra verita, sine solatio lugebat: nisi quod ipse eã erexit, multisque

verbis affirmauit, *Nihilo sibi viliorem futuram, ob hanc propinquam quidem, sed alienam tamen culpam. Reciperet animum, & metum poneret, viro æternum fido bonoque futuro.* Et fecit. vixit triennium cum ea, omni amore & honore solito prosecutus? etsi ipse aspectus eius, scelus fraternum & triste paricidium sensibus ingerebat. Accedebat, quod sterilis esset. quę sola caussa diuortij quoties apud Principes valuit? Sed nihil apud istum: qui amorem & primam copulam, nisi morte noluit solui.

XXII.

Vere claudebam, sed SCYTHICA mulier interuenit, & ostendi postulat in hoc theatro. non illa magna, nec in re speciosa aut magna, sed si ad calculos reuocetur, magni mirandique amoris. Sub *Andronico Palæologo Juniore*, Scythæ incursionem in Græciam Thraciamque fecere, & late populati magnam prædam auexere. In ea captiuus quidam Thrax fuit, qui cum aliis ante fores Scythicæ huius trahebatur: viditque & miserata est, & emit eum, imo & mox nupsit. Sed iuramentum tamen prius exegit, non deserendam se ab eo in vlla fortuna, tempore, aut loco. Mulierem autem hanc iamante acre desideriũ habebat capiẽdę nostrę religionis, & vt salutari aqua tingeretur: quod marito indicat, atq; ille approbat, & vna constituunt hoc fine in Christianos fines demigrare. Sed dũ se apparant, & opportunitatẽ quærũt, annus elabitur, & binos interea liberos marito suo, alterum peperit, alterum in vtero gestabat. Ex quo & creuit amor

mutuus, & iã firma nexio videbatur. Ecce autẽ interea euenit, vt iterum Scythæ incursione facti, priorem vxorem huius mariti sui abducerent. & prætereuntem cum captiuis ille agnosceret & videret. Itaque, pro veteri affectu & consuetudine, illacrimauit, & caussam vxori suæ Scythicæ dixit. Illa nec indignata marito est, nec odio aut æmulatione (pro muliebri ingenio) in alteram illam tacta: sed statim eam quoque emit, tum ad domestica ministeria, tum vt aspectu ipso dolorem marito leuaret. Et iam tempus migrandi visum: migrant, Constantinopolim veniunt: mulier baptismate tingitur, altera illa (ausim ingratam, si non iniquam, dicere?) statim ad Patriarcham accurrit, clamitat per iniuriam maritum sibi ereptum, & à Scythica possideri. Illa quoque venit, & auditur, & rem totam exponit, nec quisquam damnare eam sustinuit, vt quæ amborum domina esset, eosque ex seruitute & immanibus illis belluis liberasset. Tamen hæsitantibus illis, ipsa sententiam hanc vltro tulit: *Marito meo, si prior vxor cordi est, habeat: cui etiam ob consuetudinem, & susceptos ex eo liberos, pretium redemptionis condono. In ipsam hanc autem fæminam vti eadem liberalitate cupiam, sed cum in terra aliena sim, & aliarum rerum inops, haud possum. Itaque illa, pretio reddito, cum marito abeat: ego cum duobus meis liberis benigni Dei manus exspectabo.* Dixerat mulier, & mirati omnes æquanimitatem sunt: cui Deus sane mox adfuit. & cum altera illa in Thraciam iuisset, ad pecuniam corrogandam,

ecce iterum à globo Scytharum abripitur, nec vltra viſa eſt, & maritus iam tuto in Sythicæ illius coniugio acquieuit.

DE PATIENTIA.

Ab ira & vindicta alienum eſſe debere, præſertim in conuiciatores.

CAP. XVII.

POTERAT ſub Clementia hæc virtus contineri, ſed educere malui, & ſeorſim oſtendere, quia valde Principem decet, & ſæpe in ea fortuna locum habet. Quis non alta illa ſermunculis aut iudiciis petit? Grauamur imperari, & quamuis bene atque vtiliter aliquis faciat, tamen hoc, illud, carpimus: & ſemper aliquid eſt quod non omnibus placet. Inde voces. ſed ſpernat Princeps, & ſciat *Nullum eſſe argumentum magnitudinis certius, quam nihil poſſe, quo inſtigeris, accidere.* Sicut ſuprema Mundi pars ventis, fulminibus, pluuiis non turbatur! non item debent apices iſti rerum. Hic aut ille in te iocatus eſt? conuicio aſperſit? calumnias diſperſit? contemne. *Ille magnus & nobilis eſt, qui more magnæ feræ, latratus canum ſecurus exaudit.* Potentia tua ſupra læſionem eſt, gloria (ſi bene agis) ſupra infamiam. Sed Mecænatis verba & con-

Senec. III. De Ira, cap. VI.

II. De Ira, cap. XXX.

filium, quod *Augusto* in hac re dedit, digna adscribi: *Siquis conuitiatus tibi fuerit, aut in occulto detraxerit, neque deferentem audire debes, neque delatum punire. Turpe enim sit, facile te id credere, cum caussam non præbeas, esse tamen qui conuicio petant. Atque id fere non nisi mali Principes credunt, quos ad fidem inclinat conscientia. Deinde autem iniquum sit, hæc irasci aut punire. quæ si vera sunt, præstat non admittere, sin falsa, dissimulare. Nam vltione ista, quid nisi plures sermones & plurium prouocabis?* Sunt saluberrima monita, siue rationes: & vltimam istam nota. Ne moue, quod motum magis exhalet: ne moue, quod mouendo non sedes. Quod si omnes punitum ibis, quis finis erit? neque aliud agas, & assidue in iis occuperis. Contemne igitur, & Senecæ hoc imbibe: *Contumeliarum patientiam, ingens instrumentum esse, ad tutelam regni*, Et, vt ad Exempla veniam.

Dio li. LII.

I.

LACONES apposite in publicis sacris apprecari solent, *Vt possent iniuriam pati.* Ne propere scilicet exsilirent ad vindicandum, & statum ita suum turbarent. Tum etiam, quia parum idoneos iudicabant ad res gerendas, qui iniuria aut contumelia statim abriperentur. Sedatio animi & frigus decet imperantes.

II.

In qua parte DAVID, rex Hebræus, mirificus. qui pulsus à filio *Absalomo*, & profugus, cum manu tamen fortium virorum, vt ad montem *Bahurim* venit: ausus est *Semei è Saulis* cognatis, petere virum conuiciis: tantum? imo

& lapidibus, quos ex alto in eum iecit. Indignati comites, & ex iis *Abisai*: *Itane hic canis Domino meo & suo male dicat? idque impune? Ibo, mi rex, & recidam ei caput, domicilium protervæ huius linguæ.* At mitissimus virorum Dauid, *Mitte, vt male dicat. En filius, quem genui, sanguis meus, sanguinem istum quærit: & indignamur si conuiciatur alienus?* Cælestis quædam hæc patientia: quid mirum in viro cælesti?

III. Magis in tyranno PISISTRATO. cuius vxore petulanter & iniurie habita à quibusdam adolescentibus ebriis, idque in publico: malum illi timentes, mane ad Pisistratum supplices veniunt deprecatum Ille autem: *Quid vos vultis? mea vxor heri nusquam prodiit. At in posterum date operam vt sobrij sitis.*

IIII. Quid in ARTAXERXE Persarum Rege, in qua gente superbia domicilium habere visa? Apud quem legatus Spartanus *Euclidas* libere pro ingenio gentis, & pro suo ferociter locutus, hoc responsi retrulit: *Tibi licet, quæ libet, apud me dicere mihi & dicere, & facere.* Salua maiestate modestia inserta fuit: & ad hanc iuit, ab illa non abiuit.

V. Sed in hac virtute Macedonum aliquot reges eximij. Quid enim PHILIPPVS *Alexandri* pater? qui plura eius dedit exempla. Vt in *Nicanore*. qui circumiens male de *Philippo* opinabatur, & detractabat: nec defuit, vt solet, delator *Smicythas*. Amici igitur aduocandum, & plectendum censere: ille contra, *Et Nicanor,*

inquit *non est pessimus Macedonum. videndum igitur, numquid per nos admissum aut commissum, cur male dicat.* Et serio quærens, repperit pauperem virum esse, bene meritum, nec adhuc habitam eius rationem. Itaque statim munere eum affecit: qui & ipse, mutata mente & lingua, laudare vbique *Philippum* & attollere. Quod cum idem *Smicythas* retulisset: *Videtisne, ô amici*, inquit, *in nostra manu esse, bene vel secus audire?* Factum dictumque pensitandum Regibus, qui cupiunt famam.

VI. Iam iterum IDEM, de petulanti quodam & procaci conuiciatore, cum suaderent exsilio plectendum: *Nequaquam*, inquit, *ne oberrans apud plures de nobis male loquatur.*

VII. Nec vero in absentes solū lingulacas talis, sed in præsentes, & qui in os insultabant. Vt ille *Demaratus Corinthius*, cum aduenisset ad eum, tunc forte cum *Olympiade* coniuge & filio *Alexandro* dissidentem: rogareturque à Philippo, *Ecquid consentirent iam inter se Græci?* ille ore libero, *Scilicet tibi conuenit de Græcorum concordia agere, qui dissides ipse à proximis tuis.* Sensit eum vera dicere Philippus: ad se rediit, & cum suis in gratiam.

VIII. IDEM cum pro tribunali sublimis, sub hasta captiuos venderet, ac parum decore, veste reductiore, sederet: quispiam è captiuis clamare cœpit. *Iniuria se affici, esse enim paternum se Philippi amicum.* Quod cum miraretur Philippus, & dicere eum ac docere iuberet: *Apud te solum*, inquit. accedensque ad tribunal, in aurem insusur-

rat, *Heus tu, vestem demitte. nam sic parum honeste sedes.* Rex nihil offensus, gratiam imo retulit: *Et vere,* inquit *iste mihi amicus erat, mittite hominem.* simulque aliter se composuit. En, fructum etiam suum alienam libertatem fecit. & solet ipse dicere, *Gratias se debere Atheniensium oratoribus, quod conuicijs suis redderent se meliorem: dum illos factis conatur refellere.*

IX. At inter successores eius ANTIGONVS, æmulus & pæne par fuit in hac laude. Qui in castris aliquando, cum duo è vigilibus, iuxta ipsum Prætorium, de rege male dicerent, atque ipse omnia audiret, nihil vltra quam tentorij velum concussit; & *Heus vos,* inquit, *paullo longius secedite, ne Rex vos audiat.* Quid istuc est? ne dissuadet quidem male loqui, sed cautius loqui.

X. IDEM cum exercitum in tenebris aliquo duceret, & molestum ac salebris interruptum iter esset, milites ductorē passim execrabantur Antigonum. At ille ad singulos quosque accedens ignotus, & explicans: *Nunc,* inquit, *bene dicite ei, qui vos eripuit.*

XI. Iam PYRRHVS qui Macedoniæ regnum aliquamdiu tenuit, idem hanc virtutem. Iuuenes aliqui Tarentini, cum in Italia ipse esset, inter pocula male de eo & minaciter locuti, deferuntur: adductique postridie, *An dixissent?* interrogantur. Vnus facete & libere: *Diximus, atque adeo te interfecissemus, nisi lagena defecisset.* Vini culpam, non animi ostendit: & Pyrrhus sic accepit, atque ipse arrisit.

Inter Germanos Græcos PERICLES conuicijs petitus in foro, à proteruulo quodam, nihil reposuit, & placide res suas egit. Actis, domum iuit, illo prosequente & linguæ tela identidem eiaculante. Nihil sensit, nihil dixit *Pericles*: hoc tantum, cum ad ædes iam venisset, & nox esset, ministro suo, *Abi puer, & facem accende, & huic redituro præluce.* Vah, non patientiam solum, sed benignitatem! qui adiutum iuit in ipso improbitatis freto æstuantem. XII.

PTOLOMÆVS *Lagi* filius, Ægypti rex, in Grammaticum cauillans, & inscitiam arguens, *Quis esset Pelei pater*? rogauit. Cui ille, *Expediam, si tu mihi prius dixeris, qui Lagi.* Genus obscurum aut sordidum regi palam obiectabat: & id indignati omnes qui aderant, præter regem. Qui ad incitantes: *Nisi ferre dicterium regium est, nec dicere*, inquit. Idem ius volebat ferulæ, quod sceptro, in istis esse. XIII.

Sed Romani quoque Principes huc ducant, & primus eorum CÆSAR. Ille *C. Caluo* oratori, qui famosis epigrammatis prosciderat, cum de reconciliatione significasset, prior & vltro scripsit, tanquam ipse læsisset. Idem *Catullum* poetam, qui famæ eius perpetua stigmata (& nunc leguntur) versibus inusserat, satisfacientem eadem die adhibuit cœnæ. Nihil stipulatus est, aut iniunxit, sola pœnitentia pro pœna contentus. XIIII.

At AVGVSTVS vere & hic successor, cum in iudicio quodam inter alia crimina reo obij- XV.

ceretur, quod male loqui de Cæsare soleret: interrupit, & ad accusatorem, *Velim hoc mihi probes, faxo fiat Ælianus* (id rei nomen) *&* *me linguam habere.* Bene, & benigne. quid aliud significabat, quam dicta dictis vltum? Etsi nec fecit, nec vltra quidquam inquisiuit.

XVI. IDEM in *Timagene*, historiarum nobili scriptore, plus semel patientiam ostendit. Multa in ipsum, etiam in vxorem, in filiam & familiam eius dixerat: atque ea vt arguta, & ab homine docto, excipiebantur vulgo & circum ferebantur: Cæsar tamen nihil, nisi monuit eum vt modestius ingenio & lingua vteretur: idque in domo sua. Nam & (vide ingratitudinem) Cæsar eum alebat. Sed cum nec sic desineret, tandem domo ei sua interdixit: & quis accusasset, si vrbe, si toto imperio? At ecce, qui velut in inuidiam Cæsaris excipiat: & is fuit amicus eius *Asinius Pollio*, nec ideo desijt esse. Fouit hominem, & eius exemplo alij: visitur, colitur. & quis? priora omitto, sed qui tunc quoque, tanquam professas inimicitias cum Cæsare gereret, libros Historiarum de rebus eius scriptos combussit. Non hoc erat dicere, *Indignus es de quo scripserim? falsa censeo, quæ prædicauerim?* Tulit & hæc Cæsar: tantum Pollioni semel dixit: Θηριοτροφεῖς, id est, *Serpentem nutris.* Et paranti excusationem obstitit, addiditque, *Fruere mi Pollio, fruere.* Cum hæc lego & examino, dicam Romam tunc seruisse? Aut si; addam quod publice in theatro acclamatum, *O Dominum æquum & bonum.*

Nimirum

Nimirum confirmatus in hac patientia animus iam erat, & contra concussionem omnem stabilis. quod etiam Tiberio ostendit, conquerenti super ea iuueniliter, & exstimulanti. Rescripsit enim in hæc verba: *Ætati tuæ, mi Tiberi, noli in hac re indulgere, & nimium indignari, quemquam esse, qui de me male loquatur.* SATIS EST ENIM *si hoc habemus, ne quis nobis male facere possit.* XVII.

Et hausit ab eo TIBERIVS. qui aduersus talia firmus, subinde iactabat, *In ciuitate libera liberas linguas esse debere.* Idem in Senatu, cognitionem super ijs flagitante: *Non tantum habemus otij P.C. vt implicare nos pluribus negotijs debeamus. Si hanc fenestram aperueritis, nihil aliud agi sinetis: omnium inimicitiæ, hoc prætextu, ad vos deferentur.* O pulchra, ô aduertenda! etsi ipse non tenuit, & postea se mutauit. XVIII.

Vnum propioris æui exemplum etiam, & finio. FRIDERICVS Imperator conuicijs petitus, & ab amicis ad vindictam excitatus: *Minime,* inquit, *an nescitis Principes, quasi scopum, expositos ad has sagittas?* Ita est. alta liuor & calumnia petent: petent, sed non tangent, vbi animus quidem est altus. XIX.

DE MAGNITVDINE ANIMI.

Famam & immortalitatem Principi proposita, & expetenda esse.

CAP. XVIIII.

HOc enim nunc appello Magnitudinem animi, alta & honesta proponere, & nũc,

ac magis olim, in fama bona ác gloria esse. Vt sol in aurora tenuior, assurgit & inclarescit; sic ex virtute & meritis fama cum æuo ipso augetur & crescit. Hoc velim equidem amare Principem, & vt trahat illum ——— *fax mentis honestæ Gloria*, vt poëta ait. Quid enim aliud in externis? Τὸ μὲν ἀργύρειον, ait Polybius, ἐστὶ κοινόν τι πάντων ἀνθρώπων κτῆμα· τὸ δὲ καλὸν, καὶ πρὸς ἔπαινον καὶ τιμὴν ἀνῆκον, θεῶν καὶ τῶν ἔγγιστα τούτοις πεφυκότων ἀνδρῶν ἐστί: *Argentum quidem & pecunia est communis omnium hominum possessio; at honestum, & ex eo laus & gloria, Deorum est, aut eorum qui à Dijs proximi censentur.* Dictum egregium. alia alijs communia, & adipiscenda: at bona & magna fama magnis conuenit, & quos Deus vicem suam fungi voluit in terris. Velleius de *Pompeio Magno: Quo viro nemo alia omnia minus, aut gloriam magis concupiuit.* Egregie. illuc eundum est, ad honestam ambitionem & nomen: quod non plebeiæ voces, sed seria Annalium testimonia celebrent & posteritati commendent. Ita ad Virtutem (etsi per se appetendam) ducitur: *nec potest quidquam abiectum & humile cogitare, qui scit de se semper loquendum.* Studia hoc donant, & rerum memoria: Princeps foueat, sed cum modo & iudicio, vt nec passim eo vocet, nec argumentum se cuicumque stilo velit. Augustum videat. qui *ingenia sæculi sui* (ait Tranquillus) *omnibus modis fouit: componi tamen aliquid de se, nisi & serio, & à præstantissimis, offendebatur.* Serio, non per ludos & mimos à præstantissimis, non ab ingenijs passiuis aut

Mamertinus, Paegyr ad Iulianum.

plebeijs, ſed quæ Genium aliquem æternitatis à ſe haberent. Hanc laudis cupidinem ſummi viri prætulerunt: vt

THEMISTOCLES. qui in adoleſcentia ſolutus, & aliarum rerum, poſt *Miltiadæ* de Perſis victoriam, honeſta æmulatione percuſſus, depoſitis nugis ſeria agitare cœpit, & totas noctes inſomnis agitare. Rogatus cauſſam, reddidit? *Miltiadæ ſe trophæis è ſomno excitari.*

I.

IDEM in theatrum iturus, cum rogaretur, *Cuius vocem libentiſsime audiret?* alio rettulit, & *Eius,* inquit, *à quo laudes meæ optime celebrabuntur.* Numquid diſſimulauit? profeſſus eſt gloriæ cupidinem, & eius aliqua mercede inductum ſe res geſſiſſe.

II.

IDEM tertio, in conuentu celebri Græciæ, ludis Olympicis, cum plerique ſpectaculis omiſſis oculos in illum verterent, eumque mirabundi & fauentes exteris etiam oſtenderent: dixit alacer animi & lætus, *Illo die ſe laborum, quos pro Græcia tuliſſet, fructum maximum cepiſſe.* Ad rigidam Sapientiam ſi examino, non ſapientiſſime. quid enim adiectum eſt? vox modo & laudatiuncula: ſed virtuti aliqua oblectatio, cum & gratos iſtos videt, & poſteros ſperat.

III.

At ALEXANDER hic vel nimius. qui patrem creſcere & inclareſcere, interpretabatur ſe minui & obſcurari. Cumque nuncij identidem venirent, huius illiuſque victoriæ: inter æquales ingemiſcens, *Hem!* inquit, *quid tandem pater nobis vincendum relicturus eſt?* Mirus vehe-

IIII.

mensque affectus, qui vel innatam pietatem vicit.

V. Et quid quereris ô ALEXANDER? ecce Asiam, & Africam, & reliqua Europæ, tibi palæstram. Sed nimiam ambitionem iure dixerim, cui & orbis fuit angustus. Nam differente *Anaxarcho*, plures esse mundos: suspirasti, & *Me miserum! qui nec vnum subieci*, iubiecisti.

VI. An non simile alterius *Alexandri*, imo maioris id est IVLII CÆSARIS? qui in Hispaniæ *Gades* cum venisset, ibique imaginem *Alexandri* illius vidisset, diu intuitus in vocem & gemitum erupit: *Heu, nihil etiam memorabile à me gestum in ætate, qua iste orbem terræ vicit!* Non gestum, sed gerendum: acquiesce. affatim Deus & fata materiem gloriæ tuæ dabunt.

VII. IDEM in Alpibus, cum iter illac faceret, & comites rustica tuguria, & pauperes illos cœtus, riderent: *Atqui malim hic primus esse*, inquit, *quam Romæ secundus*. Quid hæc vox, nisi tuba & classicum belli ciuilis est? nolo secundus esse, vapula libertas.

VIII. Sed magis honestiusque se affectus hic prodit, cū posteros & monumenta ijs futura, cogitat. vt in PERICLE: qui in concionem ab iratis Atheniensibus vocatus, quod tantā vim pecuniæ in opera & ornatum vrbis contulisset: ille placide, *An ergo, ô ciues, pænitet? conditionem fero, meum nomen ijs inscribatur, & priuatim mihi feram expensa*. Reclamatum à tota concione: hortatiq; vltro sunt, *Cum bonis dijs pergeret, nec impendijs tali fine abstineret*. Ecce in toto populo hone-

ſtum ambitum, & certamen à nullo, in gloria ad poſteros, vinci.

TRAIANVS hoc quoque, *Optimus* ſuo iure Imperator, quæſiuit: & paſſim noua ac vetera opera cum faceret, aut reficeret, nomen ſuum etiam minimis inſcripſit. adeo vt quidam ſubſannantes *Herbam parietariam* eum appellarent.

IX.

Sed fidelior in libris ſcriptiſque memoria: & ALEXANDER iam dictus ſciuit. Is *Calliſthenem* ab Ariſtotele acceptum, eloquentia & ſapientia clarum, ſecum circumduxit, rerum ſcriptorem, & famæ propagatorem. Sed heu! præpropera ira vitam abſtulit, à quo æternitatem ſperabat.

X.

IDEM Ariſtotelem quam fouit hoc fine, & produxit? felicius. nam ille nomen eius ſecum perenne fecit, in operibus quæ exſtant. Sed non ſine præmio. & in vnam *Hiſtoriam Animalium* ſcribendam, certum eſt Alexandrum contuliſſe *Octingenta talenta*, noſtræ pecuniæ *Quadringenta & octoginta millia Philippicorum*. Quid dicitis hodierni Principes? compello excitãdos?

XI.

IDEM eiuſdem ardoris ſcintillas iudicio iecit, in vate *Homero*. Et cum ad tumulum Achillis in Sigæo conſtitiſſet, è pectore vocem emiſit: *O fortunate adoleſcens, qui præconem Homerum repperiſti!* Certe, fatemur. tantum enim neſcio an ipſe ſe, ſed tantus ille fecit.

XII.

Ab eodem iudicio IDEM, in accurſu tabellarij cuiuſpiam res, vt videbatur, lætas ferentis: *Et quid*, inquit, *nuncias? an Homerum reuixiſſe?* Nec

XIII.

feriunt, aut capiunt, scio, hæc dicta vulgares animos: sed altos mirifice: & quid ille, nisi summum votorum, æstimauit, Homerum reuiuiscere, idque in suas (huc ibat) laudes?

XIIII. Græciæ etiam colonus HIERO rex Syracusanus, animum Græcanicum habuit, id est, vt cum Venusino dicam, *Laudis auarum*. Nam cum poëta quidam *Archimelus*, epigrammate haud inscito, sed breui (octodecim modo versuum fuit) nauim, quam ingẽtem fabricarat, celebrasset: ille delectatus, & porro prouocans, in alia naui *mille modios tritici* Athenas, donum poetæ misit, idque in ipsum Pyræi portum, omni suo sumptu. Si quis instructam nauim, & socios nauales euntes redeuntesque, cogitet: mirabitur regiam plane liberalitatem.

XV. At nec Latini expertes huius ambitus, etiam sæculo adhuc rudi. En P. SCIPIO *Africanus* poëtã *Ennium*, à quo res suas celebratas videbat gaudebatque, & viuũ beniuolẽtia omni cõplexus est, & mortuum stare in effigie iussit in suo & *Corneliorum* monumento. Quid aliud, quam dictum voluit? Per me in imagine viuat, cuius scriptis ego mortuus etiam viuo?

XVI. Nec degenerauit alter SCIPIO, *Africanus*, qui (verba Velleij Paterculi) *tam elegans liberalium studiorum, omnisque Doctrinæ, & admirator & fautor fuit, vt Polybium Panætiumque, præcellentes ingenio viros, domi militiæque secum habuerit*. Macte Scipio! dignus tu comite Polybio, dignus ille te amico & patrono.

XVII. Iam POMPEIVS *Magnus*, apud se habuit

Theophanem Mitylenæum: quem Græcum & exterum, in concione militum, ciuitate donauit. Qua caussa & titulo? scriptorem rerum suarum.

XVIII.

Sed in vnum benignus *Pompeius*, in totum genus IVLIVS *Cæsar*. qui rerum iam potens, *Omnes liberalium artium doctores*, qui Romæ essent, ciuitate donauit. Quæ hæc liberalitas? inquies, nihil à se dedit. Dedit à publico: nec maior aut optabilior tunc honos extero, quam ciuem dici.

XIX.

AVGVSTVS autem mirifice in hos propensus, quod tot scriptores aut vates dicent, ab eo producti & alleuati. Ambitio autem ab iis vicissim attolli, vel ex epistolæ eius his verbis ad *Horatium* poëtam (quem hodie legimus) satis elucet: *Irasci*, inquit, *tibi me scito, quod non in plerisque eiusmodi scriptis mecum potissimum loquaris. An vereris, ne apud posteros infame tibi sit, quod videaris familiaris nobis esse?* Atque hoc velut conuicio expressit Eclogam, cuius initium:

Cum tot sustineas, & tanta negotia, solus:

Sed quod operæ talis pretium? serui, suppellex, fundi toti.

XX.

Sed & VESPASIANVS, etsi cetera parcus, ingenia artesque fouit vel maxime. & primus è fisco (ait Suetonius) *Latinis Græcisque Rhetoribus annua* * *centena constituit*. Idem *Saleio Basso*, eximio poetæ, vna donatione * *quingenta* donauit: id est, censum tunc equestrem.

* Bis mille & quingentos Philippicos.

* Duodecim millia Philippicorum & quingentos.

XXI.

ANTONINVS *Pius* diffudit etiam liberalitatem *Vespasiani*, nec Romæ tantum, sed *per omnes prouincias, Rhetoribus & Philosophis*, honores ac salaria detulit.

XXII. Quibus ALEXANDER *Seuerus* addidit, *Grammaticos, Medicos, Mathematicos.*

XXIII. Magna in omnes liberalitas, & sic perpetua: sed illa in vnum stupenda. ANTONINVS *Caracalla*, cetera haud laudabilis, delectatus elegantia carminum *Oppiani*, quæ illi inscripta legimus, in singulos versus *singulos aureos* iussit rependi: id est, *nostrates duos.* & versus numera, stupebis.

XXIIII. DIOCLETIANVM addam? is *Eumenio* Rhetori * *sexcenta* annua assignauit, in schola Augustodunensi doctori. Credimusne? refragantur, & rescribunt: ignosco pro iudiciis & animis, addam etiam, opibus hodiernis.

* Quindecim millia Philippic.

XXV. Sed conuenio vos, PRINCIPES, voce Anaxagoræ, qui senex & æger decumbebat, nunciatumque Pericli, ex eius disciplina. Is accurrit, & solatus est, & precatus ne sic desereret: sed ibi opportune Anaxagoras: *At enim, ô Pericle, quibus opus est lucerna, oleum infundunt.*

XXVI. Infundite bonis meritisque. & cum LEONE Græcanico Imperatore Eunuchum non audite dicentem, *Hæc in milites debere absumi.* Cui ille reposuit: *Vtinam meis temporibus eueniat, stipendia militum in doctores artium absumi!* Vtinam, vtinam, sed meis non fiet: & inscitiæ caligo aut tenebræ (falsus sim!) imminent Europæ.

FINIS.

WB 1566
SPECIAL 93-B
9418
GETTY CENTER LIBRARY

Jos. Lesrii
Historiā Navi
gat. in Brasi,
lian
item
Justi Lipsii
monita [illegible] ex.
politica
[illegible]